
Joannes Georgius Franciscus
Nicolaus ab Herwarth S: R: J: Comes
De Hochenburg Seren: Elect: Bavari
Camerarius et Consiliarius Aulicus


Lithuania
Varsaria
POLONIA
RES PUBLICA POLONICA
Duobus Libris Illustrata,
Auctore M. Christophoro Hartknoch
Francof. & Lipsiæ.
apud Martinum Hallervord
Bibliop. Regiomont
1678.

RESPUBLICA
POLONICA,
DUOBUS LIBRIS
illustrata;
QVORUM PRIOR,
Historiæ Polonicæ memorabiliora, ex diligenti Sarmaticorum pariter atqve Germanicorum tàm Veterum, qvàm recentiorum Scriptorum collatione, eruta, variasqve Provinciarum eò pertinentium mutationes complectitur.
POSTERIOR VERÒ,
Jus Publicum Reipublicæ Polonicæ, Lithvanicæ, Provinciarumqve annexarum, ex Statutis, Constitutionibus, Juribus, Privilegiis, probatissimisque Scriptoribus Polonicis, depromptum, comprehendit.
HIS ADJECTA EST
DISSERTATIO HISTORICA
DE
ORIGINIBUS POMERANICIS.
Operâ & studiô
M. CHRISTOPHORI Hartknoch/
Passenheimensis Prussi.
FRANCOFURTI & LIPSIÆ
Impensis MARTINI HALLERVORDII,
Bibliopol. Königsbergensi.
JENÆ, Typis JOHANNIS NISI, 1678.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

QVinqvennium jam eſt, & qvod excurrit, L. B. cùm in Academia Regiomontana, ea, qvæ de Statu Regni Poloniæ, partim ex lectione Conſtitutionum, partim ex propria obſervatione, collegeram, in certum ordinem digeſſi. Illud verò ſcriptionis argumentum eò avidius illuſtrandum arripui, qvò propius ad uſum juventutis Pruſſicæ accedere videbatur. Execror enim eorum perverſitatem, qvi, domeſticis planè neglectis, ea tantum ſtudio ſuo digna æſtimant, qvæ à ſe longis locorum intervallis ſunt remota; unde

qvoqve fit, ut, dum foris Argo se putant oculatiores, domi sint Tiresiâ cœciores. Non tamen tunc temporis justo aliqvo Tractatu jus publicum Regni Poloniæ explicare, sed schediasmata tantum aliqvot, inter se non adeò cohærentia, conscribere, animus erat; idqve eo fine, ut Historiarum & Politicæ Studiosi Academico more se exercere volentes, pro lubitu aliqvod ex his eligere, & publico eruditorum examini, me Præside, subjicere possent. Reperti qvoqve sunt tres lectissimi, summæqve spei juvenes Regiomontani, qvi initium hujus rei fecerunt, nimirum *Reinholdus* Suter / *Paulus* Freyling / & *Christophorus* Schulz / qvorum tamen medius, inter media hæc molimina, summo, non tantum suorum, sed & omnium literatorum, dolore, fatis est præreptus. Nec defuere Patroni, qvi illos

illos ingenii fœtus, qvamvis, ut verum fatear, satis adhuc immaturos, obviis exceperunt ulnis, illud exoptantes, ut & reliqvos, qvos parturiebam, in lucē ederem ipsis exosculandos. Verùm cum Lucina minus favente hoc in plures annos traheretur, alius qvispiam Jupiter τέλειος mihi fuit invocandus. Aliud itaqve consilium amplexus, evolvi iterum iterumqve omnes inclyti hujus Regni Constitutiones; exploravi sedulò Polonorum de editis jam Dissertationibus judicia; consului de multis dubiis casibus viros Juris Publici Polonici peritos. Multa deniqve ipse, qvæ antea mihi non fuerant cognita, observavi. His factis, cœpi dicta schediasmata in unum fasciculum colligere, in meliorem ordinem digerere, novas observationes interserere, & ea, qvæ antehac minus accuratè fuerant

 rant

rant poſita, emendare. Ex hoc molimine hoc tandem, qvod jam L. B. ante oculos habes, natum eſt opuſculum. Ut autem in eo percurrendo, inoffenſo progrediaris pede, de qvibusdam adhuc eris præmonendus. Diſpeſco Tractatum hunc in duos libellos. In primo ea nudè propono, qvæ ad Hiſtoriam Polonicam, Provinciarumqve eidem annexarum illuſtrandam facere videbantur. Cùm verò hic neqve Germani cum Polonis, neqve Poloni inter ſe invicem ubiqve conveniant, controverſias aliqvot diſcutio, & expenſis ab utraqve parte rationum momentis, nunc hujus, nunc illius ſententiæ calculum adjicio. Neqve hoc mihi vitio vertent Poloni, qvi optimè norunt, habere gentem Germanicam Hiſtoricos antiqvos, & qvidem non paucos, qvi non raro ea, qvæ memo-

riæ prodiderunt, oculis ſuis ſpectarunt. Neqve idem Germanos, qvod non ſemper ipſorum Scriptoribus fidem habeam, malè habebit, cum neqve Polonis antiqvi Hiſtoriarum Scriptores, aliaqve antiqvitatum veſtigia, prorſus deſint; imò etiam, cùm notum ſit, antiqvos Germanorum Scriptores in qvibusdam plus, qvam par erat, amori Patriæ Principumqve ſuorum indulſiſſe. Id verò temperamentum ubiqve adhibui, ut ab intempeſtivis judiciis abſtinerem, mihiqve ſufficere exiſtimavi, ſi id potius ediſſererem, qvid alii de Controverſiis illis ſentiant, qvàm qvid ego de illis eſſe ſentiendum, exiſtimem. Et licet aliqvando nonnulla pro certo aſſerere videar, ea tamen præfracto animo defendere non decrevi, ſed ſemper meliora docentibus cedere, imò hæc omnia, qvæ aſſerui, unâ liturâ in-

ducere, ſum paratus. Secundus liber exhibet Jus Publicum Polonicum. Fontes ex hoc illud hauſtum, publicæ ſunt Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ annexarumqve Provinciarum Conſtitutiones, ut & alia Polonorum ſcripta. Ab exteris Scriptoribus hîc abſtinui, qvia illi hac in materia freqventer errant, & hoc potiſſimum ob ignorantiam lingvæ Polonicæ, qvâ hodiè omnes in Polonia ſcribuntur Conſtitutiones. Aliqvando tamen Diarium Europæum adduco, qvandoqvidem ei inſerta ſunt multa Acta Publica, ut Pacta, Literæ &c. qvibus tutò fidem habeas. In aliis parciſſimè teſtimonia ex Diario Europæo depromo, nec niſi in iis, qvæ in facto conſiſtunt, & ubi Diaria Comitiorum Polonicorum defuerunt. Idem & de qvibusdam aliis Germanicis ſcriptis intellectum velim.

lim. In ipſis Conſtitutionibus legendis hunc Ordinem obſervavi. Antiqva Statuta à Caſimiro Magno ſucceſſoribusqve ipſius usqve ad tempora Sigismundi Auguſti lata ex Joanne Januszovio, qvi mihi tunc ſolus ad manus erat, deprompſi. Qvamvis non ignorem, Statuta à Joanne Herburto collecta, & ipſius Reipublicæ juſſu in Polonicum ſermonem converſa magis eſſe in uſu. Non pauca tamen poſtea, cùm mihi Conſtitutionum ab Herburto collectarum copia eſſet facta, cum illis, qvas ex Januszovio hauſeram, contuli, ut ex ipſis allegationibus apparebit. Neqve prorſus Conſtitutiones à Joanne Laſco, Jacobo Priluſio, Paulo Szerbic, Theodoro Zavvacki collecta prætermiſi, ſed ex illis qvoqve nonnulla, qvæ rariora videbantur, deprompta eſſe diligens Lector hinc in-

denotabis. A Sigismundi Augusti temporibus i.e. ab An.1550. usqve ad An.1625. extat Volumen Constitutionum ab Andrea Petricovio J.U.D. & Typographo Regio Cracoviæ cum Privilegio Sigismundi III. Regis Polonicè editum; qvod Volumen allegatum esse putabis, ubicunqve Constitutiones intra An.1550. & 1625. latas, sine ulla auctoris mentione à nobis esse citatas deprehendes. Ab Anno 1625. Constitutiones singulorum Comitiorum usqve ad præsentem Annum 1677. seorsim editæ sunt, qvarum etiam paginas, aut si illæ non sunt numeratæ, paragraphos ubiqve allegavimus. In Constitutionibus Lithvanicis usi sumus Statuto Lithvanico novissimæ Editionis, qvæ consensu Uladislai IV. totiusq; Reipublic. Varsaviæ An. 1648. prodiit. Constitutiones & Privilegia Prussica haben-

habentur in Juribus Municipalibus Prussiæ, ut & in Jure Terrestri Prussico, Jure Culmensi aliisqve Scriptis. Reliqva ex subjecto Scriptorum Polonicorum Catalogo cognosces. De cætero, si alicubi erravi, eò faciliorem mihi B.L. à te veniam promitto, qvò pauciores sunt, qvi mihi hac in re præiverunt. Fruere itaqve hoc opusculo, & si qvæ tibi meliora suppetunt, me de iis, amice, mone.

Regiomonti Prussorum
d. 22. Martii An. 1677.

Cata-

Catalogus qvorundam Scriptorum Polonicorum.

BAsko antiqvissimus Historiæ Polonicæ Scriptor MS. qvi ex aliorum citationibus aliqvando allegatur.

Vincentius Kadlubko Episc. Cracoviensis Sec. XII. Editus cum Commentatore suo Dobromili An. 1612. in 8.

Joannes Dlugossus Seculi XV. Scriptor, cujus Tom. I. Annalium Polonicorum prodiit Dobromili An. 1615. in Fol. Reliqvi duo Tomi adhuc MSS. in variis locis asservantur.

Matthias à Michovia Canonicus Cracoviensis. Hujus Chronicon Poloniæ habetur in Corpore Historiæ Polonicæ Tomo II.

Martinus Cromerus, Episcopus Varmiensis de Ortu & Rebus gestis Polonorum. Habetur in Corpore Historiæ Polonicæ à Pistorio edito Tom. II. Ejusdem Descriptio Poloniæ, inter Respublicas Lugduni Batavorum editas. An. 1627.

Alexander Gvagvinus Veronensis Italus scripsisse dicitur librum de Sarmatia Europæa, qvem tamen librum sibi vendicat Matthias Strykovvski Osfostevicius in Historia Lithv. non uno in loco. Habetur ejusdem Gvagvini Chronicon Regum Poloniæ, qvod reperitur in Corpore Historiæ Polonicæ Tomo II.

Salomon Neugebauerus scripsit Historiam Polonicam X. libris comprehensam. Hanov. in 4. An. 1618.

Matthias Strykovvski Ossostevicius scripsit Historiam Lithvanicam, qvæ Polonicæ An. 1582. Regiomonti prodiit in Fol.

Albertus Wijuk Kojalovvicz exhibet nobis in Historia sua Lithvanica Epitomen Strykovii. Prima pars impressa est Dantisci An. 1650. altera Antvverpiæ An. 1669. in 4.

Joannes Herburtus à Fulstin, Castellanus Sanocensis scripsit Compendium Historiæ Polonicæ. in 4.

Joan. Pastorii ab Hirtenberg Florus Polonic. in 12.

Joannis Demetrii Sulikovii Commentarii rerum, ab excessu Sigismundi Augusti gestarum. Dantisci in 4.

Andreæ Maximiliani Fredro Castellani Leopoliensis, nunc Palatini Podoliæ Historia Henrici I. Regis Poloniæ, & Fragmenta Politica. Dantisci in 12. An. 1660.

Stanislai Lubienscii Episcopi Plocensis Opera Antverpiæ edita An. 1643. in Fol.

Reinholdi Heidenstein Secretarii Regii Rerum ab excessu Sigismundi Augusti lib. XII. Francofurti An. 1672.

Stanislai Orichovii Annales Gedani An. 1643. in, qva tamen editione plurima sunt omissa ex iis, qvæ in Editione Dobromilensi reperiuntur.

Pauli Piasecii Episcopi Præmisliensis Chronica gestorum in Europa singularium. Cracov. An. 1645. in Fol. adjecti sunt nonnunqvam foliorum numeri lunulis inclusi ex Editione Dantiscana.

Jacobus Sobieski Castellanus Cracoviensis de Bello Chotimensi. Gedani in 4.

Sta-

Stanislai Kobierzicki à Kobierzicko Castellani Gedanensis, postea Palatini Pomeraniæ, Historia Uladislai Poloniæ & Sveciæ Principis. Dantisci An.1655. in 4.

Joachimi Pastorii Bellum Cosacicum. Dantisci An. 1652. in 4.

Everhardus Wassenbergius Embricensis de gestis Uladislai IV. Gedani An.1643. in 4.

Alios Scriptores Polonicos, Prussicos, Silesiacos, Pomeranicos, Bohemicos &c. passim allegatos invenies.

Catalogus Constitutionum Polonicarum.

Joannes Laski Cancellarii Regni & postea Archiepiscopi Gnesnensis Statutum Latinum. An.1506. in Fol.

Jacobi Prilusii Statutum Latinum. in Fol.

Joannis Herburti Statutum Latinum. Samoscii in Fol.

Joannis Herburti Statutum Polon. Cracov. An.1570. in Fol.

Joannis Januszovii Constitutiones & Statuta Latino-Polonica. Cracov. An. 1600.

Andreæ Petricovii Constitutiones ab An. 1550. usqve ad An. 1625. Polonico idiomate editæ, Cracoviæ in Fol.

Pauli Szerbic Secretarii Regii Promptuarium Statutorum omnium & Constitutionum. Latinè An.1604. Brunsbergæ. in Fol.

Theodori Zavvacki Compendium Constitutionum usqve ad An. 1613. Polonicè. in Fol.

ejusdem Flosculi Legum, Flosculi Practici, Speculum Senatorum & alii Tractatus. in 12. Cracoviæ.

Constitutiones recentiores seorsum semper finitis Comitiis eduntur.

Alberti Madalinski Inventarium Constitutionum Regni Polonicum. Varsav. An. 1632. in Fol.

CUM

CUM DEO.

LIBRI I.

CAP. I.

De *Populis antiquis Poloniam hodiernam & finitimas regiones inhabitantibus.*

I.

Historiam gentis Polonicæ, pro ratione instituti nostri, breviter pertractaturi, operæ precium facimus, si populos, qvi illum terrarum tractum, in qvem & olim SARMATICA GENS fuit diffusa, & hodiè adhuc diffunditur, finitimasqve Germanorum regiones cognoscere annitemur. Et primò qvidem de Sarmatia nobis qvædam dicenda sunt. Pomponius Mela, qvi sub Augustô & Tiberiô Impp. vixit, *Lib. 1. de Situ orb. c. 3. & lib. III. c. 4.*

III. c.4. Sarmatia, inqvit, *intus, qvam ad mare* (Balthicum) *latior, ab iis qvi seqvuntur Visulâ amne discreta, qvæ retrò abit, ad Istrum flumen immittitur.* Ptolemæus, qvi sub Antonio Pio Imp. floruit, dilucidius omnes gentes Sarmaticas enumerat, licet qvosdam Germaniæ populos malè immisceat: *Tenent*, inqvit, ille, *Sarmatiam gentes maximæ*, VENEDÆ, *per totum Venedicum sinum. Et super Daciam Peucini & Bastarnæ, & qvi totum Mæotidis latus Jazyges ac Roxolani, & qvi interiores sunt iis Hamaxobij & Alauni Scythæ: Minores autem gentes tenent Sarmatiam penes Vistulam qvidem fluvium, sub Venedis Gythones & Phinni, post Bulanes, sub qvibus Phrungundiones, post Avarini juxta caput Vistulæ amnis. Sub his Ombrones, post Anatrophracti, post Burgiones, post Arsyetæ, post Sabori, post Piengitæ & Biessi penes Carpatum montem. Jus omnibus orientaliores sunt sub Venedis qvidem iterum Galindæ & Sudeni & Stavani usqve ad Alaunos. Sub qvibus Igilliones & Cestoboci.* Hæc ille *lib. III. Geogr. cap. 5. fol. 51. seq. Edit. Græco-Latinæ Sansonii.* Conf. & Plin. *lib. IV. Hist. Nat. c. 13.* Contingebant itaqve Sarmatæ (qvi Græcis Sauromatæ dicuntur) antiqvissimis temporibus aliqvo in loco mare Balticum, ut ex datis descriptionibus cognoscimus, & hoc in Prussiæ parte Septentrionali, versus Samogitiam; item in ipsa Samogitia, Curlandia, & Livonia. Indè maris Balthici pars orientalior dicta est olim

olim sinus Venedicus, à Venedis Sarmatiæ populis. Nec aliundè forsan in Livonia, Wenden, Windau/Wschewende nomen habent, qvam à Venedis illis ibi locorum olim habitantibus. Has Regiones antiqva Sarmatia complexa, extendebat se ulterius versus meridiem & orientem ad Tanaim fluvium. In Sarmatarum itaqve sedibus hobiè Pars Prussiæ, Samogitia, Curlandia, Livonia, Masovia, Russia, Walachia, Moldavia, & aliæ gentes reperiuntur. Aliàs post Ptolemæi tempora in locum Venedorum successisse alios populos, sive illi fuerint Alani, sive Finni, & ad mare Balthicum in Prussia, Samogitia, Curlandia, Livonia consedisse probavimus alibi ex lingvâ, qvæ à Slavonica diversa est. *Vid. Origines Prussicæ, ut & Origines Pomeranicæ num. XI.*

II. Germanicas gentes describit nobis Plinius *lib. IV. cap. 14.* ubi Germanorum qvinqve facit genera. VINDELICOS, f. ut alii legunt VINDALOS, INGÆVONES, ISTÆVONES, HERMIONES, & tandem PEUCINOS & BASTARNAS. Inter VINDELICOS sive VINDALOS & VANDALOS numerat BURGUNDIONES (ubi hodiè Polonia major) VARINOS (ubi hodiè Mecklenburgensis Ducatus) CARINOS (ubi Pomerania) GUTTONES. (ubi Pomerellia & pars Prussiæ nostræ.) Inter INGÆVONES numerat CIMBROS & TEUTONES. (ubi Holsatia & Julia)

ISTÆVONES Rheni accolas facit. HERMIONES in mediô collocat (ubi hodiè Bohemi, Svevi, Francones &c.) PEUCINOS & BASTARNAS Dacis (qvi hodiè Transylvani) conterminos fuisse refert. Plenius hæc intelliguntur, si addamus ea, qvæ proponit Corn. Tacitus *lib. de morib. Germ.* Nam cap. II. *Celebrant*, inqvit, *carminibus antiqvis (qvod unum apud illos memoriæ & annalium genus est) Tvistonem Deum terrâ editum, & filium Mannum originem gentis conditoresqve Mannio tres filios assignant, è qvorum nominibus proximi Oceano INGÆVONES, medii HERMIONES, cæteri ISTÆVONES vocentur. Qvidam autem licentiâ vetustatis plures Deo ortos, pluresqve gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Svevos, Vandalios, affirmant.* Et *à cap. XLII. usqve ad finem libelli*, HERMUNDUROS collocat in iis locis, ubi oritur Albis, (ubi hodiè Bohemia) juxta hos NARISCOS, ac deindè MARCOMANNOS ponit. (ubi Bohemi & Moravi) Inde QVADOS (ubi Moravi & pars Silesiæ) Hinc versus septentrionem LYGIOS. (ubi Silesia septentrionalis, & pars Poloniæ.) Trans Lygios GOTHONES regnari dicit. (ubi Pomerellia & Prussiæ pars.) Protenus deinde ab Oceanô RUGIOS & LEMOVIOS (ubi Pomerania & Lawenburg præfectura.) Hinc SVIONUM Civitates ab ipso Oceanô. (mari Balthico) In dextrum Svevici (Baltici) maris littus ÆSTIORUM gentes conjicit (hi sunt nostri Prussi & Livoni. Ætii enim jam antè Jul. Cæsarem successerunt in locum Venedorum, qvod non observans Ptolemæus Venedos adhuc suô tempore malè ad mare Balticum & sinum Finnicum collocat) apud qvos *Glessum* (Glaß) sive Electrum, sive succinum reperiri dicit. PEUCINORUM (qvi ad vistulam in finibus Sarmatiæ habitabant) VENEDORUM & FENNORUM nationes Germanis, an Sarmatis adscribere debeat, dubitat. Verba ipsius hæc sunt cap. XLVI. *Peucinorum Venedorumqve & Fennorum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito, qvanqvam Peucini, qvos qvidam Bastarnas vocant, sermone, cultu, sede ac domiciliis ut Germani agunt. Sordes omnium ac torpor. Procerum connubiis mixtis nonnihil in Sarmatarum habitum fœdantur. Venedi multum â moribus traxerunt. Nam qvicqvid inter Peucinos Fennosqve Sylvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant. Hi tamen inter Germanos potius referuntur, qvia & domos figunt & scuta gestant & pedum usu ac pernicitate gaudent, qvæ omnia diversa Sarmatis sunt in plaustro eqvoqve viventibus. Fennis mira feritas.* &c. Hæc ille Conf. Strabo *lib. 7. Geogr. à pr.* Phil. Cluver. *in German. Antiq. lib. III. c. 24. & seqq.* Joh. Micræl. *in Chron. Pomeran. lib. I. per tot.*

III. Anteqvam ulterius progrediamur, notandum hic est, qvòd multi Vandalos s. Vindalos

los s. Vindelicos cum Venedis confundant ob vicinitatem vocum. Et Saxo Grammaticus, Danicarum rerum scriptor antiqvus semper confundit Slavos cum Vandalis, & qvicqvid tribuendum erat Vandalis, illud ipse tribuit Slavis, ut notat Albertus Crantzius *lib. I. Wandal. c. 6.* Sed & Cranzius ipse, ut & Continuator ejus Chytræus, aliiqve qvamplurimi, inter qvos præcipuè nominandus est Stanislaus Sarnitius *in Annal. Polonorum*, repræhensionem incurrunt, qvando Vandalos & Venedos pro unô eodemqve populô habent. Diversissimas autem illas fuisse gentes, facilè probari potest. Nam primò expressè audivimus Plinium *lib. IV. c. 14.* & Tacitum *lib. de morib. German. c. 2.* Vandalos numerare inter Germanos, qvorum populi fuerunt Burgundiones, Varini, Carini, Guttones, populi ad maris Baltici partem occidentalem. Methodius Martyr epistolam qvandam produxit à Vandalis ad Constantinum Imperatorem scriptam, qva se illi Germanos esse publicè professi sunt. *Vid.* Fr. Irenicus *Exeg. Germ. lib. I. cap. 33.* Paulus etiam Diaconus *lib. I. de Gest. Longob. c, 1. Gothi siqvidem*, inqvit, *Wandaliqve, Rugi, Heroli atqve Turcilingi, nec non etiam aliæ feroces & barbaræ nationes è Germania prodierant.* Hæc ille. Deindè patet hoc etiam ex lingvâ Wandalorum, qvæ Germanica fuit: *Eodem*, inqvit Paulus Diaconus, *tempore* (Theodosii II.) *erant Gothi & aliæ gentes multæ ac maximæ Trans Danubium in Hyperboreis locis habitantes, ex qvibus rationabiliores qvatuor sunt, Gothi scilicet, Hypogothi* (Huisigothi) *Gepides, & Wandali, nomen tantùm & nihil aliud mutantes, unâqve lingvâ utentes.* lib. 14. *Hist. Miscellæ ante med. pag. 429. Edit. Basil. in 8. An. 1569.* Idem de lingva Wandalorum Germanica ex multis nominibus tum propriis tum appellativis probat Hugo Grotius *in Hist. Goth. & Wandal. p. 574. & seqq.* Verùm Venedi ad littus maris Baltici orientale olim habitantes, non ad Germaniam, sed ad Sarmatiam referuntur, ut supra Ptolemæum audivimus asserentem. Hi deinde ad Vistulæ amnis ortum successu temporis progressi sunt, teste Jornande Sec. VI. scriptore *lib. de Reb. Geticis cap. 2. pag. 1058.* Qvi cùm dixisset Gothos è Scantiâ in Ulmirugiam progressos, subjugasse vicinos suos Vandalos, postea ad Sarmatiam describendam accedit, in qvâ recenset Venedos: *Introrsus*, inqviens, *Scythiæ Datia est ad coronæ speciem arduis alpibus emunita, juxta qvorum sinistrum latus, qvod in Aqvilonem vergit, & ab ortu Vistulæ fluminis per immensa spatia venit. Vinidarum natio populosa consedit. Qvorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Slavini & Antes nominantur. Sclavini à Civitate novâ & Sclavinô Rumenense, & Lacu qvi appellatur Musianus usqve ad Danastrum & in boream Vistulatenus commorantur. Antes verò qvi sunt eorum*

fortiſſimi, qvi ad Ponticum mare curvantur à Danaſtrô extenduntur usqve ad Danubium. Deindè expreſsè etiam Venedos Sarmatis accenſet tabula ex Bibliotheca Peutingerorum edita à Marcô Welſerô, Vid. Hug. Grotiô *in Prolegom. ad Hiſt. Goth. & Longob. pag. 78.* Lingvam qvoqve Venedorum ſ. Slavorum toto cœlo à Germanicâ differre nemo negare poterit. Indè etiam hodiè Vendorum lingva (die Wendiſche Sprache) ab omnibus illa dicitur, qvæ eſt Slavonica. Illud verò turbare nos poſſet, qvod habet Procopius, de ſedibus Vandalorum: *Wandali*, inqvit, *intereà circa Mæotidem conſidentes, ubi fame preſſi ſunt in Germanos irruunt, qvi nunc Franci dicuntur, ſimulqve Rhenum fluvium trajecerunt, in ſocietatem Alanos, Gothicum, & ipſum genus adſciſcentes, inde poſtea duce Gogidiſco in Hiſpaniam penitmvere.* Hæc Procopius *lib. I. de Bel. Wandal. cap. 3. pag. 153.* Cum qvibus ferè coincidunt, qvæ ex Jornande paulò ante adduximus. Ex qvibus conficere qviſpiam poſſet, hos Wandalos prorſus alios eſſe ab illis Wandalis ad maris Baltici litus occidentale in Germania habitantibus, propiusqve illos accedere ad Venedos, qvos Sarmaticam eſſe Gentem jamjam probavimus. Verùm reſpondemus Vandalorum partem cum Gothis à mari Balthicô progreſſam ad Pontum Euxinum & Paludem Mæotim conſediſſe, teſte Procop. *lib. 4. Hiſt. Goth. Non ita long. à pr.* Inde transmiſſo Danubio per Pannoniam & Germaniam tandem intraſſe Galliam. Hinc tamen non ſeqvitur Vandalos qvi ad Paludem Mæotim & Venedos, gentem Sarmaticam, unam eandemqve fuiſſe.

IV. Cognitis jam populis Germanicis, & qvi eos olim contingebant populis Sarmaticis ſive Slavicis, operæ pretium erit inveſtigare, qvô tempore Slavi ſ. Sarmatæ ſ. Venedi Germaniam ingreſſi ſint. Fabuloſa ſunt, qvæ Vincentius Kadlubko Epiſc. Cracov. in princ. Sec. XIII. (vel potius Joannes Archiep. Gnesn. & Matthæus Epiſc. Cracov. Sec. XII. qvorum Epiſtolæ, tres priores libros apud Kadlubkonem conficiunt) de Sclavis & Polonis ſcribit, has gentes jam ante Alexandri M. illas oras obtinuiſſe, *lib. I. Chron. Polon.* Nec majorem merentur fidem, qvæ refert Saxo Grammat. de bellis Slavorum ante & poſt Chriſtum Natum cum Danorum gente geſtis; cui adſtipulatur etiam Stan. Sarnicius *in Annal. Polon.* Hæc enim omnia Vandalis Germanicæ genti, adſcribenda erant. Audivimus enim Sec. I. & II. poſt Nativit. Chriſti Germaniam à Sarmatia ſive Venedorum gente qvæ Slavica deinde dicta eſt, diſterminaſſe Viſtulam amnem. Imò Sec. adhuc poſt Chriſt. Nat. VI. tempore Juſtiniani I. Imp. Slavi nondum erant Viſtulam transgreſſi, ut ex Jornandis teſtimonio num. III. allegato apparet. Primæ tamen Venedorum ſive Slavorum excurſiones Iſtro transmiſſo

missso in Thraciam & Illyricum contigerunt, tempore ejusdem Justiniani I. ut ex Procopii *lib. 3. de bello Goth. cap. 6. fin. p. 539. c. 7. pag. 537. seq. cap. 21. pag. 614. 620. 622.* & ex Jornandis *lib. de success. Regnor. & temporum in fin. prorsus pag. 1048.* apparet. Cùm itaqve in Thracia Illirico &c. ipsis res successisset, videntur circa fin. Sec. VI. aut pr. Sec. VII. Germanorum Provincias ad mare Balticum & ad Vistulam, Oderam, Albim, Salam, amnes occupasse. Cùm enim Sec. V. post Christ. Nat. Gothi sive Guthones, Vandali, Longobardi, Rugii, Angli, Burgundiones, sedibus suis exciti, Galliam, Hispaniam, Brittanniam, Italiam, Africam inundassent, totumqve hunc tractum ad mare Balthicum Vacuum ferè reliqvissent, hinc Venedi, qvi & Sarmatæ dicti sunt, vacuas Germanorum sedes facilè potuerunt occupare. Ne verò qvid ad famam nominis sui deesset, videntur sibi seculo VI. cùm vicinos populos ultra Danubium sibi subjecissent, nomen Slavorum imposuisse, à *Slawa* i. e. fama, gloria. Hinc Slavi, qvos alii Slavinos vocant, iidem sunt qvi gloriosi, laudabiles, ut ex aliis nominibus Slavonicis qvamplurimis apparet. Sic enim, ut qvædam addamus, *Wladislaus* dicitur, i. e. gloriam habens à potentiâ *Wenceslaus* i. e. major gloria. *Boguslaus* i. e. Dei gloria. *Miecislaus* i. e. gloriam gladio qværens. *Vid.* Cramer. *lib. I. de ortu & Reb. gest. Polon. cap. 8.* Approbat has Derivationes & Dithmarus

rus Mersburgensis Seculi XI. scriptor Germanicus, qvi de Boleslao Chrobri loqvens: *Bolislaus*, inqvit, *qvi major laus non merito sed more antiqvo interpretatur* lib. IV. p. 83. Petrus Albinus, diligens harum rerum indagator Slavos in Germaniam venisse putat Sec. VII. sub Heraclio Imp. In der Mäyßnischen Land-Chronick *Tit. 6. fol. 70. seqq.* qvæ conciliari possunt, si dicamus, adventum Slavorum in Germaniam non unô tempore contigisse, sed sensim, vix hoc observantibus seqventium Seculorum Historicis. Qvod verò circa ea tempora illæ migrationes contigerint cognoscere possumus ex primis bellis Slavorum & Francorum sub Rege Clotario II. qvi cùm audiret suô tempore Thuringos premi à Slavis Sorbis, bellum ipsis intulisse scribitur, An. 618. eosqve jam tum sub jugum misisse memoratur. Albin. *Tit. 8. fol. 84.* Eousqve jam progressi fuerunt sub Heraclio post princ. Sec. VII. Nam Aimonius *lib. IV. de gest. Francor. cap. 9. in corp. Hist. Francicæ fol. 360. &c.* de Slavis etiam scribit: *Anno 40. principatus Clotarii Samo Francus de pago Senonico Mercator Slavos, qvi etiam Vinidæ dicuntur) duxit contra Hunnos, qvibus illi serviebant, eosqve fudit. Hinc ob merita à Slavis factus Rex de negotiatore, per triginta sex annos strenuè regnum gubernavit.* Hujus Clotarii filius Dagobertus Rex Francorum gessit itidem bellum cum Slavis. Imò Saxones liberavit à tributo, eâ conditione, ut Slavos subjuga-

jugarent. Aymon. *lib. IV. de gest. Franc. fol. 369.* conf. Petr. Albin. *Tit. 8. fol. 84. & seqq.*

V. Cum Slavi sive Venedi Germaniam intrassent, longè latèqve imperium suum protulerunt. Et cum etiam in locum Vandalorum succeßissent, confundi cœperunt nomina Vandalorum & Venedorum (der Wandalier und Wenden) Ita ut post ea tempora pro uno eodemqve populo haberentur. Qvasnam autem provincias in specie Venedi seu Slavi Germanis ademerint optimè nos docet Adamus Bremensis Sec. XI. Scriptor *lib. I. Hist. Eccl. c. 10. (63. & seqq.)* & centum annis ipso recentior Helmoldus Presb. Bosoviens. (obiit hic an. 1170.) *lib. I. Chron. Slav. cap. 2.* Qvi præter Polonos, Moravos, Bohemos, aliasqve Slavonicas gentes numerant in Germania I. *Pomeranos.* II. *Lebusios, Stoderanos* & *Wilinos* (Berlinenses, Brandenburgenses) III. *Brizanos* (Prignicenses, Perlebergenses.) IV. *Havellanos. Helveldos* & *Hevellos.* (Havelbergenses) V. *Sidinos* (Stetinenses) Deindè *Wilzos* numerant, qvi & *Luticii* & *Velatabi* dicuntur, & qvatuor sunt generum, ut sunt VI. *Circipani.* (Wolgastenses, Sundenses, Demminenses, Wilsnacenses) VII. *Kissini.* (Guzkovienses, Grypsvvaldenses) VIII. *Redarii, Ridarii, Riaduri* (Stolpenses, Anclamenses) IX. *Tollenzi.* (Neubrandeburgenses) Hactenus Wilzi. Seqvuntur X. *Warnavi, Warini, Heruli, Werli,* & κατ' ἐξοχὴν *Wendi* (Rostochienses, Buzovienses, Gustrovienses) XI. *Obotriti* (Mechlenburgenses, Sverinenses) XII. *Polabi, Polavi.* (Raceburgenses) XIII. *Wagrii* (Lubecenses, Aldeburgenses) XIV. *Rani*, qvi & *Rugiani.* XV. *Lingones, Lini.* (Luneburgenses) XVI. *Sorabi, Serbi.* (Servestani, Lusati, Misnenses) His populis Slavicis ab aliis accensentur & XVII. *Ulcbri* s. *Ucri.* (incolæ Ukranæ Marchiæ) XVIII. *Dalemincii* (pars Misnensium) Leguntur etiam XIX. *Licikavi.* (forsan in Lusatia) & XX. *Susi* s. *Sliusi* (qvi sunt hodierni Silesii) *Vid.* Henr. Bangertus *in Notis ad Helmoldi lib. I. Chron. Slav. cap. 2. pag. 9. & seqq.* Ex his facilè apparet, qvanta tum temporis fuerit Slavicarum gentium multitudo. Venedicis autem illis gentibus dubio procul fuerunt aliæ qvoqve gentes immixtæ, ut in Originibus Pomeranicis probavimus. Consulantur de his Cromerus *lib. I. de ort. & reb. gest. Pol. per tot.* Ph. Cluverus *in Germ. Antiq. lib. III. cap. 46.* Melch. Goldast. *lib. I. de Regno Bohem. cap. 9.* Hug. Grotius *in Prolegom. ad Historiam Goth. Wandal. & Longob.* Bangertus *l. c.* & alii. Stanislaus Sarnitius verò *qvi tribus prioribus libris Annal. Polon. hunc sibi laborem sumpsit*, cautè est legendus.

CAP.

CAP. II.

De

Polonis eorumqve rebus gestis.

I.

INter Slavicas gentes, qvæ longè lateqve per Europam Imperium suum extenderunt, non minima & olim jam à Seculo VII. fuit Polonia. Poloniæ nomen variè varii derivant. Commentator Vincentii Kadlubkonis (qvi in princ. Sec. XV. sub Wladislao Jagellone vixit, antè Joan Dlugossum, ut ex fine Commentariorum patet) derivat nomen hoc *à polo Arctico*, citatqve in hanc sententiam hymnum de S. Stanislao, qvi sic inter alia habet: *Ut res gesta protestatur, verax nomine eloqvatur, à polo Polonia.* Vel etiam à *Pole* Castro, qvod in finibus Pomeraniæ situm fuerat antiqvitus, *in Præfat. ad lib. I. Kadlubkonis pag. 6.* Alii, ut Sarnitius *lib. I. Annal. Polon. fol. 22.* à *Pola* urbe Colchica, unde Lechus progressus nomen suis dedisse fertur. Alii iterum *Polachos* à *Lecho* primo Polonorum Principe dictos esse volunt. *Vid.* Martin. Cromer. *lib. I. de Ortu & Reb. gest. Polon. cap. XIII. & XV.* Pleriqve nomen illud derivant à *Pole* qvod

qvod campum significat, qvoniam Polonia campestris est Regio, nec facilè in excelsos assurgit montes. Sed utut hæc probabilia videri possunt, nos tamen putamus, hoc nomen cujusdam Sarmaticæ gentis antiqvissimum esse, qvod jam Ptolemæi tempore habuit, anteqvam campestrem hanc regionem ingrederetur. Audivimus enim *cap. 1. num. 1.* ex Ptolemæo ad vistulam amnem collocari BULANOS, Sarmaticam gentem, qvod idem esse nomen cum Polonis facilè concedet, qvi apud antiqvos Germanicos scriptores legerit, nostros Polonos appellari Bolanos vel Bolanios, ut apud Wipponem aliosqꝫ. Ex qvibus iterum patet, non posse simpliciter approbari sententiam Cromeri, qvi nomen hoc ante Justiniani tempora non inveniri putat, cum demum apud Procopium *lib. I. Hist. Goth. ut & lib. III. & IV.*) & Jornandem *(lib. de Reb. Gethicis)* seculi VI. scriptores, extet *Vid.* Cromer. *l. 1. cap. 8.* Poloniam, ut communiter habent scriptores Polonici, primò habuere duces; deinde Reges; hinc iterum duces, donec tandem iterum ad Reges Imperium devolveretur. Hos Polonorum Principum seriem præsente capite in certas classes dispescemus, in singulis notabiliora, de qvibus in seqventibus non dabitur dicendi occasio, breviter memoraturi. Commodè verò Polonorum Principes dividemus in qvatuor classes. *Prima* erit à Lecho I. Sec. VI. usqve ad Popielum II. Sec. IX. *Secunda* Familia

lia eſt Piaſtidarum, à Piaſto cive Cruſvicenſi, usqve ad Caſimirum M., qvem ſecutus eſt unus extraneus, nempè Ludovicus Hung. Rex ſub fin. Sec. XIV. *Tertia* eſt Jagellonidarum, ubi familia Magnorum Ducum Lithvaniæ rerum potiebatur in Polonia, à Uladislao Jagellone usqve ad exitum Sigiſmundi Auguſti. *Qvarta* claſſis continet diverſas familias usqve ad hodiernum Regem Sereniſſ. Joannem III.

II. Qvod ad primam attinet claſſem, notanda eſt primò ſeries Ducum Poloniæ. Ea verò hæc eſt.

Lechus I.

Duodecim Palatini

700. *Cracus.*

Lechus II.

750. *Wenda.*

Duodecim Palatini.

760. *Præmislus ſive Leſcus I.*

804. *Leſcus II.*

810. *Leſcus III.*

815. *Popielus I.*

830. *Popielus II.*

Qvæ de hujus claſſis Ducibus memorantur, ea non adeò ſunt certa, idqve ob defectum Veterum Hiſtoricorum. Polona enim Gens in præclaris rebus gerendis, qvàm in iis qvæ geſſiſſet memoriæ prodendis occupatior olim fuit, adeò Joh. Dlugoſſus, (qvi Sec. XV. ſub Caſimiro Jagellonide Annales ſuos condidit, qvorum Tomus I. prodiit Dobromili An. 1615.) in Epiſtola Dedicatoria ad Zbigneum Olesnicium Epiſc. Cracovienſem ſcribat: *Pauciſſimi Principes & Reges cæteriqve Polonorum Heroës, ſuorum facinorum meruerunt ſcriptores, nonnullorum verò fama cùm ipſis ſepulta & extincta eſt.* Et poſtea. *Nonnulla,* inqvit, *Hiſtoriis & Annalibus Polonorum parum concinnè parumqve pudicè, & qvæ faſtidium exagitant inſerta, fabularum ineptias redolentia, prorſus Poëticis magis figmentis decora, qvam ſinceræ Hiſtoriarum traditioni conſentanea præcidi repudiaviqve, ne vas purum & fidele juxta qvoq; vetus proverbium: oleum ſimul & operam perditurus infectum incruſtatumqve ex modico fermento ire contingat. Qvoniam neqve vetuſtiori tempore nec avorum authoritate ab evidenti figmento apud rerum & Hiſtoriarum peritos poterant licitè defendi. Cætera verò etſi vera aut veris ſimilia putentur; non tamen ea ſic affirmari auſim, ut veri periculum mihi & in meum caput aſſumam, & editionis hujus aſſertio ex fide liberetur mea, tum qvod res vetuſtæ & abolitæ conjecturis illuſtrare & opinionibus neqvirent, tum qvia nimia vetuſtate res ſcribendæ obſcuratæ ſunt, & longioris ævi ſpacio repelline an acceptari debeant, dignoſci ad liqvidum non poſſunt; tamen qvod raræ ſub iisdem temporibus apud Polonos ac penè nullæ fuère literæ, una omnium operum atqve eventuum humanorum fides induſtria, & ſi qvæ in privatis aut publicis fuere*

fuere monumentis, ea crebris, Polonis ea tempestate ferè omnes ædes & arces suas ex ligno fabricantibus, periere incendiis. Qvæ verò diligentiori fuêre in nostram ætatem traducta custodiâ, pauca fuere, & hæc ipsa nodosa & truncata, ex qvibus per nos propagari ad liqvidum vetustatis memoria non poterat. Antea etiam Dlugossus dixerat, se *qvædam tantùm ex fama, qvæ sola durabat, scrupulosius, sinceriusqve, qvàm poterat, descripsisse.* Qvæ omnia hic prolixius fuerunt exscribenda, ut cognoscamus, qvantam fidem mereantur antiqvi scriptores Polonici, in vetustis Historiis enarrandis.

III. Præsertim verò nemo Polonorum defendet ea, qvæ Vincentius Kadlubko, (Sec. XII. Scriptor, qvi jussu Casimiri Justi Principis Poloniæ, qvatuor libros Historiæ Polonicæ condidit) vel etiam antè eum Johannes Archiepiscopus Gnesnensis, & Matthæus Episcopus Cracoviensis, ex qvorum epistolis Kadlubko tres priores libros Historiæ suæ contexuit, de primis Poloniæ Principibus tradit. Lechum videlicet vixisse longè ante Alexandrum Magnum. Gracum etiam è Carinthia reversum, antè Alexandri Magni tempora, his in oris Regem & Legumlatorem fuisse. *lib I. epist. IV. pag. 32.* Post Wendam Reginam Polonos de Alexandro Magno triumphâsse. *lib. I. Epist. VIII. p. 48. seqq.* Lescum Aurifabrum ob devictum Alexandrum in Principem electum. *lib. I. Epist. X.* Lescum III. Gethis, Parthis, Tranparthanis Regionibus imperâsse; de Julio Cæsare ter victoriam reportâsse; Crassum etiam apud Parthos cum omnibus copiis delevisse, ipsiusqve ori aurum infundendo dixisse: Aurum sitisti, aurum bibe. Lescum eundem Julii Cæsaris sororem uxorem duxisse, ex eaqve ut & aliis concubinis 20. filios suscepisse. *lib. I. Epist. XVI. p. 77. seqq.* Alias nugas jam non tango. Ex his enim jam manifestum est, qvid sit de eorum temporum Historia Polonica sentiendum. Plura forsan talia occurrunt in Baskone & Gallo primis Polonorum Historicis. Qvamvis multa qvoqve bona sine dubio in illis reperiantur. Optandum itaqve esset, ut ipsos Poloni typis impressos publici juris facerent, qvod jam promiserat Kadlubkonis Editor, sed non stetit promissis.

IV. Deindè neqve hoc fidem meretur, qvod qvidam asserunt, olim Polonicis Principibus subjectam fuisse non tantùm hodiernam Poloniam & Silesiam; sed & Lusatiam, Pomeraniam, Mekleburgicum & Luneburgicum Ducatus, Marchiam Brandeburgicam, Misniam & partem Saxoniæ. Asserunt etiam LESCUM III. has provincias ita divisisse, ut *Popielo* I. filio legitimo relinqveret Principatum Poloniæ, reliqvis verò illegitimis attribueret modò dictas provincias in Germania hodierna. Et qvidem secundum hanc relationem *Boleslao, Barvino* atqve *Bogdalo* obtigit Pomerania. *Casimiro* & *Wladislao*

dislao Cassubia. *Jaxæ* & *Semiano* Serbia sive Sorabia. *Uratislao* Roma s. Rugia. *Pribislao, Casimiro* & *Othæ* Ditivonia qvæ nunc Lusatia. *Præmislao, Zemovito & Ziemomislo* ea qvæ Marchia nunc dicitur Brandeburgensis. *Vislao* Miedziborum arcem (nunc Magdeburgum dicitur) *Sobeslao* Daleburgum, *Vissimiro* in littore Oceani Wissimiria qvæ hodiè Wismaria. Ab his conditas esse illas urbes asserunt: Bremam, Luneburgum, Bucoviciam (hodiè Lubeca dicitur) Bacchiborum, Zverinum, Meckleburgum, Rostocum, Werlam, Svanovum &c. *Vid.* Kadlubko *lib. I. Epist. XVI. p. 77. seqq.* J. Dlugoss. *Tom. I. lib. I. fol. 64. & seq.* Cromer. *lib. II. in Lesco III. fol. 425. seqq.* & alii plures, inter qvos Illustriss. Andreas de Pilca Coricinius Castellan. Vislicens. de primis Polonorum Principibus verba faciens, longitudinem Poloniæ à gr. 32. ad gr. 60. versus Tanaim amnem extendit: latitudinem verò à montibus Sarmaticis usqve ad mare Balticum à gr. 49. usqve ad gr. 57. *In Perspect. Polit. cap. 2. pag. 16.* Nos dictis assensum dare nostrum non possumus. Certum enim est, primò Slavonicas gentes olim fuisse varias, nec ab uno aliqvo Principe regnatas. Plurimæ videlicet ipsorum fuerunt, Respubl. liberrimæ, sine Regibus viventes, & ante ingressum in Germanicas oras; nisi qvod belli temporibus Principes sibi i. e. belli Duces eligerent, qvi tandem successu temporis Imperium sibi apud eas gentes

tes acqvisiverunt hæreditarium. Testatur illud qvod primo loco diximus Procopius Sec. VI. Scriptor, de suo, & antiqviori tempore: Antarum, inqviens, Sclavinorumqve nationes non ab homine aliqvo uno reguntur: sed ab antiqvo plebeja communiqve libertate vivunt, & idcircò res omnes, qvæ vel utiles sint, vel fortè difficiles in commune consilium deducuntur. *lib. III. de Bell. Goth. cap. 7. p. 542.* Post ingressum in Germaniam Slavos non habuisse unum Principem cognoscimus ex Dithmaro Episc. Mersburg. Sec. XI. qvi de Slavis Luticiis: *Illis*, ait, *Dominus specialiter non præsidet ullus. Unanimi consilio ad placitum suimet necessaria discutientes, in rebus efficiendis omnes concordant.* lib. VI. *Hist. pag. 136.* Et Helmoldus cùm populos Slavorum enarrâsset, subjicit: *Rani qvi & Rugiani gens fortissima Slavorum* (in hodierna Germania degentium. De Polonis enim & Bohemis &c. ibi non agit) *qvi soli habent Regem extra qvorum sententiam nihil agi de publicis rebus fas est, adeò metuuntur propter familiaritatem Deorum, vel potius Dæmonum.* Hæc Helmoldus. *lib. I. Chron. Slav. cap. 2.* Has liberrimas gentes verisimile non est jugum fuisse subituros spuriorum Lesci II. filiorum. Præterea Sorbi, Wilzi & alii Slavi plurima atqve gravissima bella gessisse leguntur pro se, suisqve auspiciis, qvibus tamen Poloni non fuerunt implicati. Ex qvibus omnibus satis superqve apparet, illas

 gentes

gentes non agnovisse Polonorum Imperium. Ex parte orientali qvoqve non videtur verosimile, Polonos usqve ad Pontum Euxinum & Tanaim imperâsse. Præterqvam enim qvod seqvens Historia abundè demonstret, qvando Lithvania, Prussia, Russia, Poloniæ accesserint, hoc etiam testantur Historici eorum temporum, Poloniam versus orientem usqve ad Russiam tantùm fuisse extensam. Vid. Adamus Bremens. *lib. de Situ Daniæ & reliqvorum Septentr. Regnorum pag. 145.* & Helmoldus *lib. I. Chron. Slav. cap. 1. n. 9.* Russia verò Poloniam contingebat ad vistulam amnem, ut infra patebit. Rectè itaqve fines veteris Poloniæ definiemus, si dixerimus, ad eam pertinuisse hodiernam majorem minoremqve Poloniam, item Masoviam, Silesiam, Marchiæqve novæ partem.

V. Memorabiliora qvæ de hac communiter traduntur periodo, paucis jam percurremus. LECHUS primus Polonorum Princeps Annonis filius, & Czechi Russiqve frater *(ut habet Commentator Kadlubkonis in Præfat. pag. 8.)* conditurus urbem, invenit in eo loco, ubi primæ urbis fundamenta jecerat, nidum aqvilinum. Hinc urbem recens conditam à nido, qvi Polonis *Gniazdo* dicitur, appellavit Gnesnam; Aqvilam verò insignia Regni Poloniæ esse voluit. Post Lechum, (vel post Lechi stirpem, ut Vapovius vult) extinctum, præfecerunt sibi Poloni DUODECIM PALATINOS i. e. Belli Duces (à *Woina*

(à *Woina* bellum, & *Wodz* Dux) penes qvos non tantum belli, sed & pacis esset arbitrium, *teste* Dlugosso *Tom. I. lib. I. fol. 57.* Horum postea impotenti dominio offensi, imperium GRACO s. GRACCHO, sive etiam CRACO detulerunt, (Bohemici verò Scriptores Cracum hunc Bohemiæ Principem fuisse asserunt) qvi imperio optimè præfuit, adeò ut in ipsius honorem posteri urbem Cracoviam condiderint, ab ejus nomine ita appellatam; filiæ qvoqve ejus post Lechi II. (filii Craci) fata imperium tradiderint, cui nomen WENDA. Hæc maluit ipsa esse Rex, qvam Regis uxor, inde Ridigeri cujusdam Germanici Principis (qvem Micrælius *lib. II. Chron. Pomeran. num. 22. pag. 161.* putat fuisse Principem Rugianum) nuptiis spretis, cum ipsum justo profligasset bello, seipsam præcipitem dedit in Vistulam amnem, ut illibatam usqve ad mortem servaret virginitatem. Commentator Kadlubkonis, qvamvis malè, inde Fluvium vistulam dictum esse Wandalum & Poloniam Wandaliam, asserit *in præfat. pag. 8.* Post Wandam iterum DUODECIM PALATINI creati sunt. Post hos creatus est Princeps PRÆMISLUS sive LESCUS I. Aurifaber, qvoniam singulari stratagemate non Alexandrum M. ut supra audivimus Kadlubkonem referentem, sed Hungaros & Moravos, ut alii referunt, profligaverat. Hôc extincto, cursus eqvorum instituitur, ut qvi primus ad metam pervenisset, ejus

Dominus, Princeps esset Poloniæ. Tum Lescus qvidam stratis in arena acutis stylis, qvibus currentium eqvorum pedes læderentur, stadium aliis impedivit, ipse verò primus metam attigit. Munierat enim pedes eqvorum ferreis soleis, qvod tum inusitatum erat. Hinc Rex salutatur. Sed patefactâ fraude Lescus ille concerpitur, suffecto alio infimæ sortis homine, qvi fraudem iterato cursu ludicro patefecerat. Hic itidem LESCI II. nomen adeptus est. Si qvis fabulas fabulis cumulare voluerit, poterit dicere, hinc originem traxisse morem illum, qvod Poloni soleant ocreas suas ferreis laminis munire. Lescus II. reliqvit filium LESCUM III. qvi, Principatu Poloniæ Popielo seniori filio legitimo tradito, provincias reliqvas Slavonicas inter viginti filios illegitimos divisisse falsò memoratur. Hic porrò Principatum transmisit in filium POPIELUM, sive, ut eum vocat Dlugossus, POMPILIUM II. Hic morbum simulans instinctu uxoris, patruis illis viginti convocatis venenum propinavit, ipsis qvasi jam ultimum valdè dicturus; idqve eô fine, ut provincias Slavicas iterum sub suam unius redigeret potestatem. Sed secuta est statim à tergo divina Nemesis. A muribus enim corrosus esse dicitur cum omni familia, manifestum Divinæ in parricidas Vindictæ ad seram posteritatem exemplum futurus. Et hic finis est periodi primæ.

VI. In secunda classe Principum Poloniæ qvi

qvi â Piasto genus ducunt, â Sec. IX. usque ad fin. Sec. XIV. hi numerantur Duces.

842.	*Piastus Rusticus sive Civis Crusvicensis regn. an.*	19
861.	*Ziemovitus*	31
892.	*Lescus IV.*	21
913.	*Ziemomyslus*	51
964.	*Miecislaus. Primus Princeps Christianus*	35
999.	*Boleslaus I. Rex Polon.*	25
1025.	*Miecislaus II.*	9
1041.	*Casimirus I.*	17
1059.	*Boleslaus II. Audax ultimus Rex*	22
1082.	*Wladislaus I. Hermannus*	20
1103.	*Boleslaus Krzgwousti*	36
1140.	*Wladislaus II.*	6
1146.	*Boleslaus IV. Crispus*	27
1174.	*Miecislaus Senex*	4
1178.	*Casimirus II,*	16
1195.	*Lescus Albus*	4
1199.	*Miecislaus Senex iterum.*	
	Lescus Albus iterum.	
1202.	*Miecislaus Senex Tertium.*	
1203.	*Wladislaus Lasconogus*	3
1206.	*Lescus Albus Tertium*	20
1226.	*Boleslaus IV. Pudicus*	53
1279.	*Lescus Niger*	10
1295.	*Præmislus Rex* *menses 7.*	
1296.	*Vladislaus Locticus*	4
1300.	*Wenceslaus Bohemus*	5

 1305.

1305. *Wladislaus Locticus iterum* 28
1333. *Casimirus II. Magnus ultimus Piastidarum* 37
1370. *Ludovicus Ungariæ Rex* 12

In hâc Periodo veriorem jam habemus Historiam. Postqvam enim Polonia sub Miecislao religionem Christianam suscepisset, cœperunt etiam exteræ nationes has oras freqventare, eorumqve historias Scriptis suis hinc inde inserere. Reperiuntur tamen & hic variæ controversiæ, qvas nobis peperit tum defectus Historicorum in Polonia, tum etiam nimium utriusqve nationis & Germanicæ & Polonicæ in gentem suam studium.

VII. Et primò qvidem de titulo Regio varia traduntur. Constans est Historiæ Polonicæ Scriptorum post Dlugossum assertio, Miecislaum primum Christianum Principem coronam & titulum Regium petiisse â Pontifice Rom. qvam etiam Pontifex ipsi non denegâsse fertur. Sed cum interea Miecislaus fatis concessisset, intermissum & hoc negotium. Postea cum Boleslaus I. filius Miecislai, rerum in Polonia potiretur, venit Otto III. Imp. in Poloniam sepulchrum S. Adalberti Martyris, in Prussia nostra propè oppidum Fischhausen cæsi, & deindè â Boleslao I. redempti, invisurus. Et cum Gnesnæ magnificè â Boleslao esset exceptus, in gratitudinis signum ipsum creavit Regem. Hæc præter Scriptores Polonicos qvamplurimos referunt etiam Dubravius *lib. VI. Hist. Boh. fol. 49.* Albert. Cranzius *lib. 11. Wandal. cap. 36.* Probant etiam hoc Poloni ex antiqvissimo Epitaphio, qvod Posnaniæ in Ecclesia Cathedrali visitur, vetustissimis literis & jam vetustate detritis Anno verò 1664. renovatis, scriptum, & habetur apud Stanisl. Lubienscium *in vita Martialis Episcopi Plocens. fol. 315. Operum.* Ubi inter alia de Boleslao I. sic dicitur:

Tu possedisti, velut Athleta Christi
Regnum Slavorum, Gothorum seu Polonorum
Cæsar præcellens â te Ducalia pellens
& post:
Ob famam bonam tibi contulit Otto coronam
Propter luctamen, sit tibi salus Amen.

Hic verò titulus Regius non ultra qvartũ Regem prorogatus est: Cùm enim Boleslaus II. Audax Stanislaum Screpanov. interfecisset coram altari regno excessit. Wladislaus deinde cognomento Hermannus frater Boleslai II. aut ob interdictum Pontificis, aut qvod existimaret fratrẽ adhuc rediturum, abstinuit titulo regio, hæredis & Principis regni Poloniæ titulo contentus. A Wladislao Hermanno Duces seqvuntur, usque ad Lescum Nigrum: Huic in imperio succedens Primislaus II. regem se iterum appellavit, â qvô usqve ad nostra tempora Poloni Reges habuere. Verum Vincentius Kadlubko alia prorsus ab his tradit. De adventu Ottonis III. in Poloniam sic ait: *Otto Ruffus Imp. desiderio experiendi ea, qvæ fama de*

ma de Boleslao diffuderat, Poloniam ingreditur, qvasi Beato Martyri Adalberto votivam exhibiturus reverentiam. Imperiale itaque Diadema detrahens, capiti Boleslai non sine reverentia imponit. Suo ergò Diademate caput illius convenustat. Hæc Kadlubko *lib. II. Epist. XI. pag. 130.* Commendator Kadlubkonis hæc habet: *Otto Imp. III. Rufus Boleslaum consortem Imperii ordinavit, sibiqve cum magnâ renerentiâ Diadema imposuit.* pag. 133. Hi de regio titulo ab Imperatore collato Poloniæ Principi Boleslao nihil habent; sed & Antecessores hujus Boleslai appellant Reges, ut & Successores Boleslai II. Audacis usque ad Boleslaum III. Krzyvvousci. Cùm verò post Boleslai III. mortem Regnum illud fuisset in qvatuor partes discerptum, tum demum eos Duces regni Poloniæ appellare incipiunt. Imò post excessum Boleslai II. tantum abest ut Kadlubkus memoret Wladislaum Hermannum abstinuisse regio titulo, ut etiam producat literas ejusdem ad Patres cœnobii S. Ægidii in Provincia Galliæ, in quibus Wladislaus Regem se appellat. *lib. II. Epist. XXIII. pag. 188.* Secundum horum itaque sententiam Poloni habuere Reges usque ad excessum Boleslai III. Crivousti, nec Otto III. Boleslaum creavit Regem, sed honoris tantum gratia, ut tantum Principem sibi conciliaret, ipsi suum Imperiale diadema imposuit. Non multum abit ab hac sententia Illustrissimus Andr. Maximilianus Fredro Castellanus Leopoliensis, nunc verò Palatinus Podoliæ, qvi itidem negat Ottonem III. Boleslaum fecisse Regem, sed per humanitatem tantùm Boleslaum more occidentalium Dominorum appellasse Regem, qvo titulo postmodum uti cœpisse Boleslaum, non qvod eo ad Principatûs majestatem opus haberet; sed qvod qvemqve Christianum Principem Regem vocari debere crederet. *in Fragm. Polit. pag. 151.* Germani Scriptores eorum temporum Boleslaum Chrobri sibi ipsi hunc titulum adaptasse referunt, cum antea tantùm Principis titulo gauderet. Wippo refert hoc ad an. 1024. i. e. ad primum Conradi Imperatoris annum Gotfridus Viterbiensis *part. XVII. Chron. ad An. Dn. 1020.* Sed fides potius Wipponi habenda est ut Scriptori συγχρόνῳ. Cujus verba *inter Scriptores à Pistorio editos fol. 431.* hæc sunt: *Eodem anno, qvem supra notavimus, Boleslaus Slavigena Dux Polonorum insignia regalia & regium nomen in injuriam Regis Conradi sibi aptavit, cujus temeritatem cita mors exinanivit.* H. I Porrò secundum eosdem Scriptores Germanicos videntur Boleslai I. Successores non usi esse hoc titulo, cum ipsis Imperatores propterea se opponerent, donec rursus Boleslaus II. Audax sibi illum titulum sumeret. Sic enim Lambertus Schafnabr. ad an. 1077. *Boleslaus regiam dignitatem sibi sumpsit, contra leges & jura majorum.* Inter recentiores *vid.* Joachim. Vadianus *Tom. III. Ale-*

III. Alemannicorum Scriptorum à Goldaſto editorum fol. 91. Sed mirum eſt Dithmarum Mersburgenſ. qvi plurima ex iis, qvæ ſcripſit, ipſe vidit, nullam prorſus facere mentionem tituli Regii, qvando de Polonis Principibus loqvitur: Semper enim eos appellat Duces. Et licet deſcribat iter illud Ottonis III in Poloniam ad viſendum corpus Adalberti Martyris, ne verbo tamen indicat vel Imperatorem Boleslao dignitatem regiam contuliſſe, vel poſtea Boleslaum hunc ſibi honorem ſumpſiſſe. *Vid. lib. IV. Hiſt. pag. 83.* Ex hâc ſententiarum diverſitate vix apparet, cuinam debeamus adſtipulari. Hoc tamen in dubium vocari non poterit, fuiſſe olim Reges in Polonia. Nam & Helmoldus *lib. I. Chron. Slav. c. 15.* Boleslaum I. Chrobri appellat Regem Chriſtianiſſimum. Neque Helmoldus abutitur ſignificatione ejus vocabuli, ut exiſtimat nonnemo, ſed exqviſitâ notione Regis hic utitur: Sic enim etiam *lib. I. c. 1.* de Polonia dicit: *Qvondam habuit Regem, nunc autem Ducibus gubernatur.*

VIII. Secundò illud quoque magna animorum contentione inter Polonos & Germanos agitatur, utrum Polonia unqvam fuerit Romanis Imperatoribus ſubjecta & vectigalis ab iisdem facta. Germani id conſtanter affirmant; Poloni verò conſtantius negant: Germanorum ſententiam animosè propugnat Dn. Conringius *in lib. de Fin. Germ. Imp. cap. 18.* Contrà perſo-

perſonatus qvidam Franc. Marinius de hac materiâ non ita pridem ſcripturum ſe contra Coringium promiſit, *in lib. de Scopo Reipubl. Polon.* Scripſiſſe etiam dicitur tractatum hac de re ſatis prolixum, ſed ille nondum impreſſus eſt typis. Nos ea de re paucis. In hoc ſtatim absqve dubio nonnulli Germanorum Polonis injuriam faciunt, qvod Poloniam in prima jam periodo â Caralo M. domitam, Imperioqve Germanico ſubjectam fuiſſe tradunt. Eginhartus qvidem Hiſtoriæ Carolinæ Scriptor hæc habet de Carolo M: *Omnes*, inqvit, *barbaras ac feras nationes, qvæ inter Rhenum & viſtulam fluvios, Oceanumqve & Danubium poſitæ, lingva qvidem penè ſimiles, moribus verò ac habitu valde diſſimiles Germaniam incolunt ita perdomuit, ut eas tributarias effecerit, inter qvas præcipui ſunt Velatabi, Sorabi, Abotriti, Boëmani.* Abbas Stadenſis *ad an. 768. pag. 72. a.* nominat Wilzos & Velatabos. *ad an. 782. pag. 80. a.* Sorabos. *ad an. 805. p. 856.* Boëmanos, qvorum Ducem Lechum occidiſſe dicitur Carolus Caroli M. filius. Teſtatur inſuper Sigibertus, Gemblacenſis *ad An. 789. fol. 556. & ad an. 806. fol. 559.* â Caroli Magni filio Slavos (in genere ita loqvitur) ſubjugatos eſſe. Idem habet Regino Prumienſ. *in Chron. fol. 31.* qvod Carolus Albim transgreſſus, Slavorum fines intraverit, Slavosqve nomine Wilzos ſuo dominio ſubjecerit, qvorum Princeps fuit Wizar. Sabellicus tandem

tandem *Ennead. 8. l. 9.* Slavorum Polonorum & Bohemorum legatos Aqvisgranum cum Ampliſſimis muneribus ad Carolum M. veniſſe refert, ut pax ſibi cum Gallis incolumis maneret, Ex his tamen probari non poteſt, Polonos fuiſſe â Carolo M. ſubjugatos. Nam primò qvando â Germanicis Scriptoribus de Slavis aliqvid ſimpliciter dicitur, intelligendi ſunt Slavi in hodierna Germania tùm temporis habitantes, ut ex Alexandro Bremenſi, Helmodo aliisqve patet. Secundò expreſsè etiam â dictis ſcriptoribus nominantur illi Slavi, qvi debellati ſunt â Carolo M. Polonorum autem nulla ibi fit mentio. Polonorum verò gens tum temporis non fuit adeò obſcura, ut illam Eginhardus aliiqve omittere poſſent, absqve magno laudum Carolinarum detrimento. Imò tertiò cum Blondus *Dec. II. lib. I. in fin. fol. 165.* & Bonfin. *Dec. I. lib. IX. Hiſt. Hung. fol. 175.* tempore Caroli M. Salæ & Albi fluviis præſidia contra Sorbienſes Slavos impoſita eſſe velint, indè concludi poſſe manifeſtum eſt, Carolum M. tunc Polonos non domuiſſe. Imò neque Sorabos omnes Carolus ſubegit, ſed eos tantum ultra Albim compulit. *Vid.* Petr. Albinus in der Meyßniſchen Land-Chronick *tit. VIII. fol. 56. & ſeqq.* Qvartò manifeſtum id pro noſtra ſententia argumentum eſt, qvod Author Chronici magni Belgici intra fines Imperii Carolini non recenſeat Poloniam, qvando ait: *Regni Caroli* (M.) *terminus fuit â Bulgaris uſqve ad Hiſpanos & â Danis uſqve ad Calabros, exceptis adjacentibus qvibusdam regionibus Poloniâ, Bohemiâ, Dalmatiâ, Hiſtriâ, Venetiis & Britanniâ. Et qvicqvid tenuit Carolus adhuc duo regna ſunt Romanorum & Francorum ſolâ Pannoniâ exceptâ.* Hæc Author Chonici Magni Belgici *ex Alberico. fol. 44. Edit. Piſtorii.* Ex legatione verò Polonorum ad Carolum M. ut & ex muneribus oblatis, de qvibus ſuprà Sabellicus Scriptor non adeò antiqvus, nihil contra nos concludi poteſt, cùm illud & hodiè ſæpè â multis fiat, absqve ullo ſubjectionis indicio. Hoc tamen concedi poſſe videtur, Sileſiam aut â Carolo M. aut ab ejus ſucceſſoribus jam fuiſſe tentatam, ut infra cap. de Sileſia probabimus. Et hoc etiam forſan probari poterit ex adducto Eginhardi loco, qvo dixerat Carolum M. omnes nationes inter Rhenum & Viſtulam perdomuiſſe. Imò dici poteſt, Eginhardum in laudes Carolinas effuſum, hic nimis largum fuiſſe. *Conf.* Coring. *lib. de Fin. Germ. Imp. c. II. & c. IV. pag. 21. Edit. novæ in 8.*

IX. Et hactenus qvidem Polonos â Germanorum Imperio vindicari. An verò & porrò hoc fieri poſſit, videamus Sec. X. ſub Ottone I. MISICONEM Imperio Germanico fuiſſe ſubjectum & tributarium factum ab Vdone Marchione, dicit Dithmarus Mersburg. *lib. II. p. 25. & 35.* Per Miſiconem intelligit Mieſconem ſive Miecislaum, ut ab aliis appellatur, primum Chriſtianum

ſtianum Principem, de qvo, illiusqve filio Boleslao Chrobri in ſeqventibus multa narrat. BOLESLAUS Chrobri, qvam plurima bella pro libertate geſſit cum Henrico II. Imperatore, ſæpius tamen ab hoc victus pacem petiit, *fide cum Sacramento firmatâ per filium Miſiconem*, ait Dithmarus *lib. VI. pag. 174. ſeqq.* De eodem Boleslao Dithmarus, cùm dixiſſet ipſum omnia uſqve ad Elſtram ſibi ſubjeciſſe, hæc addit: *Qvàm iniqvè comparandi ſunt anteceſſores noſtri & contemporales. Vivente egregio Vdone pater iſtius Miſeco, domum in qvâ eum eſſe ſciebat cruſinatus intrare, vel eo aſſurgente nunqvam præſumpſit ſedere. Dominus indulgeat Imperatori, qvod tributarium faciens Dominum ad hoc unqvam elevavit, ut oblita ſui genitoris regula, ſemper ſibi prapoſitis auderet in ſubjectione paulatim detrahere, viliſſimoqve pecuniæ transeundis ineſcato hamo, in ſervitutis libertatisqve detrimentum capere.* Hæc ille lib. V. *p. 109. ſeq.* Poloni qvoqve ipſi hoc non diſſimulant, qvando referunt de Ottone III. qvod omni tributo & omni jurisdictione liberaverit Boleslaum Chrobri principem Polonorum. Cromer. *lib. III. fol. 437.* Neugeb. *l. III. Hiſt. Pol. p. 53.* Boleslao Chrobri defuncto MIECISLAUM II. rebellantem Conradus II. Imp. ad officium redire coëgit tributumqve impoſuit. Wippo *ad An. 1032. fol. 436.* Albert. Stadenſ. *ad An. 1027. p. 116. a.* Otto Friſing. *lib. VI. Chron. cap. 28.* CASIMIRUM,

RUM, Succeſſorem Miecislai, Imperatori fideliter ſerviſſe, ſcribit Wippo *ad An. 1032. fol. 438.* Conf. Hermann. Contract. *ad an. 1051.* Aliud adhuc teſtimonium allegat Dn. Conringius, qvo probare vult Polonos fuiſſe tributarios Imperatores. Deſumptum id eſt ex Bonfin. *lib. II. Dec. II. fol. 221.* Ubi hæc reperiuntur: *Henricus III. graviter indignatus, qvod Poloniam injuſſu ſuo devaſtavit, Odolvico Boëmo filioqve bellum indixit: Qvia Romano Imperio Ducatus ille ſubjectus erat qvotannisqve boves centum & viginti, item argenti poſtulati qvinqvaginta pondo pendere cogebatur.* Sed Bonfinius per Ducatum illum non intelligere videtur Poloniam, ſed Bohemiam, uti expreſsè hoc de Bohemis, qvod ejusmodi tributum pendere ſoliti fuerint, referunt & Æneas Sylvius *in Hiſt. Bohem. cap. XIX. fol. 19.* & Cranzius *lib. II. Wandal. cap. 45.* cum eandem, qvam Bonfinius recenſent hiſtoriam. BOLESLAUS II. Audax, qvod in fide Roman. Imp. fuerit, tradit Lambert. Schafnabr. *ad An. 1011. fol. 186.* qvando ſcribit, *Henricum IV. Imp. Ducem Polonorum & Ducem Bohemorum ad ſe evocatos durius corripuiſſe, qvod ſe invicem excurſionibus laceſſerent.* Et ad An. 1077. hæc habet: *Dux Polonorum, qvi per multos jam annos Regibus Teutonicis tributarius fuerat, cujusqve regnum jam olim Teutonicorum virtute ſubactum atqve in provinciam redactum fuerat, repentè ad ſuperbiam elatus, propterea qvod*

 Prin-

Principes Teutonicos cerneret domesticis seditionibus occupatos, neqvaqvam ad inferenda exteris gentibus arma vacare, regiam dignitatem, regiumqve nomen sibi usurpavit, diadema imposuit. Hæc ille. Circa an. 1109. Henricus V. Imp. cum BOLESLAO III. Crivousto bellum gessit, tributumqve ab eo postulavit. Vincent. Kadlubko *lib. III. Chron. Polon. epist. 19. p. 304. seqq.* Qvod etiam Cromerus recenset, verum ita, acsi tum demum Cæsar tributum â Polonis exigere cœperit, *lib. V. pag. 476.* Germani contra, diu tantum negatum ab ipso exactum esse tributum scribunt, per Henricum V. & Lotharium II. Cæsares. *Vid.* Abbas Ursperg. *ad an. 1109.* Otto Frising. *lib. VII. cap. 19.* Chronicon Montis Sereni (*editum à Joach. Johan. Madero. An 1665. Helmstad.*) ad An. 1135. pag. 14. *Imperator,* ait, *Assumptionem S. Mariæ in Mersburg. celebrat, ubi Bolislaus Dux Poloniæ & Othilricus Dux Bohemiæ cum cæteris Principibus adfuerunt, ubi etiam Bolislaus gladium Imperatori reportavit.* Conf. & M. Theodoricus Engelhusius à laudato Madero editus *in Chron. ad An. 1124. pag. 221.* Mortuo Boleslao Crivousto Vladislaum II. Poloniæ Principem, qvem fratres ob multas injurias sibi illatas regno expulerant, Conradus III. Imp. reducere conatus est; sed Boleslai Crispi Principis Pol. muneribus placatus in Germaniam rediit, ut referunt Cromer. *lib. VI. fol. 497. seq.* Johan. Dubrav. *lib.*

lib. XII. Hist. Boh. fol. 109. Chronicon Montis Sereni hac de re ita loqvitur: *Fratres* (Wladislai II. exulis) *ad resistendum parati, semitas observantes, Regem* (Conradum III.) *ingredi probibebant. Tandem consilio Adelberti & Conradi Marchionis obsidibus vicissim datis Regem adeunt, & promissâ pecuniâ patriam ab ipso suscipiunt, juniore fratre obside dato.* ad An. 1106. *pag. 19.* De alia qvadam rebellione Ducis Poloniæ contra Conradum III. Imp. agit M. Theod. Engelhus. *in Chron. p. 226.* Conradi III. successor Fridericus Barbarossa & ipse Vladislaum II. reducere conatus est, bello Polonis illato. Belli causam prætendebat hanc, *qvod Poloniæ Duces ejus imperio recalcitrabant: Imperatori autem sacramentum fidelitatis præstare, & tributum qvingentarum marcarum argenti annis singulis publico ærario Imperii inferre ab eis exigenti negabant, satius ducentes mori, qvàm Poloniæ regnum subjici tributis* &c. ait Joan. Dlugoss. *Tom. I. lib. V. ad An. 1157. fol. 443.* Sed Imperator, (ut Polonici scriptores referunt) cum exercitu ad fines Poloniæ progressus, cum magnis difficultatibus premeretur, subordinavit Bohemos, ut authores essent Polonis à Cæsare pacis petendæ, utque Cæsarem jam placabiliorem factum Polonis assererent. Qvod cùm fecissent Poloni, pax his conditionibus facta est, ut Silesia Wladislao exuli attribueretur, & Boleslaus Crispus Cæsari suppetias ferret ad bel-

 lum

um Italicum. Kadlubko *lib. III. Epist.31. p.371. seq.* Cromer. *lib. VI. fol. 499.* Aliter verò rem enarrat Radevicus (qvod etiam Cromerus non dissimulat) *lib. I. de gest. Friderici I. cap. 4. & 5.* Refert enim ille Boleslaum tum per se, tum per suos supplicem â Cæsare petiisse, ut in gratiam reciperetur, qvod etiam impetravit, hac inter alias conditione: *ut daret duo millia marcarum Imperatori, & Principibus mille, Imperatrici 20. marcas auri. Curiæ 20. marcas argenti, ob eam negligentiam qvod ad curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem.* &c. Antea qvoqve nempe *lib. I. cap. 2.* expresse inter causas suscepti â Friderico Imp. belli, numerat & hanc, *qvod Poloni vel debitum fidelitatis sacramentum offerre, vel solitum singulis tributum qvingentarum marcarum publico ærario inferre jam desveverant.* Circa eadem tempora scripsit Chronicon suum Slavicum Helmoldus. Is autem *lib. I. cap. 1. n. 9.* dicit: *Servit & ipsa* (Polonia) *sicut Bohemia sub tributo Imperatoriæ majestati.* Auctor Chronici Stederburgensis ab Heinrico Meibomio editi hæc habet ad An. MCLVII. *Fridericus Imperator in Poloniam profectus provinciam cum Duce suo in deditionem honorificè suscepit.* Inter Opuscula Meibomii *pag. 278.* Qvomodo posteà Poloni jugum Imperii German. excusserint, non satis sibi liqvere dicunt Germani. Hoc tamen asseri posse putant, in magno illo Interregno Germanico 18. vel 23. annorum Sec. XIII. Polonos liberius agere cœpisse, bellis intestinis se ipsos atterentibus Germanis. His tamen non obstantibus, forsan pro Polonis dici posset, pensionẽ qvam alter tributi nomine accipit & exigit, non statim esse signum subjectionis. Sic enim Poloni Tartaris qvotannis donativum dabant, qvod illi *haracz*, i. e. tributum appellabant. Angli etiam Danis Angliam vastantibus olim dabant tributum. *Vid.* Rogerius de Hoveden *ad an. 991. fol. 196. & ad an. 1007. fol. 430.* Angli vicissim accipiebant Sec. XV. â Ludovico XI. Gall. Rege pensionem, qvam sub nomine tributi exigebant, teste Cominæo *lib. VI. Comment. p. 370. seq. & lib. VIII. p. 431.* Imò ipsi Imperatores Romani olim non rarò â Marcomannis, aliisqve barbaris pacem redimebant, qvorum tamen subditos illos vocare non possumus. *Vid.* Spartian. *in vitâ Ælii Adriani.* Dio *in fragment. Fulvianis de Domitiano.*

X. Tertiò qværi etiam potest, utrum Regnum Polonicum in secunda hac periodo fuerit successivum; an verò electivum. Pro posteriore sententia pugnant hodiè Poloni communiter omnes. Nos in contrarium non dubitamus asserere, in hac, ut & in prima periodo Regnum Polonicum fuisse successivum, nec unqvam valuisse Electionem, nisi eo casu, ubi Regia vel Ducalis stirps planè extincta erat. Qvod ad primam attinet periodum, huc forsan, collimant illa

illa verba Vincentii Kadlubkonis: *Non plebei,* inqvit ille, *aborigines, non vendicariè illis principatæ sunt potestates; sed* PRINCIPES SUCCEDANEI, *qvorum strenuitas licet nube ignorantiæ obducta videatur, mirâ tamen rutilantiâ tot seculorum tempestatibus extingvi non poterit.* lib. I. *Chron. Pol. Epist. 1. pag. 24.* Constat etiam in hâc periodo moris fuisse, ut pater vivus sibi filium successorem substitueret, ut fecit Lescus III. qvi Popielum in spem Principatus educatum, successorem sibi vivens designavit. Cromer. *lib. II. f. 425.* Neugeb. *lib. II. p. 46.* De secunda periodo res jam est manifestior. Nam & hic primò notum est, aliqvando in Polonia Patrem adhuc vivum, sibi filium successorem designâsse. De Boleslao Pudico, & Lesco Nigro. Vid. *Chron. lib. X. in pr.* Deindè sæpè Duces Poloniæ inter filios diviserunt Regnum, qvod in Regnis electivis locum non habet. Sic Boleslaus Crivoustus morti vicinus, tradidit Vladislao natu maximo filio tractum Cracoviensem, Siradicensem, Lencitiensem & Silesiam, cum ipsâ regni administratione. Boleslao Masoviam, Cujaviam, Culmensem & Dobrinensem Provincias. Miecislao Gnesnensem & Posnaniensem cum Calissiensi tractu & Pomerania Orientali. Henrico Sendomiriam & Lublinum. Casimiro alimenta â Wladislao subministranda. Cùm verò Casimiro nullam terræ portionem assignâsset, id eum proceres, oblivione

vione fecisse rati, admonent, ut ne illum exortem patrimonii relinqvat. Respondit Boleslaus. Jam illi qvoqve portionem suam esse designatam. Admirantibus cunctis: *non advertitis,* inqvit, *in curru inter qvatuor rotas qvintam eam esse partem, cui homines insident. Eum locum inter qvatuor fratres qvintus obtinebit, illisqve suo tempore succedet.* J. Dlugossus *T. I. lib. IV. ad An. 1139. fol. 405. seq.* Cromer. *lib. VII. in pr. fol. 491.* De hac divisione notabilia etiam sunt verba Kadlubkonis: *Boleslaus,* ait ille, *cùm fatale munus jam à se exigi sentiret, testamentales mandat conscribi codicillos, in qvibus & avitarum vices virtutum, & regni successionem qvatuor filiis legat, certos tetrarchiarum limites disterminans, eatenus ut penes majorem natu & Cracoviensis provinciæ Principatus & authoritas resideret principandi. De qvo si qvid humanitus obtigisset, semper ætatis majoritas & primogenituræ ratio litē successionis decideret* lib. III. *ep. 27. p. 347.* Porrò expresse etiam in Historia Polonica dicitur, regnum illud fuisse successivum. *Cum* (Boleslaus Crispus) *morbum in se grassari sensim adverteret Casimirum Sendomiriensem Principem fratrem natu majorem, Prælatosqve & Barones regni ad se mandavit accersi, sub eorumqve præsentia tam de Principatibus & terris cum jure successionis contingentibus qvam de thesauris & Clenodiis ordinavit,* ait Joan. Dlugossus *ad An. 1173. lib. V. fol.* Post subitaneâ morte extin-

ctum Casimirum Boleslai Crispi fratrem & Boleslai Krzivvousti filium, Fulco Archiepiscopo Gnesnensis congregato Senatu ex superstitibus duobus filiis adhuc pueris, Lesconem natu majorem insigniri paternâ dignitate voluit. Cui respondit qvidam Procerum, referente Kadlubkone: *Puerile esse, ut prudentibus pueri præsit imprudentia, cum verbum sit sapientis: Væ terræ, cujus Rex puer est, præsertim cum Principem discretum, serenum, cautum, & industrium esse in omnibus & ad omnia conveniat &c.* Hæc autem astruebat, ut Mieszko senex vel nepos ejus Mieszko juvenis Princeps substitueretur. Sed respondit Archiepiscopus, *illa hic locum non habere, ut qvæ tum demum vera sunt, cum de eligendo agitur, non de jure successionis disceptatur. Prorsus enim aliud habet juris electio, aliud jus successionis. In illa enim est liberrima deliberationis libertas, ac in ista urgentissima juris necessitas: ab illa omnes citra legitimam ætatem relegantur: ab ista verò nec infantuli, nec posthumi excluduntur.* Hæc & alia tum differebat Archiepiscopus, ut puerũ, ad qvem jure successionis principatus pertinebat, non excluderent Proceres, qvæ sententia etiam prævaluit. Vincent. Kadlubko *lib. IV. Chron. Polon. cap. 21. pag. 529. seqq.* Agnoscit idem jus successionis & Commentator Kadlubkonis *pag. 535.* qvamvis qvædam incommodè admisceat, qvod Regnum sibi liberè eligat Regem: Ducatus verò (qvalis tum fuit Polonia) teneatur filios sui Principis in Principes & Dominos suscipere. *pag. 535.* Hoc tamen aliter referunt recentiores Polonorum Historici. Dicunt enim illum ex magnatibus verba fecisse pro Mieszkone sene, ex eâ ratione, qvod Poloni haberent Principatum Electivum. Fulconis verò sententiam obtinuisse tantum qvasi per factionem aliqvam. Contrarium verò apparet ex Kadlubkone, cui hîc fides habenda est, qvoniam de iis, illo in loco, scribit, qvæ suo tempore contigerunt. Postea qvoqve *Cùm Lescus Albus respuisset Cracoviensem Principatum, Cracovienses ad Mieszkonidem Uladislaum transmittunt. Asserunt fidelitatem patri promissam filio suo debere ac dependere: nec multum distare, qvod ad hunc articulum attingere personam filii à persona Patris. Ideoqve in ipso locum electioni non esse, qvem ad paternam vocat successionem juris ratio & exigit*, ait iterum Kadlubko *lib. IV. c. 26. & ult. pag. 567. Et commentator ejus pag. 572.* Præterea ex Actis Mieciślani senis cum Helenâ Ducissâ Casimiri II. relictâ viduâ satis superqve apparet, Duces pro lubitu Ducatu Poloniæ sibi cessisse, qvod facere non potuissent, si regnum illud Electivum fuisset. *Vid.* Dlugoss. *ad An. 1200. fol. 520. seq. ad an. 1201. fol. 522. seq. ad an. 1202. f. 525. seqq.* Et hinc etiam tandem est, qvod multi Principes Poloniæ se HÆREDES regni Poloniæ scripserint. Uladislaus certè Hermannus post exactum Boleslaum

leslaum Audacem Regem Polon. Principis & hæredis regni Poloniæ nomen sibi sumpsit, ut tradunt J. Dlugoss. *Tom. I. lib. IV. ad an. 1082. f. 274.* Cromer. *lib. V. in pr.* Idem de Uladislao Loctico refert Cromerus *lib. XI. fol. 576.* Circa fin. Boleslaus qvoqve vocatur à Dlogosso hæres, Dux & Monarcha Regni Polon. *in Tract. de Episc. Posnaniensib. in Vita Dionysii.* Sic etiam loqvitur Wladislaus Jagello: *Promittimus*, inqvit, *singulos articulos & clausulas in privilegiis, nullo vitio falsitatis depravatas Serenissimorum Principum Dominorum Casimiri & Ludovici ac omnium aliorum Regum, Ducum, EX VERA SUCCESSIONE HÆREDUM antiqvorum Regni Poloniæ firmiter & inviolabiliter servare.* apud Joan. Janusrov. *lib. I. Constit. Regn. Polon. Part. I. tit. 5. fol. 15.* Sic igitur satis superqve probatum est, Regnum Poloniæ in prima & secunda hac periodo fuisse successivum. In fine tamen Periodi secundæ videtur jam in Electivum regnum transiisse, cum Primislaus II. esset Rex electus. Et huc etiam videtur collineâsse Auctor Commentariorum in Kadlubkonem, loco supra citato, qvando dicit, *Regnum sibi liberè eligere Reges.* Confirmatum est etiam illud jus Electionis, cum Casimirus Magnus sine prole mascula moriturus, Ludovicum Ung. Regem certis legibus ad regnum promovisset.

XI. Memorabiliora in hâc periodô, de qvibus in seqventibus non dabitur dicendi occasio,

sio, hîc breviter indicabimus. PIASTUS Cossisconis filius Repichæ maritus, & oppidanus Crusvicensis, cum Proceres Regni ad Electionem Novi Principis confluxissent, excepit eos hilariter, accrescente singulari miraculo carne & mulso; qvod etiam jam antea contigerat in festo solenni, ubi filio ipsius crinis more Ethnico detondebatur, ob duos viros exceptos hospitio, qvos fuisse Sanctos qvidam autumant. ZIEMOIRTUS fortitudine clarus fuit; LESCUS autem IV. otio deditus nihil memoriâ dignum gessit. ZIEMOMISLUS itidem nullâ re, nisi filio MIECISLAO, memorandus, de qvô communiter hæc feruntur. Natus est cœcus: cùm verò septimo ætatis anno coma ipsi esset ritu Ethnico tondenda, subitò visum recepit. Consulti harioli, responderunt Poloniam sub ipso illustratum iri. Parentes nullâ hoc ratione fieri posse credentes, nisi gladio, indiderunt ipsi nomen Miecislai, à *miecz* i. gladius, & *slawa* i. gloria. Is postea ab aliis blandius, ut fit, *Mieszko* vocatus est. Sed aliâ ratione Miecislaus illustravit Poloniam, videlicet clarissimâ Evangelii luce in Poloniam intromissâ. Kadlubko nullam unqvam facit mentionem nominis Miecislai, sed ipsum semper appellat Miesconem, ut & alios Reges & Duces ejusdem nominis. Rationem etiam hujus nominis addit hanc: qvoniam hic filius cœcus natus est, dictus est *Mieszko* i. e. perturbator sive conturbator, à *mieszam* i. e. misceo,

misceo, conturbo, qvia conturbati sunt parentes ipso cœco nato. Kadlubko *lib. II. epist. 10.* Et hoc etiam tum notum fuit apud exteros. Germani enim eum appellant Misiconem, qvod propius ad nomen Mieszkonis qvàm Miecislai accedit. Sub hoc Principe moris erat apud Polonos, ut homines eqvestris ordinis in templis, dum Sacerdos apud altare pronunciat, unde recitaturus sit Evangelium, gladios mediotenus stringerent, qvasi profitentes, mortem prius sibi oppetendam, qvam à suscepto Evangelio discedendum: choro autem respondente: Gloria tibi Domine, rursus reconderent. Hoc dicunt Polónos propterea fecisse, ut se promptissimos Evangelii defensores ostenderent. BOLESLAUS I. Chrobri præter virtutem bellicam, de qvâ in seqventibus, raræ modestiæ, comitatis & svavitatis morum fuisse, memoratur à Polonis. Dithmarus Mersburg. non semel eum degenerem à patre & perfidum appellat *Vid. lib. IV. p. 89. seq. & lib. VII. p. 189.* ubi illum *mille artium solertiâ plenum* fuisse dicit. Sub MIECISLAO II. omnia pessum ire cœperunt, imò ipso mortuo res Polona ferè tota collapsa est. Cùm enim Rixa Regina, tutrix filii Casimiri adhuc minorennis, crudeliter regnum administraret, expulsa est simul cum CASIMIRO; qvi in Gallia monasterium ingressus, & jam Diaconus factus, ægrè inde extractus est à Polonis, concedente id Pontifice his conditionibus: *ut qvotannis Poloni*

ni obolum unum in lucernam Divi Petri Romæ arsuram penderent; ut capita more monachorum tonderent; & ut festis solemnibus dum sacra peraguntur singuli eqvites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qva in sacris utuntur Sacerdotes & Diaconi, è collo suspensam ferrent. Qvod ad primam conditionem attinet, contradicentem habemus Dithmarum, qvi jam antea censum Pontifici Romano solutum esse à Polonis refert, nisi hoc de alio qvodam censu intelligendum sit, de qvo tamen nihil occurrit apud Polonicos scriptores. Dithmari verba hæc sunt: *Boleslaus* (Chrobri) *Domino Papæ qvestus est per epistolæ portitorem, ut non liceret sibi propter latentes Regis* (Henrici II. Imp.) *insidias promissum Principi Apostolorum Petro persolvere censum.* Lib. VI. p. 176, fin. de secundâ conditione memorabilia sunt qvæ, nescio ex qvo vetustiori Scriptore, habet Stanislaus Sarnitius lib. II. Annal. Polon. fol. 67. *Benedictus I.* ait ille, *cùm Casimiro I. Monacho relaxâsset votum, ut regiam dignitatem liceret ei adire, hanc legem genti Polonæ imposuit, ut morem prolixos capillos gerendi tanqvam gentilem abjiceret. Sed tamen mos gerendi capillos Sarmaticus non prius fuit abrogatus, qvàm post qvandam cladem, Bucoviensem dictam, ubi complures ex Polonis inventi erant capillis ex arboribus suspensi. Et tunc primum nausea cœpit esse illa comatio Polonis, qvæ olim decori & elegantiæ servire putabatur.* Tertia conditio jam pridem apud

apud Polonos exolevit. BOLESLAUS II. initiô bonus & fortis Princeps, indè cognomen Largi & Audacis adeptus eſt, apud Kadlubkonem *lib. II. epiſt. 19. p. 166.* Tandem verò rebus proſperis elatus, in omne ruit libidinum genus. Monitus à Stanislao Szczepanovio Epiſc. Cracov. non prius deſtitit, qvàm ipſum crudeliter coram altari interficeret propria manu. Hinc profugus in qvodam monaſterio, in Carinthia, conſenuit; tandem, moriturus agnitus eſt, & meruit illud Epitaphium: *Hic jacet Boleslaus Rex Polon. occiſor S. Stanislai Epiſcopi Cracovienſis.* Commentator Kadlubkonis *lib. III. ep. 22. p. 184.* Alii alia de ipſo prodiderunt. WLADISLAUS HERMANNUS præcipuè filio Boleslao Krzyvvouſti à diſtorto ore ita dicto, memorandus eſt. Hunc enim BOLESLAUM qvadragies ſepties prælio decertaſſe ſemper victorem, referunt Poloni, niſi qvod ultimo in prælio à Ruſſis deceptus fugere coactus ſit ex prælio Halicienſi, inde etiam ex mœrore, ob acceptam cladem, mortuus eſſe dicitur. Poſt ipſius obitum diſcerpta in qvatuor partes Polonia bellis civilibus concutiebatur. WLADISLAUS II. à fratribus ob impotens dominium expulſus, tandem interponentibus ſe Imperatoribus Romanis, ut ſuprà dictum eſt, Sileſiâ cum poſteris ſuis potitus eſt. Ab hoc Wladislao Duces Lignicenſes & Brigenſes in Sileſia deſcendunt qvorum ultimus An. 1676. obiit, ſicqve cum

ipſo

ipſo familia Piaſtea extincta eſt. Seqventes Principes variis artibus inter ſe decertarunt, inter qvos præcipuè memorandus eſt CASIMIRUS II. raræ moderationis Princeps, qvi poſt fratres ſuos WLADISLAUM II. BOLESLAUM CRISPUM, & MIECISLAUM ſenem, rerum in Polonia potitus eſt. De hôc Caſimiro unum maximè moderationis ſpecimen refertur. Qvidam ex aulæ aſſeclis Joannes Conarius ab ipſo ad aleæ ludum invitatus victusqve, extremo etiam jactu, cui tota ſors, producti in feram noctem ludi, committebatur, ita efferbuerat, ut vincenti Caſimiro colaphum impingeret. Comprehenſum, etſi omnium ſententiæ capitis reum pronunciarent, Caſimirus à culpa abſolvit: *Illum*, inqviens. *impatientiâ jacturæ abreptum eſſe, ſe verò proſtitutæ dignitatis ſuæ juſtam pœnam luiſſe.* Hujus Caſimiri juſſu Hiſtoriam ſuam condidit Vincentius Kadlubko, ut ipſe teſtatur *in Præfat. ad lib. IV.* MIECISLAUS ille, puer adhuc, ob prudentiam Senis cognomen adeptus eſt: poſtea verò conſultore Henrico Kitlicio multos offendit, hinc Principatu dejectus, variis dolis eundem à credula Leſci Albi matre bis recuperavit. Poſt MIECISLAI III. Senis obitum, diſſentiebant inter ſe Proceres, qvemnam eligerent, num ULADISLAUM à gracilitate pedum Laſconogum dictum, num verò LESCUM ALBUM toties à Miecislao deceptum. Conſenſus tandem omnium ſtetit,

D ut

ut Lescus Principatum obtineret, eâ tamen lege, ut Govoritium Palatinum Sendomiriensem fidum sibi Consiliarium in exilium mitteret. Lescus Principatu maluit carere, qvàm insontem amicum injuriâ afficere, etiamsi ipsum Govoritius hortaretur, ne propter se Senem conditiones illas recusaret. Factus igitur Princeps ULADISLAUS LASCONOGUS, contra qvem tamen tandem electus est Lescus Albus. Indè BOLESLAUS IV. PUDICUS regno potitus est. Dictus autem est Pudicus, qvia Cunigundam uxorem toto conjugii tempore non attigit. Sub hoc Principe Tartari totâ Poloniâ ferrô & igni vastatâ, usqve in Silesiam penetrarunt. Ibi ad Ligniciam commissum est cum ipsis prælium infeliciter. Cæsi sunt Henricus Pius Wratislaviensis Dux, Boleslaus Moravorum Ducis filius, Poppo (qvod tamen Caspar Schuz *lib. I. Chron. Pruss. fol. 29. b.* negat) Cruciferorum in Prussiâ Magister. Cæterorum militum tanta vis cæsa est, ut à Tartaris præcisæ cæsorum singulis singulæ aures novem capacissimos saccos implerent. LESCUS NIGER Princeps Poloniæ, à Conrado Masoviæ Duce ferè toto regno exutus, fidelitate Cracoviensium servatus est. Cracovienses enim cum omnia ad Conradum defecissent, tantisper in fide Lesci permanserunt, donec ex Hungariâ, exercitu contracto reversus, Conradum profligaret. Tum Lescus Cracoviensibus gratiam relaturus, regimen solis Germanis, qvi fidem ipsi præclarè servâssent, proprium deinceps attribuit. Lesco nigro mortuo, regnum devolutum est ad Primislaum II. qvi sibi Regium assumsit titulum. Sed eo insidiis Marchionum Brandenburgensium sublato, ULADISLAUS LOCTICUS ob brevem corporis staturam à *Lokiec* i. e. ulna, ita dictus, regium titulum à Pontifice Rom. petiit; qva de re ita Albertus Cranzius: *Poloni sicut & Bohemi Reges habuere per intervalla creatos à Romanis Impp. sed qvum illos tæderet geminæ subjectionis; omissis regibus Duces creavere. Lakoldus* (sic appellat Uladislaum Locticum) *hâc tempestate Dux erat Cracoviæ, & qvi per omnem Poloniam facilè principaretur. Hic à Joanne Pontifice Rom. suscepit coronam, qvod Ludovicum, qvem execrabatur Papa non duceret legitimum Imperatorem, evitans etiam, ne per eam occasionem subjectus Romano Imperio censeretur.* Hæc Cranzius *lib. VIII. Wandal. cap. 2.* Hic Uladislaus Locticus pulsus qvidem est regno per aliqvod tempus à WENCESLAO *Bohem.* Rege, sed illud posteà recepit. Uladislai filius fuit CASIMIRUS MAGNUS, cui Polonia omnem debet cultum. Hic enim accitis vel etiam ultrò venientibus Germanis agros attribuit, qvorum curâ & operâ Polonia freqventari & cultior esse pagis & oppidis cœpit. Arces & oppida in Polonia pleraqve omnia, munitiones etiam ac templa lateritia, & monasteria multa, ejus sunt opera, ut jam

de Legibus aliisqve rebus, de qvibus in seqventibus dicendi dabitur occasio, nihil dicam. *Vid.* Cromer. *lib. XII. fol. 606. seqq.* Neugeb. *lib. III. in fin. pag. 210.* Casimirus M. cum sibi nulla spes prolis superesset, multa Privilegia Polonis concessit, ut LUDOVICUM UNG. Regem ad Regnum Polonicum promoveret, qvod etiam obtinuit. Fines Poloniæ qvinam sub hæc tempora fuerint, cognoscimus ex Roderico Sec. XII. Scriptore, qvi testatur suo tempore *Poloniam habuisse ab occidente oderam, ab oriente Istulam, à Septentrione Ruthenos* (i.e. Rugios, ut etiam appellantur in vita Ottonis Bambergensis qvam edidit Valerius Jaschius) *& mare Scythicum* (i.e. Balticum) *à meridie Sylvas Boëmorum* lib. I. c. 1.

XII. Tertia Classis Regum Poloniæ, ex Magnis Ducibus Lithvvaniæ & JAGELLONIDARUM, qvi seqvuntur hoc ordine,

An. 1386.	*Wladislaus Jagello*	48
1434.	*Wladislaus Jagellonides*	10
1447.	*Casimirus IV. Jagellonides.*	45
1492.	*Joannes Albertus*	9
1501.	*Alexander*	5
1507.	*Sigismundus I.*	41
1548.	*Sigismundus Augustus*	25

In hâc periodô Regnum Polonicum fuit Electivum, secus ac statuit Melch. Goldastus *lib. IV. de Regn. Bohem. cap. 10.* Imò ne Uladislaus Jagello videretur successisse in Regno Polon. cum Hedvige filiâ Ludovici Ung. Regis, coactus est jura-

jurare, qvòd Regno præesse velit non successivo sed Electivo. Omnes etiam ejus successores disertis verbis testantur, se Reges Electos non Natos esse. *Vid.* Theod. Zavvacki *Part. I. Constit. & jur. Regn. Pol. tit. 3. fol. 19.* Joan. Januszovius *lib. I. Constit. R. P. Part. I. tit. 2. fol. 4. & seqq. & alii.* Sed objiciat nobis qvispiam, Jagellonem, ut & ejus successores, titulum hæredis usurpâsse, donec Sigismundus Augustus. An. 1564. in Comitiis Varsaviensibus titulum hunc exuerit, *teste* Alberto Wijuk Kojalovicio *Part. II. hist. Lithu. Lib. VIII. pag. 458.* Sed Respondemus, hoc factum ab illis Regibus esse vel ob Lithuaniam & Prussiam, qvarum Provinciarum erant legitimi hæredes, (*Vid. infra lib. I. cap. VII. num. IX.*) vel etiam ob longam consvetudinem, ab antecessoribus accepto hoc titulo. Hoc enim non raro accidit, ut Reges ac Principes, amissa sæpè re, solo tamen nomine vel titulo se illius rei solentur. Exteri Scriptores qvando Jagellonidas hæredes Regni Poloniæ nominant, faciunt hoc aut ob ignorantiam rerum Polonicarum, aut vocem hæredis latè accipiunt, qvatenus qvemvis successorem significat, sive ille sit à populô electus, sive jure hæreditario ad Regnum pervenerit. Et huc pertinent ea, qvæ habet Æn. Sylvius *in Comment. de Europæ statu sub Friderico III. Imp. cap. 19.* Sed neqve is qvicqvam contra nos obtinuerit, qvi secundo loco objiceret, Reges Poloniæ & in hâc periodo sibi

 suc-

ſucceſſores deſignáſſe, qvod ſucceſſionis eſſe ſignum ſupra notavimus. Nam hoc factum eſt, non niſi totius Senatus conceſſione & indultu. Hoc modo Caſimirus M. Ludovicum Hung. Regem ſibi ſucceſſorem conſtituit. Cromer. *lib.* XII. *fol. 598.* Eadem ratione Ludovicus Rex filiam ſuam natu Majorem Mariam cum ſponſo Sigiſmundo Caroli Imperatoris filio ſibi ſuccedere voluit, qvod tamen poſtea, Mariâ illius matre conſentiente, mutatum eſt. Cromer. *lib.* XIII. *fol. 623.* Et hinc etiam eſt, qvòd aliqvando Senatus Regi filium ſibi ſucceſſorem deſignare volenti ſummis viribus reſtiterit. Exemplum hujus rei præbet nobis Uladislaus Jagello, qvi cùm Polonis multa promiſiſſet, ut tantùm filium ſuum ſe vivo ſucceſſorem Regni deſignarent: poſteà verò conſilio mutato ea ſe facturum negaret, conſurgens omnis Senatus, diploma ſuum, qvo Regi de filio promittebat, à Sbigneo Epiſc. Cracov. Viro magni animi, cujus fidei concreditum erat, receptum, magno cum fremitu ac tumultu Rege inſpectante concerpſit. Sic re intectâ diſceſſum eſt; Aliâ tamen viâ, ait Cromerus, Rex id, qvod cupiebat poſteà perfecit, cùm ſenatores ſingulos privatim prenſâſſet, & à ſingulis chirographa exegiſſet; itemqve à civitatibus & plerisqve conventibus Nobilitatis. *lib.* XIX. *fol. 680.* Sic qvoqve Sigiſmundus I. obtinuit à Senatu, ut filius Sigiſmundus Auguſtus ſibi ſucceſſor deſignaretur,

ſe

ſe adhuc vivo, idqve tandem, non ſine magnâ tamen difficultate, obtinuit. Neugeb. *lib.* VII. *ad An. 1529. p. 525. & ſeq.* Hinc apparet, qvàm verè Franciſcus Marinius ſcripſerit, non temerè in Polonorum hiſtoriâ reperiri poſſe, Regem aliqvem obtinuiſſe, ut ſibi vivo adhuc ſucceſſor deſignaretur, niſi excipias Uladislaum Jagellonem, cui hâc in parte indultum eſt qvidpiam præter mores Regni. *lib. de ſcopo Reipubl. Germ. cap. IV. p. 64.* Tandem verò lex lata eſt, ne unqvam Regi liceret ſurrogare ſibi ullo modo ſucceſſorem, qvæ renovata eſt non ſolùm in Interregno poſt obitum Sigiſmundi Auguſti; ſed & ſæpè aliàs, ut & poſtea videbimus. *lib.* II. *cap. 1.*

XIII. Qvò plura nobis de Regibus hujus, ut & ſeqventis claſſis, in ſeqventibus ſunt dicenda, eò pauciora hic commemorabimus. JAGELLO Mag. Dux Lithu: Olgerdi filius rerum potiebatur in Lithuaniâ, cùm Ludovicus Ung. Rex mortuus duas relinqveret filias, Mariam & Hedvigen. Poloni ex pacto, qvod cum Ludovico inierant, Mariam, & poſtea qvibusdam intervenientibus Hedvigem ſibi in Reginam elegerunt. Cùm deindè Hedrigi maritum qværerent, magnam ſpem concepit Jagello regni adipiſcendi, ſi Hedvigem duxiſſet uxorem. Legatis igitur in Poloniam miſſis Regnum illud nuptiasqve Hedvigis ambivit, promittens inter alia, Chriſtianam ſe religionem cum omni ſuâ Lithuaniâ & Samogitiâ ſuſcepturum, ſi in Regem eligere-

tur.

tur. Et licet Hedvigem Ludovicus jam Wilhelmo Austriæ Duci destinaverat, jamqve pacta qvædam inter eos intercesserant de matrimonio, adjectâ ducentorum millium florenorum, pactione, in pactis conventis alterutra pars staret, ipse qvoqve Wilhelmus, ne sibi deesset, Cracoviam jam venerat: prælatus tamen ipsi est Jagello, qvi religione ethnicâ abjectâ, sacro Baptismatis fonte expiatus, nomen ULADISLAI accepit. Patruelis Uladislai fuit Alexander Witoldus, M. D. Lithu: magni animi Princeps, qvi Lithuaniæ se Regem creari desideravit; postea etiam Bohemicam coronam sibi oblatam accepisset, nisi Uladislaus Bohemis Hussitis infensus restitisset. Uladislaus tantæ fuit pietatis, ut ipse qvoqve cum Vitoldo rudem plebeculam, cùm necessitas postulabat, in religione Christianâ erudiret. Nec minus illud pietatis indicium est, qvod referunt de ipso Scriptores Polonici. Cùm antè pugnam inter Grünwald & Tanneberg in Prussiâ, diutius sacris matutinis immoraretur, misit Cruciferorum Magister ad eum duos caduceatores, qvi ipsum hortarentur Magistri sui nomine, ne tam cunctanter & meticulosè pugnam iniret: & qvò citiùs id faceret, duos gladios strictos & cruentos Regi & Vitoldo caduceatores obtulêre, ut vel iis contra Cruciferos uteretur. Hîc piissimus Rex caduceatoribus respondit: Qvamvis armorum satis habeat in exercitu, accipere se tamen in Dei nomine gladios ab hoste contumeliæ causâ missos: atqve ita accipere, ut omen victoriæ, qvam sibi armorum traditio portendat. *Vid. Cromer. Neugeb. Schuz. & alii.* Aliter tamen rem enarrat Æn. Sylvius *in descript. Europ. cap. 29.* Videlicet Magistrum Regi duos enses misisse refert, factâ potestate, ut qvem vellet hostis eligeret, alterum sibi remitteret, Rex igitur uno retento remisit alterum. Sed qvilibet animadvertit, veriorem esse relationem priorem. Porrò Vladislaus Academiam Cracoviensem ex testamento Hedvigis erexit, accitis ex Academiâ Pragensi Doctoribus. Abstemius fuit, & omni vitæ suæ tempore non nisi aqvæ potu usus est. Non fuit tamen sine labe. Notantur enim in ipso præter Zelotypiam, qva laborabat, superstitiones qvædam ethnicæ, qvas ad extremum usqve retinuit, teste Cromero Neugebavero, & aliis. Autor Chronici *Ordinis Teutonici, cujus initium fecisse dicitur, Episcopus qvidam Paderbornensis,* Ordini Teutonico nimium addictus, hunc Wladislaum non rarò ut gentilem acerbè exagitat. Sed immeritò. Wladislai filius itidem VLADISLAUS dictus, simul fuit in Regem Hungariæ electus; ubi rupto fædere, cum Turcis antea inito, (idqve jussu Pontificis per Cardinalem Julianum) commissoqve ad Varnam prælio, cæsus est. An. 1444. Hinc illud ipsi positum est Epitaphium:

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite mortales non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

De CASIMIRO III. (qvi reverà est IV.) Jagellonide illud notandum est, qvod aliàs apud Historicos Polonicos non legi. Cùm Carolus Canuti Rex Sveciæ Gedani in Cœnobio Olivensi cum Rege Polonorum latinè locutus esset, qvia Polonicè nesciebat, nec ipse Rex per se vel aulicorum qvenqvam, nisi per monachum, respondere posset, effecit Carolus, ut Casimirus pudore ex imperitiâ istius lingvæ non tam sui qvam ministrorum causa victus, latinarum & humaniorum literarum studium, suis, si provehi ad honores vellent, publico edicto mandaret. Ex quo tempore magis qvàm antea non solùm Nobiles sed etiam plurimi ex vulgo literas latinas didicerunt, imò ea de causa latina lingva hodiè freqventior est in Poloniâ, qvàm in ullo alio regno. Joann Loccenius *lib. V. Hist. Svec. pag. 158.* JOANNES ALBERTUS Rex infeliciter regnum administravit. Tum enim Tartari & Turcæ Russiam, Podoliam, aliasqve regni Poloniæ provincias vastarunt miserrimè. ALEXANDRI Regis breve fuit imperium. Conjugi illius Helenæ diadema negatum est, qvod, Græcanicis addicta sacris, Romanæ Ecclesiæ instituta nollet seqvi. Rex ipse fuit nimis prodigus, adeò ut si diutius vixisset, totum regnum potuisset

tuisset prodigere. SIGISMUNDUS I. deindè secutus est, Princeps immortalitate dignissimus, qviqve virtutibus suis, à Paulo Jovio, nobili Historico, poni meruit inter tres illos heroas, (hi fuerunt Carolus V. Imp. Franciscus I. Gall. Rex, & noster Sigismundus I. Rex Polon.) qvi nisi simul imperâssent, singuli digni fuerunt, qvi toti orbi imperarent. Fuit, præter magnas animi dotes, etiam magno corporis robore præditus: ætate enim florenti soleas ferreas, qvales eqvis suppingi solent, frangere, funesqve cannabinos rumpere solidum ferunt. Excepit Sigismundum I. in imperio SIGISMUNDUS AUGUSTUS filius, sub qvo Lutherana, ut vocant, & Reformata religio mirè propagata est in Poloniâ. Causam ferunt esse hanc: Ducebatur qvædam meretrix ad ministros Andreæ Karnkovii, qvæ cùm in Studiosos vel Academicos incidisset, habita est contumeliosiùs. Aulici, ad qvos tendebat, in Studiosos irruunt, & qvosdam eorum trucidant. Studiosi vindictam implorant: qvæ cùm neglectius exerceretur, illi agmine facto omnes urbem relinqvunt, sacrum illud: Ite in universum mundum, ingeminantes. Hinc secuta est non tantùm ingens Academiæ vastitas; sed etiam illi Studiosi peregrinam religionem edocti, eam tandem in Poloniam intulerunt. Rex postea Sigismundus Augustus Polonis suis à Romanâ Ecclesiâ deficientibus ea in re molestus non fuit, & non modò

modò confessionem fidei ab eis exhibitam, amanter manibus suis suscepit; sed etiam concionatores eorum interdum audivit, & in aula sua fovit, ex qvibus fuere Joannes qvidam Cosminius, & Laurentius Prasnicius, referente Sarnitio *lib. VIII. Annal. Polon. ad an. 1552. fol. 394.* Parum tunc absuit, qvò minus tota ferè Polonia religionem præcipuè Reformatam reciperet, multis Episcopis aliisqve sacerdotibus mutantibus. *Vid.* Neugeb. *lib. VIII. Hist. Polon.* & Paul. Piasec. *in Chron:* Non prætereundum hic est periculum, qvod adiit Sigismundus Augustus Rex Regiomonti in Prussia. Cùm enim, ab Alberto Marchione & Duce Prussiæ demissè invitatus, Regiomontum intraret, & ingenti tormentorum reboatu salutaretur, ignorantiâ tormentarii Magistri, pila ignita è tubo mortarii emissa ipsum Regem propè tetigisset, nisi, Deo sic providente, eqvus Regius loco opportunò cessisset; Armigero tamen ejus Visniovviecio, qvi eum ponè seqvebatur, caput pila volans abstulit, ut Regem cerebro respergeret. Prædixerat hoc periculum Foxius Astrologus Regi eo die subeundum. *Vid.* Neugeb. *lib. VIII. Hist. Polon. pag. 585. seq.* Anteqvam hanc periodum finiamus, notanda sunt verba Alberti Cranzii, in fine Sec. XV. scribentis, qvibus magnam domus Jagellonicæ potentiam extollit, & eam omnibus Christiani orbis Principibus præfert. *Magna*, inqviens, *hodiè domus Poloniæ, originem ducens ex Lithuanis. Incomparabilis est hodiè suâ magnitudine cunctis Principum per orbem Christianum familiis. Qvam enim gentem dabis tam latè imperitantem. Teneat Hispaniarum Rex hodiè propitio Deo omnem Hispaniam qvinqve regnis distributam: adjecerit Bæticæ Regnum qvod Granadæ vocant. Pace ejus dixerim, Poloniæ domui par esse non potest: tria enim latissima regna hodie complectitur. Tenet Vladislaus senior inter fratres regna Vngariam cum Bohemiâ. Tenet Joannes Albertus ipsam Poloniam: Alexander frater magnum Lithuaniæ Principatum, fratre Rege Poloniæ nulla parte minor.* &c. lib. VI. Wandal. cap. 8.

XIV. Qvarta & ultima Classis Regum Poloniæ ex diversis familiis constat. Seqvuntur verò sese Reges hoc ordine:

An. Ch. 1574.	*Henricus Valesius Dux Andegavensis*	5. mens.
1576.	*Stephanus Battori Palat. Transylv.*	10. an.
1587.	*Sigismundus III. Princeps Sveciæ*	46.
1632.	*Vladislaus IV.*	17.
1648.	*Joannes Casimirus*	21.
1669.	*Michael Koributh. Dux in Wisniowiec*	4. ann. 4. mens.
1674.	*Joannes III.*	

Hæc Periodus crebris distingvitur Interregnis, ob diversas familias, ex qvibus Reges illi fuerunt

runt electi. Sublato enim Sigismundo Augusto, ultimo stirpis Jagellonicæ, electus est HENRICUS Valesius, Dux Antegavensis, Caroli IX. Regis Galliæ frater, qvi non nisi aliqvot mensibus à coronatione suâ Poloniæ præfuit. Auditâ enim morte Caroli IX. Regis Galliæ fratris sui, præsentiâ suâ opus esse ratus; de dimissione verò è Poloniâ dubius, clam noctu parvo cum comitatu Cracoviâ discessit, & in Galliam suam perrexit, frustra ipsum revocantibus Polonis. Cùm Henricus Galliæ regnum turbis variis implicatum occupâsset, Poloni verò præsente Rege opus haberent, Interregnum publicarunt. Scissa in duas partes Polona Nobilitas duos elegit Reges. Altera pars Maximilianum Imperatorem, cui favebat Jacobus Vchanski Archiep. Gnesn. & Primas Regni, Altera STEPHANUM Battor de Somlio (Fuerunt enim alii Battorei de Battor) Palatinum Transylvaniæ, cui favebat Samuel Zborevvski, tum temporis apud illum exul. Cum hîc Imperator cunctaretur, Stephanus Poloniam ingressus, facilè illam in suas partes traxit omnem. Dantiscanam etiam urbem resistere ausam obsidione cinxit, & ad pacem petendam compulit. Fuit hic Rex in pœnis irrogandis severior, qvam leges Polonicæ patiebantur. Religionem vi propagare noluit, Deum tria illa sibi soli reservâsse dictitans. Ex nihilo aliqvid facere; futura præscire; & conscientiis dominari. Post illius fata iterum duæ factiones in Poloniâ extiterunt. Ab unâ electus est Maximilianus Dux Austriæ, ab alterâ SIGISMUNDUS Princeps Speciæ, ex stirpe materna genus ducens à Jagellonidis. Nam Catharina Sigismundi Augusti Regis Pol. soror nupserat Joanni III. Principi Finlandiæ (qvi postea Rex Speciæ fuit) ex qvo conjugio natus est Sigismundus III. Hic à matre Catharina in religione Pontificia educatus est, permittente id Joanne III. Rege, qvi & ipse ad religionem Pontificiam inclinabat. Hinc cùm Sigismundi Præceptor Arnoldus Grothusius conaretur Sigismundum à Pontificiâ religione abducere, Rex Joannes excandescens, stricto in Præceptorem gladio, hæc addidit verba: *Educabis filium meum in spem utriusqve regni* (nempe Svecici & Polonici) *Vid.* Joan. Loccen. *lib.* VII. *Hist. Svec. pag.* 441. Sigismundus Rex Poloniæ electus, tandem etiam post mortem Joannis III. Regno Speciæ potitus est. Sed cùm Jesuitas eò vellet introducere, aliæqve causæ intercederent, regno illo Speciæ privatus est à Carolo IX. Duce Sudermanniæ, cum qvo posteà varia gessit bella per Joannem Zamoiscium, Magnum Regni Poloniæ Cancellarium, & Exercituum Ducem supremum. Illud etiam hic prætereundum non est, Sigismundum III. habuisse priùs in matrimonio Annam Caroli Archiducis Austriæ filiam, qvâ defunctâ, duxisse illum alteram Caroli Archiducis filiam Constanti-

ſtantinam Annæ ſororem. Ex priore natus eſt Vladislaus, ex poſteriore Joannes Caſimirus. *Vid.* Stanisl. Lubienski *lib.* I. *&* II. *de motu Civili in Poloniâ.* Sigismundum III. in regimine excepit filius primogenitus VLADISLAUS, felici in Poloniam ſtatu introducto, de victis Turcis, & Magno Ducatu Moſcoviæ (cujus etiam *Tzar* electus erat) ſibi ſubjugato, ad omnem poſteritatem memorandus. Hoc mortuo, & ipſa Regni Poloniæ felicitas mortua fuiſſe videbatur. JOANNES CASIMIRUS enim, qvi jam vitam Monaſticam in Religione ſocietatis Jeſu elegerat, & biennio probationis finito, anteqvam perſeverantiam in eô ſtatu profeſſus eſſet, ab Innocentio X. Papâ in numerum Cardinalium cooptatus erat, teſte Piaſec. *An.* 1648. *fol.* 599. (503), Vladislao à Polonis ſuffectus, ductâ fratris ſui Vladislai uxore Mariâ Loysâ Ducisſâ Nivernenſi, ex familiâ Gonzagarum, infinitis bellis cum Coſacis, Moſco, Tartaro, Sveco, &c. geſtis, vix eluctatus, tandem tot laboribus feſſus imperio abdicato in Galliam conceſſit, ubi etiam ſpiritum exhalavit. Caſimiro Regno ſe abdicante, electus eſt ſummis omnium ſtudiis *Piaſtus*, i. e. Rex Incola, MICHAEL KORIBUTHUS Dux in Viſniowiec, ex antiqviſſima Olgierdi, Magni Ducis Lithuaniæ & patris Vladislai Jagellonis familiâ oriundus. Fuit enim Koributhus, à qvo Viſniowiecii Duces deſcendunt, Vladislai Jagellonis frater.

frater. *Vid.* Albert. Wijuk Cojalovviez *part.* 1. *Hiſt. Lithu. lib.* VIII. *pag.* 354. Verùm Rex hic parùm felix fuit. Bellis enim inteſtinis exagitatus, Cameneciâ Podoliæ, fortiſſimo totius Poloniæ propugnaculo, à Turcis expugnatâ. An. 1673. è vitâ exceſſit. Geſtum deinde eſt bellum cum Turcis ſub auſpiciis Illuſtrisſ. Dn. Joannis Sobieſcii, qvi etiam ob ingentia in Rempubl. merita ad Regale ſolium evectus eſt JOANNIS III. nomen adeptus.

XV. Anteqvam hoc caput concludamus lubet jam omnia illa Interregna in qvatuor periodis commemoratis occurrentia in unum colligere. Et qvamvis in Regnis Electivis poſt ſingulos Reges ſeqvatur Interregnum, niſi pater ſe adhuc vivo filium, indultu Procerum ad Regnum promoveat, non omnia tamen hîc nobis erunt commemoranda. Duplicia enim nos hic facimus Interregna. Alia minora, qvando parente mortuo, ex filiis, aut his deficientibus, ex fratribus unus in ejus locum eligitur. Minus verò vocatur Interregnum propterea, qvia certus ferè eſt Regni ſucceſſor, minoreqve tumultu res agi ſolet. Alia verò Interregna appellare poſſumus majora, qvando unâ ſtirpe regiâ prorſus extinctâ in alium regnum transferendum eſt, aut etiam ſi aliis intervenientibus, etiam filio ſuccedente, magnis motibus concutitur regnum. Tum enim majoribus ſtudiis res agitatur, majora etiam pericula imminent Reipubl.

Et ejusmodi Interregna majora numeramus præter propter duodecim. *Primum* est post Lechi mortem, qvod interregnum incidit in ann. Chr. 700. *Secundum* est, postqvam Wenda Regina filia Craci seipsam in Vistulam amnem præcipitem dedisset, circa An. 750. *Tertium* à Præmisli sive Lesci I. morte, ubi cursu eqvorum instituto Lescus II. in Regem electus est. *Qvartum* post Popielum II. à muribus corrosum, in cujus locum suffectus est Piastus. *Qvintum* est à Miecislai Regis Polonorum secundi morte, ubi Casimirus ex monasterio extractus gubernaculis Reipubl. admotus est. *Sextum* postqvam Casimirus Magnus mortuus esset, ubi Ludovicus Ungariæ Rex electus est. *Septimum* post Ludovici Vngari fata, ubi ad Magnum Ducem Lithuaniæ regnum fuit delatum. *Octavum* cum Sigismundo Augusto è vivis sublato, regnum Poloniæ Henrico Valesio cessit. *Nonum*, post excessum hujus in Galliam, ubi Stephano Transylvan. Palatino sceptrum fuit traditum. *Decimum*, post ejusdem Stephani mortem, ubi Sigismundus III. fuit ex Sveciâ accitus. *Vndecimum* est post abdicationem Joannis Casimiri, ubi Michaël Koributh Dux Visniovvecius electus est. Et tandem *Duodecimum* Interregnum est post fata Koributhi Regis.

CAP.

CAPUT III.

De *Silesia.*

I.

OMissis jam Rugianis, Mekleburgico & Luneburgico Ducatibus, Wagriâ & Misniâ, ut & Regno Bohemiæ & Moraviâ (qvas, licet Slavorum fuerint provinciæ, primis illis Ducatus Polonici temporibus Polonis non paruisse jam supra probavimus, & licet postea qvædam earum præsertim sub Boleslao Chrobri Regno Poloniæ fuerint adjunctæ, non diu tamen imperium Polonorum agnoverunt) progredimur jam ad Silesiam, qvam Vincentius Kadlubko semper appellat SILEUCIAM. Populos ipsos alii veterum SILESIOS, SLESIOS, alii SLIUSIOS, alii SUSOS vocant. Derivatio qvoqve hujus nominis varia est. Alii enim hoc nomen deducunt à *Slesa* vel *Elsa* flumine, alii à Schleuß/alii aliundè. *Vid.* Melch. Goldast. *lib. I. de Regn. Bohem. cap. 14.* Cureus *in Annal. Siles.* putat antiqva nomina LYGIORUM & ELYSIORUM in usum revocata esse, qvod est probabilius. Hanc provinciam ad Poloniam tempore Lechi successorumqve ejus pertinuisse, aut saltem magnam ejus partem

 ad

ad Oderæ ripam Orientalem, fidem nobis facit illud, qvod neqve Adamus Bremensis, neqve Helmoldus, Silesios ponant inter Slavos Germaniam incolentes hodiernam. Imò expressè Adamus Brem. *lib. II. cap. 10.* (63) Polonos statim trans Oderam collocat. Helmoldus etiam *lib. I. Chron. Slav. cap. 2.* terminum Slavorum suorum ab Oriente ponit Oddoram. Ex qvibus illud concludi potest, saltem illa, qvæ nobis cis Oderam sunt, & Poloniæ hodiernæ terminum orientalem contingunt, Polonis fuisse subjecta. Non minus autem certum est & hoc, Silesiam sæpius à Germanicis Imperatoribus jam olim fuisse infestatam, & forsan etiam aliqvoties vectigalem factam. Carolus M. qvod & Silesios domuerit, tradit Joach. Cureus *in Annal. Siles. fol. 28.* poterit etiam illa Curei sententia probari ex Eginhardi loco supra allegato (*cap. 11. n. 8.*) ubi dixerat Carolum M. gentes inter Rhenum & Vistulam perdomuisse. Intelligit autem sine dubio eos tantum populos, qvi sunt inter Rhenum, & ea loca, ubi Vistula oritur. Post Caroli M. tempora clariora jam habemus de subactis Silesiis Historicorum testimonia. De Ludovico Pio sic loqvitur Adamus Brem. *Ipse Boëmanos, Sorabos, Susos, & cæteros Slavorum populos ita perdomuit, ut tributarios efficeret. lib. I. Hist. Eccl. cap. 34. p. 29.* Hoc contigisse An. 830. refert Cureus. Ex qvibus patet, Carolum Magnum tentâsse, imò domuisse Silesiam, qvæ tamen

men postea statim se in libertatem asseruit. Hinc Carolo Magno satis fuit (si Blondo & Bonfinio supra allegatis credimus) Albi præsidia imposuisse. Ludovicus verò Pius eos iterum sibi subjecit, teste Adamo Bremensi. Sed neqve tum Silesii Imperio manserunt fideles: *Post mortem enim Ludovici Regis*, ait Helmoldus, *Bohemi, Sorabi, SUSI & Slavi, qvos ipse tributis subjecerat, tunc servitutis jugum excusserunt. lib. I.* Chron. Slav. *cap. 7. n. 3. p. 23.* Postea qvoqve nempè Anno 869. Sorabi & Sliusi sub Ludovico II. junctis sibi Bohemis & cæteris circumcirca vicinis, antiqvos terminos Thuringorum transgredientes, plurima loca devastarunt, ut notant Annales Fuldenses *ad dict. ann.* Sed Ann. 874. Luitpertus Archiepisc. & Ratolphus Thaculphi successor eos iterum sub jugum miserunt. Sic enim iterum dicti Annales: *Sorabi & Sliusi eorumqve vicini Thaculpho defuncto defecerunt, qvorum audaciam Luitpertus Archiepiscopus & Ratholphus Thaculphi successor ultra Salam fluvii profecti prædis & incendiis sine bello compresserunt & eos sub pristinum servitium redegerunt.* ad An. 874. Et alibi: *Slavi qvi vocantur Linones & Sliusi eorumqve vicini defectionem molientes solitum dare censum renuunt. Qvos Hludovicus Rex missis qvibusdam fidelibus suis sine bello compressit, acceptisqve obsidibus nonnullis & muneribus non paucis eos sub pristinum*

num redegit servitium. Hæc Annal. Fuldens. *ad Ann. 877.*

II. Hæc ex Germanicis Scriptoribus produximus, apud Polonos verò hodiernos hac de re nec vola nec vestigium. Constans enim eorum est sententia, Silesiam totam olim à Principio fuisse ditionis Polonicæ. Verum Germanorum relationes approbare etiam videtur Vincentius Kadlubko, qvi Boleslaum I. Chrobri sibi Seleuciam (i. e. Silesiam) Pomeraniam, Prussiam, Russiam, Moraviam, Bohemiam suæ subjecisse dictioni suisqve posteris vectigales reliqvisse refert, *lib. II. Chron. Polon. Epist. 13. pag. 138.* Si itaqve Boleslaus Silesiam suo adjecit imperio, ergò illa non semper Regno Poloniæ antea adhæsit. Post Boleslai Chrobri tempora sub Miecislao I. de Silesia nihil, qvod ad nostrum faciat institutum, occurrit notandum. Casimiro I. rerum in Polonia potiente circa Ann. 1042. Henricus III. Imp. Bretislao Duci Bohemiæ Silesiam concessit, eam postea Bretislaus Polonis reddidit eâ lege, ut Poloni ex Silesia qvotannis Bohemiæ Principibus penderent tributum, uti referunt Scriptores Bohemici Cosmas Pragensis *lib. II. Chron. Bohem. ad ann. 1054.* Borek *in Chron. Bohem. Part. 1. ann. 1040. f. 83.* Cureus *in Annal. Siles. fol. 39.* Circa Ann. 1058. Casimirus I. Rex Polon. Episcopatum, qvem ante ipsum Mieszko I. Smogoroviæ fundaverat, qviqve postea Bicinam translatus fuerat, tandem Vratislaviam transtulit, ex qvo dominium ipsius in Silesiam cognoscimus. Deindè Henricus IV. Imp. in Comitiis Moguntinis Ann. 1086. Vratislao Bohemiæ Regi dicitur fecisse potestatem, ut Silesiam, Lusatiam & totam Poloniam ad se traduceret, teste Cosmâ Pragensi, qvi ipse cum Duce suo interfuit Comitiis. *lib. II. Hist. Bohem. ann. 1086. f. 42.* Habent hoc & alii plurimi Scriptores Bohemici. Nec dissimulat hoc ipsum Mart. Cromerus; dicit tamen, utrumqve & Vratislaum Regem & Henricum IV. Imp. ne tantillum ibidem habuisse, qvantum pedis vestigio calcare posset, *lib. V. ad Ann. 1087. fol. 465.* Acta hæc sunt Vladislao Hermanno Principatum Poloniæ tenente. Cum verò Poloni Bohemis resisterent, nec imperium ipsorum agnoscere vellent, gesta sunt inter eos varia bella. Borek. *part. 1. fol. 107. in pr. & fol. 122.* Cureus *l. c.* Conferatur etiam de his Melch. Goldastus *lib. II. de Regn. Bohem. cap. 12.* & *lib. III. cap. 10. num. 8.*

III. Prævaluisse in Bellis illis Polonos cognosci potest indè, qvod Silesia sub Imperio Polonico & Boleslao III. Crivousto regnante manserit. Hujus filius Wladislaus II. cùm fratribus cohæredibus Regni Poloniæ impotenti Imperio gravis esset, expulsus ab illis, confugit ad Conradum III. & deindè ad Fridericum I. Impp. qvorum ultimus Boleslaum Crispum Ducem Polon. & fratrem Vladislai exulis, eò adegit, ut Silesia

Silesia universa Vladislalo & posteris ejus traderetur, cujus possessionem filii demum Vladislai, eo vitâ functo, adierunt. Horum fuêre tres Boleslaus, Mieczislaus, Conradus, qvi ita inter se videntur Silesiam partiti, ut tamen Monarcharum Poloniæ fiduciarios se profiterentur. Indè ut ejusdem sangvinis Principes, qvotiescunqve de salute communis Patriæ consilium capiendum erat, simul conveniebant, & Comitia obibant. Ut cum Ann. 1180. Casimirus Comitia Lencitiæ indixisset, aderant inter alios Boleslaus Procerus Wratislaviensis Dux, & Ziroslaus Wratislaviensis Episcopus. Et Ann. 1222. Masoviæ Duci contra Prussos bellum gerenti adfuere, fundationemqve Episcopatus Culmensis ratam habuêre Dux & Episcopus, item Dersko Palatinus, & Sobeslaus Castellanus Wratislavienses. Item Ann. 1226. in Comitiis Gansaviensibus adfuit Henricus Barbatus Wratislav. Dux, & ejusdem Urbis Episcopus. *Vid. de his* Stanisl. Lubienski *in Respons. ad LXX. rationes fol. 166. Operum.*

IV. Attamen postqvam Silesia Uladislai II. posteris esset attributa, abalienari statim cœperunt Polonorum à Silesiis animi, tùm ob memoriam Uladislai, filiorumqve ejus, qvibus Poloni hanc Provinciam tradiderant inviti, tùm etiam qvod ægrè ferebant conjunctionem Principum Silesiæ cum Germanis, qvi è Germania eò se conferentes passim Silesiam complebant. Undè etiam fiebat, ut Principes paulatim moribus Germanicis asvescerent: Imò propterea Poloni, Silesiæ Principes sæpius non accersebant ad Consilia. Præteribant insuper eosdem, qvando ipsis successio in Regno Poloniæ deberi videbatur. Exasperatis utrinqve animis, supervenit Joannes Bohem. Rex Henrici VII. Imperatoris filius, qvi odia inter has gentes Polonicam & Silesiacam auxit, donec tandem Silesiam sibi subjecisset. Præsertim verò inter Lignicensem & Bregensem Duces odia serebat, adeò ut illi sese, veluti Cadmæi fratres, invicem attererent, ex qvo etiam eò inopiæ redacti sunt, ut Boleslaus Lignicensium Dux filios suos Wratislaviensibus mercatoribus oppignoraret. Facilè itaqve fuit Joanni Duces Silesiæ tum prece tum precio ad se pertrahere, qvod etiam factum est Sec. XIV. sub Uladislao Loctico Rege Polon. Jam verò & antea Wenceslaus Bohem. Rex iisdem artibus nonnullas in Silesia ditiones interverterat, suiqve juris fecerat. *Vid.* Cromer. *lib. XI. fol. 586. seqq.* Neugeb. *lib.* III. *pag. 187.* Stanislaus Lubienski *in Respons. ad 70. rationes f. 168.* Præsertim verò Joachimus Cureus *in Annal. Siles. fol. 95.*

V. Sub eadem tempora, cum Duces Silesiæ tot bellis essent implicati, & DUCATUS CROSNENSIS cœpit à reliqvo corpore Silesiæ Poloniæqve avelli. Nam Anno 1272. urbs Crosna Archiepiscopo Magdeburg. oppignora-

 ta

ta eſt, qvam tamen biennio poſt Henricus Probus Dux Wratislav. redemit. Cureus *in Annal. Sileſ. fol. 306.* Andr. Angelus *lib.* II. *Annal. March. fol. 108.* Deindè Anno Chr. 1276. Wratislavienſes Marchioni Brandeburgico Joanni urbem Croſnam iterum oppignorarunt pro 4000. fl. ut captum Principem, ſuum Henricum liberarent, eâ conditione additâ, ne Marchio ſuppetias ferret Boleslao Lignicenſi. Miechov *lib. III. Chron. Polon. cap. 57.* Angelus *lib. II. Annal. March. fol. 110.* Cum verò poſtea Croſna ad Duces Sileſiæ rediiſſet, accepit illum Ducatum Joannes Magnus Marchio Brandeb. cognomento Cicero Germanicus, hypothecæ loco pro qvinqvaginta mille aureis, qvi ipſi dotis nomine debebantur. Angelus *in Annal. March. lib. III. fol. 247. fin.* Deindè Ann. 1491. Ducatum Croſnenſem Joanni III. Elect. Brandeb. Joannes Dux Saganenſis ceſſit, cum conſenſu Uladislai Regis Hung. & Bohem. Angel. *lib. III. fol. 256.* Sed Joachimus II. Ann. 1528. ejusqve frater Joannes March. Brandeb. acceperunt Croſnam à Ferdinando I. Rege Rom. & Bohem. primiqve ſe ſcripſerunt Duces Croſnæ in Sileſia. Angel. *lib.* III. *fol. 329.*

VI. Caſimirus tandem Magnus Rex Poloniæ Sec. XIV. cum Joanne Rege Bohem. tranſegit & jure omni qvod habebat in Sileſiam ſe abdicavit, ut tradit qvidam, apud Lubienſcium, *tractatu ſupra citato fol. 169.* Nec Lubienſcius id nega-

negare audet, reſpondet tamen Caſimirum id ſine conſenſu Procerum facere non potuiſſe. Non omnis tamen Sileſia tùm in ditionem Bohemorum tranſiit. Nam Bernhardus Svidnicenſium Dux manſit in fide, qva regno Poloniæ obſtrictus erat. Lubienski *l. c. f. 169.* Caſimirus etiam Magnus deindè WSCHOVIENSE ſive FRAUSTATENSE TERRITORIUM cum civitate ejusdem nominis armis recuperavit Ann. 1343. idqve contra Pacta, ut tradit Cureus *in Annal. Sileſ. ad dict. an. fol. 103.* Et hoc territorium adhuc eſt in ditione Regni Poloniæ. Caſimiro IV. Jagellonide Polonis imperante Joannes Oſvviecimenſium Dux Poloniam infeſtare auſus eſt, qvam injuriam ulturi Poloni, in ditionem ipſius irrumpentes, arcem Oſvviecimenſem obſidione cinxerunt: qvibus malis perculſus Joannes Dux pacem petiit, qvæ ipſi conceſſa eſt eâ conditione, ut accepto certo precio omni prorſus ditione Oſvviecimenſi Regi Polonisqve cederet. Et ſic tandem OSWIECIMENSIS DUCATUS, poſtqvam cum reliqva Sileſia in ditionem Bohemorum venerat, poſtliminio in ditionem Polonorum rediit Ann. 1454. Nec vindicatus eſt hic Ducatus à Bohemis ob bella Huſſitica ſub Georgio Rege Bohem. geſta. *Vid.* Cromer. *lib.* XXII. *fol. 728. & 731.* Neugeb. *lib.* VI. *pag. 334.* SEVERIENSIS DUCATUS in Sileſia per eadem tempora Sbigneo Oleſnicio Cardinali & Epiſc. Cracov. reditus eſt à Ratibo-

rien-

rienſium & Ceſſinenſium Ducibus. Cromer. *lib.* XXII. *fol. 720.* cujus Ducatus Domini adhuc ſunt Epiſcopi Cracovienſes. Tandem Ann. 1513. Sub Sigiſmundo Seniore DUCATUS ZATORIENSIS in Sileſia, qvem feudi jure à Rege Poloniæ obtinebat Januſſius Dux, Regno Poloniæ ex pacto deficientibus hæredibus adjunctus eſt, ſicqve poſt qvadringenteſimum ferè annum ad corpus Reipubl. rediit, Duce ipſo per Laurentium Myſzkovium, qvem variis injuriis affecerat, in venatione occiſo. Neugeb. *lib.* VII. *Hiſt. Pol. pag. 466.* Juramentum qvo ſe obſtringere ſolebat Regi Poloniæ Dux Satorienſis. *Vid.* apud Janum Januszov. *lib.* VII. *Conſtit. Regni Polon. Part.* VII. *tit. 1. fol. 1013.* In reliqvis etiam Ducatibus, qvos poſſidebant Reges Bohemiæ poſt Joannem, habuiſſe jus qvoddam Polonicos Reges, probat Lubienſcius ex eo, qvod Uladislaus Jagello Pol. Rex non aliter fœdus cum Wenceslao Imperatore pepigerit, niſi ut Wenceslaus, ut Bohem. Rex, nomine Ducum Sileſiæ cum ſexcentis lanceis & totidem baliſtariis ſe contra qvemvis hoſtem auxilio futurum polliceretur; cujus rei extare diploma in Archivo Cracovienſi. Ann. 1414. conſcriptum, teſtatur *fol. 170.* ex qvo etiam pacto Wladislao contra Cruciferos bellum gerenti qvosdam Sileſiorum Principes adfuiſſe memorat. Hæc & alia plura *Vid.* apud Lubienſcium. Ut jam taceam qvorundam Epiſcoporum & Abbatum Poloniæ territoria ampliſſima, qvæ adhuc poſſidere dicuntur in ditionibus Sileſiæ, qvæ hodiè ſubeſt Regibus Bohemiæ, de qvibus *Vid.* Lubienski *in Diſcurſu de Reb. Sileſiacis. fol. 160. Operum.*

CAP. IV.

De Luſatia.

I.

IN primo ingreſſu Slavorum in Germanicas oras Luſatiam Polonis non fuiſſe ſubjectam, indè cognoſcimus, qvod Adamus Bremenſ. *lib.* II. *cap. 10.* & Helmoldus Boſov. Presb. *lib. 1. Chron. Slav. cap. 2.* enumerantes populos Slavicos extra Poloniam, numerent & Slavos Luticios, inter qvos etiam ſunt Luſati, præſertim Inferiores. Sorbos enim Luſatiam Superiorem tenuiſſe, probat Petrus Albinus *in Chron. Miſn. Tit. VII. fol. 75. fin.* Jam verò *cap. II. num. IV.* probavimus Slavos illos in Germania fuiſſe liberrimas gentes, nulliqve Domino ſubjectas, qvod præcipuè de Lutitiis aſſerentem audivimus Dithmarum Mersburg. *lib. VI. Chron. cap. 136.*

II. Luſatiam primus dicitur fregiſſe Carolus M. ut ex Eginhardi loco, ſupra *cap. II. num. VIII.* citato apparet. Hujus filius Ludovicus I. in teſta-

testamento suo Lothario filio inter alias Provincias tradidit & Lusatiam, ut ex Abrah. Hofmanno habet Goldastus *lib. II. de Regn. Bohem. cap. 13. n. 3.* In reliqvorum Seculi IX. Imperatorum divisionibus non dicitur expressè, an Lusatia alicui filiorum fuerit attributa, uti ex locis à Goldasto citatis videre est. Hoc ex illorum temporum historia colligere licet, fuisse qvidem tum Slavos ab Impp. Germanicis subactos, semper tamen eosdem illis rebellasse. Non minus tamen & hoc certum est, Lusatiam tum imperio Polonico non fuisse subjectam.

III. Sec. X. Cum Slavi hinc indè infestarent Germanicas provincias, Henricus I. Imp. Slavos aggressus Misnensem Marchionatum ibi Ann. 929. & postea qvoqve Marchionatum Budissinensem in Lusatia instituit, eundemqve tradidit Geroni Comiti ab Aldenburg, qvi postea factus est Marchio Brandeburgicus. P. Albin. *tit. VIII. fol. 96. seqq.* Ergò ne tunc qvidem Poloni Lusatiam habuere. Dicitur qvidem paulò post Misico Primus Princeps Christianorum tempore Ottonis II. Imp. imperâsse Slavis Licikavicis. Sed hi non fuere Lusici sive Lusati, ut vult Cromerus, ne cogatur concedere Miecislaum fuisse subjectum Ottoni I. Magno. Nam Wittikindus Corbejensis Licicavicos Slavos, ut diversos numerat à Slavis Luticiis, qvando ait: *Otto M. Miscam Regem, cujus potestatis erant Slavi, qvi dicuntur Licikavici, duabus vicibus superavit. Eo qvoqve tempore Gero Præses Slavos qvi dicuntur Lusiki potentissimè vicit, & ad ultimam redegit servitutem.* Hæc ille *lib. III. Gest. Sax.* Conf. Cromer. *lib. III. in Miecislao fol. 436.*

IV. Primus igitur Polonorum Regum qvi Lusatos sub jugum misisse dicitur, est Boleslaus I. Chrobri. Hoc enim non tantum Kadlubko *lib.* II. *Chron. Ep. 13. pag. 138.* testatur, ubi Boleslaum hunc usqve ad Salam progressum esse, ibiqve columnam victoriarum suarum monumentum statuisse refert. Sed etiam Dithmarus Mersburg. qvi de Boleslao verba faciens: *Interim,* ait, *Boleslaus Misecon is filius de morte lætatur Comitis Ekkehardi, moxqve electo excercitu omnem Geronis Comitis Marcham citra Albim jacentem, deniqve præmissis obsidibus Budissinam civitatem, cum omnibus adpertinentiis, comprehendens, statim Strelam urbem invasit. Misnenses etiam se Boleslao dedunt. Inde Boleslaus omnes regionis illius terminos usqve ad Elstram fluvium praoccupavit, præsidiisqve munivit.* lib. V. *Chron. pag. 108. seq.* Conf. & Cureus *fol. 35.*

V. Verum non diu sub Polonorum potestate mansisse videtur Lusatia, nisi fortè excipias loca Silesiæ proxima. Hanc enim Marchiones Misniæ & Lusatiæ postmodum adepti sunt, qvi eam jure feudi tenebant ab Imperio, uti hoc ex Constitut. Cæsareis probat Melch. Goldastus *lib.* III. *de Regn. Bohem. cap. 16. num. 34.* Penes hos

hos etiam Lusatia mansit usqve ad An. 1086. qvo anno Henricus IV. Imp. Lusatiam Uratislao I. Regi Bohem. simul cum Silesia tradidit, teste Cosma Pragensi *lib.* II. *Hist. Bohem. Ann.* 1086. *fol.* 42. *Edit. Hanov. Ann.* 1607. In specie autem & Lusatiam traditam Uratislao scribunt Æn. Sylv. *in Hist. Bohem. cap.* XXII. Paulus Langius *in Chron. Cizicensi ad An.* 1086. Cranz. *lib.* III. *Wandal. cap.* II. & *lib.* VI. *cap.* 6. Cureus *fol.* 43. Bonfin. *Dec.* II. *lib.* III. *f.* 212. & *lib.* V. *fol.* 247. & *alii.*

VI. In potestate Regum Bohemiæ mansit Lusatia usqve ad Ann. 1254. qvo tempore Ottocarus II. Rex Bohem. Lusatiam tradidisse dicitur Marchioni & Electori Brandeburgensi, ut sibi suffragium ipsius emeret in Electione Regis Rom. Petr. Albin. *tit.* 20. *fol.* 253. Goldastus tamen nihil hâc de re habet, sed probat Ottocaro huic Rudolphum I. Imp. Lusatiam contulisse Viennæ, ut & Wenceslao filio hujus Ottocari Erfordiæ confirmâsse, licet non alleget Veteres Authores, qvi hoc affirment; sed citat tantum pro sua sententia Th. Lansium & Reusnerum.

VII. Hoc tamen etiam certum est, qvod supra etiam innuimus, partem Lusatiæ Superioris subjectam fuisse Ducibus Silesiæ, Hinc circa Ann. 1344. Urbs Lauben ipsis fidelis mansit contra Pseudo-Waldemarum, qvi Marchionem se Brandeburgensem ferebat. *Vid.* Albin. *Tit.* XX. *fol.* 254. Tandem verò cum Silesiam Joannes Rex Bohemiæ sibi subjiceret, cessit & illa pars Lusatiæ Bohemis simul cum Silesia. *Vid.* Joachimus Cureus *in Annalib. Silef. fol.* 55. Dubrav. *lib.* XXI. *Hist. Bohem. fol.* 205. *seq.* Conf. & Cromer. *lib.* VII. *in Lesco Albo. fol.* 526. Sam. Schurzfleisch *in dissert. de Lusatia, ut & de Marchia Misnensi.*

CAP. V.

De *Marchia Brandeburgica.*

I.

MARCHIAM alii dictam volunt à MARCOMIRO Duce Francorum, qvi circa Ann. Chr. 140. Marchiam occupâsse fertur; alii à MARCOMANNIS populis, qvos in Moravia hodierna qvondam habitâsse comperimus; alii Marchiam dictam putant, qvasi Νομαρχίαν. i.e. Provinciam recens occupatam. Sed melius sentiunt, qvi, missis his fabulosis, Marchiam derivant à Germanica voce Marck/ qvæ limitem notat, qvoniam limitanea provincia constituta erat ab Imperatore Henrico Aucupe contra Slavicas gentes. In primo autem Slavorum in Germaniam ingressu, varii eam Pro-

Provinciam occupavere populi, qvos omnes Polonis paruisse asserunt Polonici Scriptores. Nos plerosqve dictorum populorum inter liberas gentes numeramus, ut ex *cap.* II. *n.* 4. manifestum esse potest.

II. Cum autem Slavi ex his oris interiora Germaniæ crebris excursionibus infestarent, primus eos aggressus est Carolus M. Imp. Germ. Hic enim omnes gentes inter Oceanum & Danubium domuisse fertur, ut supra testabatur Eginhardus, & Chronici Belgici Magni Auctor. Dicitur idem Carolus M. Harlungos ex Alsatia in hodiernam Marchiam Brandeburgicam à se devictam induxisse. *Vid.* Andr. Angelus *lib.* I. *Annal. Marchiæ fol.* 25. Deindè circa Ann. 898. Bilungus Vendorum Rex Visislai filius Marchiâ Brandeburgicâ occupatâ, Harlungos, à Carolo M. inductos expulit. *Vid.* Angelus *lib.* I. *fol.* 36. Hunc Bilungum longè lateqve regnâsse, dicit Helmoldus, nempè à Vesera ad Vistulam (in oris videlicet maritimis) & à Pomerania ad Holsatiam, & resedisse in Meklenburg. *Vid.* Henr. Bangertus *ad Helmoldi lib.* I. *cap.* XII. *pag.* 39. *b. Conf.* Angelus *lib.* I. *fol.* 36. *seq.*

III. Circa Ann. Chr. 926. Slavi muniverunt Brandeburgum urbem, qvam qvidam à Brenno Duce Gallorum Semnonum dictam putant. Alii cum videant, Brennum illum nunqvam ad hæc loca pervenisse, originem vocis deducunt ab antiqvo vocabulo Germanico Brenn / qvod galeam notat, undè Heltbrand sive Hilbrand est heros galeatus. Sed qvid obstat, qvo minus dicere possimus, urbem hanc à Slavis conditam dictam esse *Zgor Zelec*, deindè verò à Germanis occupatam Germanico vocabulo Brandenburg / qvod idem est atqve Slavonicum illud Zgorzelec. Sic Poloni Scriptores, & Angelus *lib. I. fol.* 38. Deindè Henricus I. Imp. urbe Brandeburgo occupatâ Marchionatum ibi instituit circa Ann. 930. (927.) Ex qvo tempore Marchia Brandeb. suos habuit Marchiones. *Vid.* Sigebert. Gemblac. *ad Ann.* 925. *fol.* 578. Alb. Cranzius *lib. III. Wand. cap. XV. XVI.*

IV. Hoc tamen negari non potest, illam provinciam qvæ hodiè dicitur Nova Marchia, aut saltem aliqvam ejus partem Polonis fuisse subjectam. Nam Sec. X. cum Misico sive Miecislaus Dux Polon. Christianus esset factus, etiam in Nova Marchia instituisse fertur Episcopatum Lubussensem. Joan. Dlugoss. Tom. I. Hist. Polon. lib. II. fol. 92. Andr. Angelus *lib.* 2. *Annal. March. fol.* 54. Cromer. Neugeb. & alii.

V. Jam igitur audire placet, qvâ occasione illa regio, qvæ hodiè dicitur Nova Marchia in potestatem Marchionum Brandeburg. venerit. Lubus urbem & territorium ejus ab Henrico II. Imp. fuisse infestata, urbē etiam fuisse captā & à Boleslao I. Rege Polon. receptā, legimus apud Dithmarum Mersburg. *lib. VI. p.* 156. & 168. Mansit indè

indè territorium illud in poteſtate Polonorum usqve ad Ann. 1109. ubi Lubus oppidum ab Henrico V. Imp. captum & Adelgoto Archiep. Magdeb. donatum eſt. Andr. Angelus *lib. II. Annal. March. fol. 76.* Sed & tum Poloni Lebuſiam ſuam recuperâſſe videntur. Novam Marchiam etiam (qvod ego de parte ejus Pomeraniæ finitima interpretor) tum tenuiſſe dicuntur Wartislaus I. & Ratiborus Duces Pomeraniæ. Albin. *lib. II. Annal. March. fol. 78. circa finem.*

VI. Cum Sileſia traderetur poſteris Uladislai II. ut ſupra dictum, ceſſit & territorium Lubuſſenſe Ducibus Sileſiæ. Indè ſub Boleslao Pudico circa fin. Sec. XII. Boleslaus Henrici Ducis Uratislavienſis filius Ducatum Lubusſenſem, cum ejus territorio Marchionibus Brandeburgenſibus in perpetuum vendidit, ex qvo tempore Ducatus ille & Epiſcopatus ejus Lubuſſenſis à Poloniæ Regno abſtractus, non ſine regni Poloniæ notabili mutilatione usqve in noſtra tempora durante, ait Dlugoſſus *ad Ann. 1198. fol. 517. Tom. I. lib. VI.* Cromerus verò *lib. VIII. fol. 547.* & Neugeb. *lib. III. pag. 148.* dicunt, hoc territorium Lubuſſenſe à Boleslao Calvo, contra Henricum Lignicenſem fratrem bellum gerente, oppignoratum tantum ſub Boleslao Pudico, ex eo tamen tempore in poteſtatem Marchionum Brandeb. redactum eſſe.

VII. Cum Marchiones Brandeburgici territorium Lubuſſenſe jam poſſiderent, Otto Longus Marchio, per inſidias interfecto Premislao Rege Poloniæ, occupavit Præpoſituram Sancenſem, peramplum Sacerdotium, cujus erat ordinaria jurisdictio intra Odram, Dravam, Vartam & Noteſſum amnes. Hanc præpoſituram, cujus conferendæ poteſtas penes Epiſcopum Poſnanienſem erat, Marchiones Soldinenſi Eccleſiæ adjunxere. Controverſia diu agitata à duobus Epiſcopis tandem à tertio Joanne cognomento Lozia neglecta eſt. Albertus Cranzius etiam alia complura oppida tum Polonis à Marchionibus Brandeb. adempta eſſe, & inde Novam Marchiam vult eſſe conſtitutam, teſte Cromer. *lib. XI. fol. 576.* Acceſſerunt etiam Novæ Marchiæ circa Ann. 1244. ea loca, qvæ tenebant Duces Pomeraniæ in Nova Marchia. Hæc primò Marchio Joannes I. bello Pomeraniæ Ducibus illato occupavit; deindè verò nomine dotis accepit. Micræl. *lib. III. Chron. Pom. Part. I. num. 13. p. 314. ſeqq.* Qvamvis verò poſtea Uladislaus Jagello Rex Polon. Novam Marchiam in ſua verba adegerit Cromer. *lib. XX. fol. 695.* reddidit tamen eandem Marchionibus filius ejus. *Vid.* Schüz. *lib.* III. *Chron. Pruſſ. fol. 127. b.* Cætera *Vid.* ap. Cromer. *lib.* XXII. *pag. 733. & lib.* XXVII. *fol. 782.*

VIII. Præter hæc cum Sereniſſ. Elector Brandeb. Fridericus Wilhelmus Ann. 1657. cum Rege Polon. in gratiam rediiſſet, promiſit Rex Joannes

annes Casimirus in certo termino C. & XX. millia talerorum se numeraturum, aut arcem & oppidum Drahimum in finibus Marchiæ Novæ loco hypothecæ traditurum cum omnibus Capitaneatus illius Vasallis, subditis, fructibus, libertatibus, pertinentiis, &c. Hæc Pacta Bydgostiæ inita, confirmata sunt postea in Comitiis Regni Poloniæ Anno 1658. 11. Januar. *Vid.* Diarium Europ. *Continuat.* II. *ad dictum An. pag. 167. seqq.* Conf. & Constitutiones *dicti anni, jussu omnium Ordinum, bis recusæ. fol. 3.*

CAP. VI.

De

Pomerania.

I.

Pomeraniæ nomen Slavonicum esse non dubitamus asserere, qvicqvid etiam dicat Cl. Micrælius *in Præfat. in Part.* II. *Chron. Pomer.* Nam *Pomorska*, subintellige, *Ziemia*, est idem qvod litoralis, sive maritima terra. Dicitur etiam simpliciter *Pomorska* Polonicè, & Pomerania Latinè. Hinc etiam Vincentius Kadlubko antiqvus Scriptor Polonicæ Historiæ semper ferè Pomeraniam appellat MARITIMAM, & freqventer apud ipsum occurrunt: *Ma-*

ritimæ Præses: Maritimæ Dux: Ingressus est Maritimam. & aliæ formulæ. Qvi Cl. Micrælium de significatione particularum Polonicarum, *u, po, przy*, edocuerunt, ignari ipsi fuerunt lingvæ Polonicæ. Nec mirum est Slavonicum Regioni inditum esse nomen, cum & oppida Pomeraniæ multa Slavonica sint, ut *Belgard* sivè *Bialygrod* i.e, Alba civitas, sive Album Castrum. *Stargard* sive *Starigrod* i. e. vetus Castrum. Qvædam reperiri etiam nomina Germanica non erit nobis præfractè negandum, cùm non solum antè ingressum Slavorum sed & post ea tempora Germani incoluerint Pomeraniam.

II. An verò statim ab ingressu Slavorum in Germaniam Pomerania fuerit Polonis subjecta, nec ne, dubitari à multis videmus. Affirmant hoc Poloni, negant Pomerani. Cui sententiæ calculum nostrum addere debeamus, in defectu veterum monumentorum, vix apparet. Pro Pomeranorum autem sententia militat illud, qvod Helmoldus Pomeraniam numerat inter liberas illas Slavorum Provincias extra Poloniam. *Ubi ergò*, inqvit Helmoldus, *Polonia finem facit, pervenitur ad amplissimam Slavorum Provinciam eorumqve qvi antiqvitus Vandali, nunc autem Winithi sive Winuli appellantur. Horum primi sunt Pomerani, qvorum sedes protenduntur usqve ad Odderam.* Et post: *Oddera vergens in Boream transit per medios Winulo-*

 rum

rum populos, dividens Pomeranos à Wilzis. Hæc Helmoldus *lib.* I. *Chron. Slav. cap.* 2. Antè Helmoldum Adamus Bremensis his de rebus ita scribit: *Undè incipiunt fines Hammaburgensis Parochiæ, qvi per maritimos Slavorum populos longo tractu porriguntur usqve ad Panim fluvium, ibi limes est nostræ diœcesis. Indè Wilzi & Leuticii sedes habent usqve ad Odderam fluvium; trans Odderam autem comperimus degere Pomeranos. Deindè latissima Polonorum terra, cujus terminum dicunt in Ruzziæ regnum connecti. Hæc est ultima & maxima Winulorum Provincia qvæ & finem facit illius sinus*; Hæc ille *lib. de Situ Daniæ & reliqvarum Septentrional. regionum. pag.* 145. Ex qvibus cognoscimus, non tantum Pomeraniam tunc fuisse dictam eam regionem, qvæ in parte orientali amnis Odderæ sita est: sed etiam Pomeraniam tum temporis extra Poloniam fuisse. Poloniam qvoqve in hodierna Pomerellia & Cassubia mare Balticum attigisse. An autem à primo ingressu Slavorum in Germaniam ita se res habuerit, difficile dictu est. Nos ea qvæ apud Historicos reperiuntur hic proferemus.

III. Qvæ de Lesci III. Ducis Polon. regnorum divisione inter viginti filios naturales, vulgò apud Historicos Polonicos referuntur, ea fabulosa esse jam supra probavimus. Conferatur etiam Micræl. *lib.* II. *Chron. Pomeran. num.* 29. *pag.* 68. *seqq.* Seqventibus autem temporibus

ribus Pomeraniam à Polonis fuisse tentatam, dubitari non potest. Nam Ziemovitus Piasti filius Pomeranis & Cassubiis bellum intulisse memoratur; sed illis nondum domitis rebus humanis exemptus esse dicitur. Cromer. *lib. II. fol.* 430. Bellum hunc Pomeranicum Ziemoviti successor Lescus IV. non est persecutus, itaqve Pomerania sui juris mansit. Cromer. *in Lesco IV. fol.* 430. Alii tamen; ut Wenceslaus Hagecus *in Hist. Bohem.* dicunt Lescum IV. Pomeraniam occupâsse.

IV. Sec. X. Otto III. Imp. concessisse dicitur Boleslao I. Chrobri Regi Polon. ut Pomeranos, Wendos, Prussos & Russos sibi subjiceret. Helmoldus: *Eodem,* inqvit, *tempore Boleslaus Polonorum Christianissimus Rex confœderatus cum Ottone III. omnem Slaviam qvæ est ultra Odderam tributis subjecit.* lib. I. *Chron. Slav. c.* 15. Per Slaviam trans Odderam intelligit Pomeraniam & Cassubiam. Et hoc primum jus esse, dicit Micræl. qvod Poloni acceperunt in Pomeranos Orientales. *lib. II. Chron. Pomer. num.* 46. *pag.* 191. Subjecisse tum sibi Boleslaum inter alias gentes & Pomeraniam testatur Kadlubko *lib. II. epist.* 13. *p.* 138. Cromer. *lib. III. fol.* 438. Præter hæc Otto III. cum Boleslaum I. Regem Pol. Gnesnæ inviseret, Gnesnensi Archiepiscopo subjecit Reinbertum Sanctæ Cholbergensis Ecclesiæ Episcopum Dithmarus Mersburg. *lib. IV. pag.* 83. Qvod autem tum Cholbergensis

gensis Episcopus fuerit subjectus Regi Poloniæ, cognoscimus ex eo, qvod eum in negotiis suis solitus sit in alia regna ablegare. Etenim idem Dithmarus refert Boleslaum I. Reinbertum Præsulem falsæ Cholbergensis misisse cum filia sua in Russiam, qvam Regis Wolodimiri filius duxit uxorem *lib. VII. pag. 228.* De hoc Episcopatu Cholbergensi *Vid.* etiam Micræl. *lib. VI. Chron. Pomer. pag. 574.*

V. Sec. XI. Miecislaus II. Rex Polon. Boleslai I. filius Cassubios & Pomeranos Orientales subegit, omnibus castris occupatis inter fluvios Persante, Bra & Vistulam, easqve tradidit Belæ Hungariæ Regis fratri. Bonfin. *lib. II. Dec. 2. fol. 222.* Joan. Nadaniji *in Flor. Hungar. lib. II. cap. 6.* Imò Belam hunc beneficio Regis Poloniæ obtinuisse & Pomeraniam Occidentalem inde colligi potest, qvod ibidem reperta sint vestigia Hunnorum, nempe corpora inusitatæ magnitudinis, qvalia & in Pomerania Orientali reperiebantur. *teste* Micrælio *lib. II. Chron. Pomer. n. 52. p. 200.* Recedente Bela in Hungariam Pomerani jugum Polonicum excussere, qvod ipsis iterum imponere conatus est Vladislaus Hermannus Micræl. *lib. II. num. 61. p. 218.*

VI. Circa tempora Henrici IV. Imp. & Vladislai Hermanni, ut & Boleslai Crivousti Ducum Poloniæ, vixit SVANTIBORUS Dux Pomeraniæ, à qvo continuâ serie seqventes Pomeraniæ Duces descendunt. Undè autem ille fuerit oriundus, dissentiunt Authores. Poloni Scriptores eum à spuriis Lesci III. filiis, alii à Gryphonibus nobili familia Polonica oriundos existimant. Alii tamen illos à Polonis descendere negant. Micræl. *lib. II. n. 57. pag. 207. seqq.* Hic Svantiborus in Pomerania à suis captus, Ducatum Pomeraniæ Boleslao III. Crivousto Duci Poloniæ subjecit, eâ lege, ut se in libertatem assereret, qvod etiam factum est. D. Cramerus *lib. I. Chron. Eccles. cap. 9.* malè tamen ibidem addit Cramerus, ante hæc tempora Duces Pom. meminem agnovisse superiorem.

VII. Sec. XII. Mortuo Svantiboro Duce Pomeraniæ, prima divisio Pomeraniæ facta est inter filios ejus qvatuor. Vratislaus & Ratiborus Occidentalem Pomeraniam à Custino & Cholenbergæ radicibus ad Marchiam usqve & Meklenburgum excurrentem occupaverunt. Boguslaus & Sventipolcus Orientalem, qvæ usqve ad Vistulam protenditur, sortiti sunt. Illa divisio occasionẽ præbuit Polonis, Orientalem Pomeraniam sibi subjiciendi. Nam illi, nempè Occidentalis Pomeraniæ Duces, lingvâ & moribus Saxonum assumptis, pedetentim Imperii Germanici legibus asvescebant, filiiqve Wartislai Boguslaus & Casimirus Ann. 1182. in Senatum Imperii Germanici adsciti sunt à Friderico I. Barbarossa Imp. German. Hi verò Boleslaus & Svantipolcus in Orientali Pomerania tamdiu vexati sunt à Polonis, donec tandem jugum

gum Polonicum planè ſuſciperent. Hic tamen diſſentiunt qvidam Poloni, Svantipolcum hunc non Svantibori filium, ſed Polonum ex gente Gryffonum fuiſſe aſſerentes, ut notat Micræl. *lib. II. Chron. num. 67. pag. 227.* Qvisqvis verò ille tandem fuerit, traditum ipſi fuit à Polonis Naclum cum aliis ſex civitatibus gubernandum, idqve ſub certis conditionibus.

VIII. Cum verò neſcio qvid contra Polonos Sventopelcus ille moliretur, captus à Boleslao III. Crivouſto ad perpetuum carcerem condemnatur. Joh. Dlugoſſ. *lib. IV. Hiſt. Polon. ad Ann. 1120. fol. 373. ſeq.* Ditio verò ipſius in Pomerania Orientali Poloniæ adjungitur. Micræl. *lib. II. Chron. Pom. pag. 227.* Idem ille Boleslaus III. Crivouſtus etiam Pomeraniam Occidentalem aut ejus partem su[illegible] Stetino etiam capto, Ratiborum etiam Ducem ſecum in Poloniam duxit, eiqve poſtea filiam ſuam uxorem dedit. Poſtea cum ipſo operam dedit, ut Pomerani converterentur ad Religionem Chriſtianam. Accedente enim in Pomeraniam Ottone Bambergenſi Epiſcopo, Boleslaus Stetinenſibus tributum 300. marcarum argenti remiſit, qvò faciliores eſſent ad Chriſtianiſmum ſuſcipiendum. Micræl. *lib. II. Chron. Pomer. num. 66. pag. 233.*

IX. Extincto Sventopelco in carcere, & ipſe Boguslaus frater Sventopelci Polonis videtur factus eſſe fiduciarius, acceptis qvibusdam locis Sventopelci. Boguslai filius fuit Subislaus I. qvi Dantiſcum etiam tenuit, & monaſterium Olivenſe condidit. Filii verò Subislai, Samborius & Meſtvinus largè monaſterium illud ditarunt. Qvod hi omnes Ducibus Poloniæ fuerint obnoxii aſſerunt Poloni, qvod etiam improbabile non eſt. Nam An. 1186. cum Duces Pomeraniæ Occidentalis, facti jam Principes Imperii Germanici, adeoqve ab Imperio Polonico prorſus exempti, ditionem Sventopelci in carcere mortui ſibi vindicare vellent, ſuppetias tulerunt Samborio & Meſtvino Duces Poloniæ. *Vid.* Micræl. *lib. II. Chron. Pomeran. num. 90. ſeqq. pag. 268. ſeqq.* Caſp. Schüz *lib. I. Chron. Pruſs. fol. 13.*

X. Circa principium Sec. XIII. Leſcus Albus Dux Polon. ut volunt Scriptores Polonici, præfecit Orientalibus Pomeranis Sventopelcum (qvem Micrælius facit Sventopelcum II. cognomento Magnum, Meſtvini filium & Subislai nepotem) eiqve in ipſos etiam Palatinos, qvorum tunc duo fuere, Gedanenſis & Svecenſis, ampliſſimam poteſtatem & jurisdictionem dedit, eâ tamen lege, ut Sventopelcus fiſco Regio mille pondo marcas argenti qvotannis penderet. Hic Sventopelcus, dum Vladislaus Sputator multa in Polonia miſcet, poſtulat à Leſco Albo ut ſe ſupremum in Pomerania Principem renunciet. Qvod cum ipſi negaretur, apertè defecit, interfectoqve per inſidias Leſco Albo

Albo Principe Polon. Ducem Pomeraniæ ſeſe geſſit. Hæc acta ſunt Ann. 1227. Cromer. *lib. VII. fol. 530.* Schüz *in Chron. Pruſſ. lib. I. fol. 18.* Micrælius verò, qvi Sventopelcum hunc non nobilem Polonum, ut Cromerus & alii, ſed Ducem Pomeraniæ, ex antiqvis Pomeraniæ Ducibus oriundum fuiſſe dicit, aliam hujus rei cauſam aſſignat. Videlicet Sventopelcum hunc Proavi ſui Sventopelci mortem ulturum hanc cædem patrâſſe refert. *in Syntagm. Hiſt. Polit. pag. 1112.* Sed *in Chron. Pomer. lib. II. circa fin.* hanc cauſam reddit: Nempè dicit, Leſcum Album auſum eſſe tributum poſtulare & juramentum fidelitatis à Sventopelco Duce Pomeraniæ Orientalis; Nolentem, citâſſe ad Comitia Ganſavienſia; Veniſſe Sventopelcum armatum, ipſumqve Leſcum obtruncâſſe. Qvicqvid tamen hujus rei ſit, in hoc conveniunt omnes, cæſo Leſco Albo Pomeraniam Orientalem ad Sventopelcum defeciſſe. *Conf.* Dlugoſſ. *Tom. I. Hiſt. Pol. lib. VI. fol. 571. ſeq. ad Ann. 1227.* Deindè tres Sventopelci M. fratres, Wartislaus, Samborius, Ratiborius, Ordinem Cruciferorum in Pruſſia intrantes, ſuas partes Ordini legarunt. Et hinc prima Cruciferorum in Pomeraniam prætenſio fluxit.

XI. Sventopelcus ille qvatuor habuit filios, Meſtvinum, Wartislaum, Samborium & Ratiborium. Ex his Samborius & Ratiborius Ordinem Teutonicum ingreſſi, ſuas itidem partes Ordini

Ordini donarunt. Hinc etiam fratres Ordinis Teutonici in Pruſſia in precationibus ſuis qvotidianis inter benefactores ſuos, commemorabant etiam Conradum Maſoviæ, & Samborium Pomeraniæ Duces, ut habetur in antiqvis Ordinis Teutonici libris mss.) Et hæc eſt ſecunda Prætenſio Cruciferorum in Pomeraniam. Meſtvinus autem & Wartislaus poſt varia bella tandem Pomeraniam Orientalem inter ſe diviſerunt, in qva diviſione Wartislao Dantiſcum ceſſit. Vartislaus tamen injurias à fratre acceptas ulturus, vocat in auxilium Marchionem Brandeburgicum, eiqve tradit urbem cum arce Dantiſcana. Cum verò Marchio urgeretur à Meſtvino, diſceſſit tandem. Vartislaus à Marchione deſtitutus, ad Cruciferos confugiens, offert ipſis ditionem ſuam, qvæ eſt tertia Prætenſio Cruciferorum in Pomeraniam Orientalem & urbem Dantiſcum. Interea Wartislaus moritur. Dantiſcum verò à Meſtvino occupatum, Poloniæ Duci Boleslao loco hypothecæ traditur. Poſt mortem Boleslai Poloni Meſtvinus iterum Dantiſcum recuperat. Et cum liberis eſſet deſtitutus, volebat Pomeraniam transferre in Duces Pomeraniæ Occidentalis, tum ob cognationem, tum ob beneficia ſibi à Barnimo Duce præſtita. Verùm ſubditi Pomeranos Occidentales ut Germanos averſati, Polonorum Regi Primislao II. ſe ſubdiderunt, qvi Primislaus etiam titulum Pomeraniæ aſſumpſit, & inſignia

insignia Gryphis. Cromer. *lib. IX. fol. 559. lib. X. fol. 566.* Schüz *lib. I. Chron. Pruss. fol. 24.* & *lib. II. fol. 54.* Et sic Pomerania Orientalis, qvam antea Duces, ut feudum à Polonis obtinebant, ut passim referunt Scriptores Polonici, prorsus ad Poloniam recidit. Qvomodo verò Cruciferi Dantiscum & partem Pomeraniæ sibi acqvisiverint seqventi capite dicetur.

XII. Sec. XV. Cum Casimirus IV. Jagellonides bellis Prussicis esset implicatus, commisit urbes & arces Lauenburg & Butau fidei Erici II. Pomeraniæ Ducis, An. 1460. qvi ipsas postea Cruciferis tradidit, ne qvicqvam deprecantibus Lauenburgensibus & precium pro redimendis tredecim captivis (qvam causam traditionis Ericus prætendebat) offerentibus. Postea verò cum Choinicia Casimiro Regi dedictâ Cruciferi Lauenburgum confugissent, post octavum diem illud qvoqve oppidum, ut & Butoviam Erico Pomer. Duci reddiderunt, acceptis ab ipso octo millibus florentorum captivisqve redditis. Neugeb. *lib. VI. Hist. Pol. pag. 381. & seqq.* Sed Micræl. *lib. III. Chron. num. 81. pag. 428. seq.* dicit armatâ manu Bohemos, Cruciferis militantes, arces illas ab Erico II. recepisse, qvas iterum Ericus II. armatâ manu ab ipsis recuperavit. Ab illo itaqve tempore Duces Pomeraniæ Occidentalis has provincias Lauenburg & Butau beneficio Regum Poloniæ obtinuerunt. *Conf.* Schüz *lib. IX. Chron. Pruss. fol. 413.*

XIII.

XIII. Sec. XVI. Cum Duces Pomeraniæ Lauenburgum & Bütoviam dubio jure tenerent, concessit eas provincias Georgio Duci Pomeraniæ Sigismundus I. Rex Pol. (cujus ex sorore nepos erat Georgius ille,) idqve his conditionibus: ut partem pecuniæ, qvæ loco dotis matri Ducis à Polon. promissa fuit, remitteret, ut in coronatione Regis, aut paulò post provincias illas Duces Pomeran. per se, aut per Legatos recognoscerent, literasq; hoc de negotio renovarent; præterea verò nullis servitiis horum Ducatum respectu Polonis tenerentur; nulla etiam appellatio in Poloniam daretur. Postea cum ad Sigismundum Augustum, ad renovanda pacta, missus esset Balthasar à Wolde/ omissa sunt illa verba: *liberè & à servitio & à juramento.* Sub Stephano volebant Poloni Henrico Rameln Legato Pomeranico persvadere, ut juramentum præstaret, illud enim honori Ducis futurum asserebant. Sed negante hoc Legato, veteri more pacta sunt renovata. Neugeb. *lib. VII. Hist. Polon. pag. 511.* Micræl. *in Chron. Pomer. lib. III. part. 2. num. 3. pag. 523.* & *lib. VI. num. 30. p. 424.* Posthæc An. 1637. post obitum Boguslai XIV. ultimi Ducis Pomeraniæ hæ Provinciæ ad Polonos redierunt, & Palatinatui Pomeranico adjunctæ sunt. *Vid. Constit. An. 1637. tit. Reincorporatio. & An. 1641. fol. 15.* Tandem Ann. 1658. Serenifs. Electori Brandenburgico Friderico Wilhelmo concessæ sunt, ita ut eodem jure, qvo

G illas

illas provincias antea tenebant Duces Pomeraniæ, illas & ipse possideret. *Vid. Const. Ann. 1658. fol. 3. & Ann. 1659. fol. 31.* Hoc jus etiam Serenissimus Elector Ann. M. DC. LXX. d. 5. Junii recognovit per Illustr. Dominum Joannem Liberum Baronem ab Hoverbecke Consiliarium suum intimum sine juramenti solennitate. Copiam Infeudationis olim Pomeraniæ Ducibus factam habemus apud Jacobum Prilusium *lib. V. Const. Regni Polon. cap. 4.*

CAP. VII.

De *Prussia.*

I.

BOrussi, & contractè Prussi, olim etiam variante Dialecto Pruzzi dicti, vel Pruteni, nomen illud habent vel à Boruscis, gente Sarmatica, vel etiam à Russis olim Prussiæ finitimis. Alii nomen Prussorum deducunt à Prusia Rege Bithyniæ; Pruthenorum verò à Bruteno sive Pruteno Rege Prussiæ, Widevvuti fratre. Nam circa Sec. V. vel VI. Widevvutum, gente Alanum sive Lithvanum cum fratre Pruteno, & post hos duodecim Widevvuti filios, in Prussia & Lithvania rerum potitos esse, tradunt qvidam Prussici Scriptores. Sed omnia hæc conficta esse,

esse, alibi docuimus. Antiqvissimis temporibus Prussi liberrimè vivebant nullius imperio obnoxii. Sic enim de illis Helmoldus: *Prussi,* inqvit, *nullum inter se Dominum pati volunt. lib. I. Chron. Slavorum cap. 1. num. 5.* Sed de his alibi fusius egimus.

II. Primus Polonorum Principum, qvi Prussos subegit, tributo ipsis imposito, memoratur Boleslaus I. Chrobri Rex Pol. Sec. XI. qvod non tantum Poloni testantur Scriptores, ut Vincentius Kadlubko *lib. II. epist. 13. pag. 138.* Dlugoss. Cromer. Neugeb. & alii: Sed etiam exteri, ut Helmoldus *lib. I. Chron. Slav. cap. 15.* Occasio belli in Prussos suscepti fuit illa: Woitechus sive Adalbertus, primò Archiepiscopus Pragensis in Bohem. deindè Gnesnensis in Polonia, aut suâ sponte, aut oraculo DEI monitus in Prussiam concessit, eam ad fidem Christianam conversurus, sed Brussi Diis suis gentilibus nimium addicti ipsum trucidarunt propè oppidum Fischhausen. Boleslaus I. Pol. Rex vindicaturus illud facinus, primò qvidem bellis moravicis Russicisqve distentus ultionem distulit. Pace verò factâ totâ vi belli Prussis incubuit, Victisqve tributum imposuit circa Ann. 1015. *Vid.* Dlugoss. *Tom. I. Hist. Pol. lib. II. ad Ann. 1015. fol. 152. seq.* Cromer. *lib. III. fol. 442. seq.* Schuz. *in Chron. Pruss. lib. I. fol. 8. b.*

IV. Sub Miecislao II. Rege Prussi iterum imperata facere detrectarunt. Schuz. *lib. I.*

Chron. Pruſs. fol. 8. nec ad officium revocati ſunt, anteqvam Boleslaus II. Audax ad Imperium eſſet admotus. Sub hoc Pruſſi Pomeraniam & Caſſubiam ferro & igni devaſtatas metu majorum periculorum ſibi ſubjicere. Hinc Boleslaus II. contra ipſos movit, & licet obſidionem Grodeci caſtri ſolvere coactus fuerit, tandem tamen reverſus Pruſſos coëgit, ut Pomeraniâ excederent, & ſoluta tributa Regi penderent. Dlugoſs. *lib. III. ad Ann. 1064. fol. 234. ſeq.* Schuz. *in Chron lib. I. pag. 9. b.* Sed neqve tum Pruſſi qvievere. Indè Wladislaus Hermannus contra Pruſſos Pomeranosqve varia bella geſſit, donec ipſos ſibi ſubjiceret. *Vid.* Dlugoſs. *lib. IV. ad Ann. 1092. fol. 291. ſeqq. & ad Ann. 1093. fol. 294.* Neugeb. *lib. III. Hiſt. Pol. pag. 71. ſeqq.*

V. Sec. XII. Boleslaus III. Crivouſtus cum Pruſſi Maſſoviam infeſtare cœpiſſent, Pruſſorum agris ſæpè vaſtatis, ipſis denuo jugum impoſuit, imperatâ ſimul ipſis religione Chriſtianâ. Sed Boleslao è vivis ſublato ſuſtulerunt & ipſi religionem. Dlugoſs. *lib. IV. paſſim.* Non major tamen unqvam religionis Chriſtianæ in Pruſſiam introducendæ ſpes apparuit, qvàm ſub Boleslao IV. Criſpo, Boleslai III. filio. Tum enim illi fana DEorum deſtruere, certatim nomina Chriſto dare, liberos ſuos Chriſtianis ritibus initiare cœperunt metu adacti. Sed metu poſtea ſublato ad ingenium redierunt, imò exercitum Polonicum in loca uliginoſa aſtu pertractum planè deleverunt, ubi etiam Henricus IV. Criſpi frater, & Boleslai Crivouſti filius fortiter pugnans occubuit. Kadlubko. *lib. III. epiſt. 31. p. 374. ſeqq.* Neugeb. *lib. III. p. 107. ſeqq.*

VI. Sec. XIII. Cum fortuna crevit & animus Pruſſorum. Patebat verò injuriis ipſorum Polonia, qvæ tum in tot partes ſciſſa, bellis inteſtinis conflictabatur. Conceſſerat Ann. 1220. Leſcus Albus Conrado fratri ſuo, Maſoviam, Cujaviam & Dobriniam in Comitiis Sendomirienſibus. Has oras Pruſſi maximè infeſtabant. Cumqve Conradus Dux de Polonorum auxiliis deſperaret, neceſſitate adactus, accerſivit Ordinem Teutonicum in Pruſſiam. Ordinis Magiſter tum fuerat Hermannus de Salza, ſub qvo Ordinis hujus Præſides cœperunt nominari Hohemeiſter. i. e. Magni Ordinis Teutonici Magiſtri. Huic Ordini Cruciferorum tradidit Conradus Culmenſem tractum & qvicqvid terræ eſt inter Viſtulam, Mocram, & Drevantiam flumina, his legibus, *ut contra Pruſſos ſedulò bellum gererent, ubi verò eos domuiſſent, ut menſem ditionem redderent; cætera verò qvæ de barbaris cœpiſſent, arbitrio bonorum virorum, & æqvo ſecum, ſive cum poſteris ſuis partirentur, contra Polonos nihil hoſtile tentarent, & hæc omnia pacta ſunt ſub pœna amiſſionis bonorum.* Hæc ex antiqvo ſcripto Germanico à Stanislao Hoſio ſibi ſuppeditato recenſet Cromerus *lib. VII.*

VII. circa fin. fol. 530. Caſpar Schüzius tamen illud de reſtitutione Culmenſis tractus, & de diviſione Pruſſiæ devincendæ in dubium vocat, incredibile eſſe exiſtimans, Cruciferos ſine debitâ & juſtâ laborum ſuorum remuneratione tanta fuiſſe pericula ſubituros. *Vid.* Schüz. *lib. I. Chron. fol. 17.* Cruciferi Diploma Friderici II. Imperatores urgebant, in qvo ille confirmavit ipſis poſſeſſionem terræ Culmenſis, & qvicqvid ii de Pruſſis poſtea cœperint, itemqve ditionem qvam eis Conradus Dux Maſoviæ deinceps adhuc donaturus eſſet inter Pruſſiam & Novam Marchiam. *Vid.* Crom. *lib. VII. in fin.*

VII. Cum Cruciferi Pruſſiam diuturnis bellis ſub jugum miſiſſent, excifis ferè veteribus incolis-novas ſubinde è Germania illuc deduxere colonias. Sed & hi rebus ſibi ex voto ſuccedentibus elati, inſolentius ſe gerere ſociorumqve terras appetere cœperunt. Et qvidem initio Sec. XIV. Petrus Szvvenze Cancellarius Pomeraniæ (Micrælius eum appellat Cancellarium hæreditarium Poloniæ & gubernatorem Pomerelliæ *lib. II. Chron. Pomer. n. 106. p. 290.*) ſemper plura habendi cupiditate flagrans occaſionem Cruciferis Polonicas Provincias invadendi præbuit. Cum enim à Vladislao Rege Pol. in qvadam re paſſus eſſet repulſam, conſilium cœpit Gdanum & totam Pomerelliam Marchionibus Brandenburgenſibus prodendi; ſed ipſe proditis conſiliis à Wladislao Loctico Rege captus eſt. Verùm Wladislaus à fratribus Petri exoratus, qvi ſe pro fratre obſides fore promittebant, Petrum captivum dimiſit. Obſides etiam cum negligentius haberentur, è cuſtodia evaſerunt. Ab his acciti Joannes & Voldemarus Marchiones (qvorum Anteceſſores jam antea Dantiſcum obtinuerant) Pomeraniam cum exercitu ingreſſi ſunt, & omnia, præter arcem Gedanenſem, qvam Boguſlus judex Pomeraniæ tenebat pro Rege Poloniæ, ſibi ſubjecerunt. Boguſſus intantas anguſtias redactus, opem Regis Vladislai imploravit. Hæc cùm tardior viſa eſſet, author fuit Vladislao, ut Cruciferorum uteretur operâ in defendendâ arce & Marchionibus depellendis; ſed ſatis imprudenter; cum ſciret jam Cruciferos his oris, ob prætenſiones ſuas, de qvibus *cap. 6. num. 10. & 11.* egimus, inhiare. Acciti Cruciferi (qvorum tunc Magiſter erat Sigfridus von Feichtwangen) iis conditionibus, ut dimidiam arcem ipſi tenerent, & annum unum ſuis ſumptibus defenderent: deindè verò qvæcunqve impendia facerent, ut ea Wladislao expenſa ferrent. Grata fuit hæc occaſio Cruciferis, qvi jam ante jus ſuum in Pomerelliam prætendebant, ut ſupra audivimus. His ita conſtitutis Cruciferi arcem defendunt, imò ipſam urbem Gedanenſem expulſis Marchionibus recipiunt. Tandem cum jam nullum periculum reſtaret, totam arcem dimiſſo Boguſſa cum Pomeranis ſibi vendicant. Ita Cro-

Cromer. *lib. XI. fol. 581.* Sed Schuzius noster tradit hac conditione Cruciferos fuisse accitos, ut non propriis sed regiis sumptibus arcem defenderent, qvod etiam verisimilius est. Cum verò Cruciferi expensos sumptus (fuerunt autem centum millia marcarum grossorum Bohemicorum) reposcerent, nec Bogussæ pecunia illa suppeteret, Cruciferi, arce totâ occupatâ, Bogussam in vincula conjiciunt, postea verò certis conditionibus dimittunt. Wladislaus Rex, his auditis cum Cruciferis expostulat, ingratitudinis eos accusans, qvibus illi offensi cum Marchionibus sic transigunt, ut acceptâ certâ pecuniæ summâ centum millium marcarum grossorum latorum, omnia loca Pomerelliæ, qvæ illi possidebant, Cruciferis traderent. Contractus hic initus est Ann. 1311. Literas ipsas hac super re vidisse se testatur Schüzius. Imò ea etiam loca, qvæ tum temporis adhuc à præsidiis Regiis in Pomerellia tenebantur, ut Dirschoviam Schvveze, Cruciferos à Marchionibus emisse, refert idem *lib. II. Chron. Pruss. fol. 55. seqq.* Hanc etiam emptionem Magister Cruciferorum Ordini suo ab Henrico Cæsare confirmari curavit. Cromer. *loc. cit.* MICHALOVIENSEM qvoqve ditionem Cruciferi adepti sunt hoc modo: Acceperant eam hypothecæ loco à Lesco Duce Cujaviæ, datis ei mutuo trecentis marcis Torunienfibus, qvibus ille se in bello Vngarico à Venceslao Bohem. Rege captum

ptum redemit. Convenerat autem Cruciferis cum Lesco, ut si is intra triennium pecuniam illam non redderet, ut jure sempiterno Cruciferis illa regio cederet. Et offerebat qvidem eis Lescus cum fratribus pecuniam intra constitutum tempus; non acceptarunt tamen eam Cruciferi, jam hoc jam illud causati, donec aliqvando post Lescus necessitate compulsus, acceptis insuper ab eis ducentis sexaginta duabus marcis dominatu illo & jure suo omni sese abdicavit. Cromer. *l. c.* Neugebaur *lib. III. Hist. Pol. pag. 177.*

VIII. Sed neqve hic qvieverunt Cruciferi. Prussiâ enim jam subactâ, sub hoc prætextu, qvod ad gentiles populos oppugnandos sint invitati, Lithvaniam qvoqve & Samogitiam infestis agminibus sæpè pervagati, ferrò & igni omnia devastabant. Has excursiones, etiam cum Jagello Magn. Dux Lithv. in Regem Polon. esset electus, nihilominus continuabant, concitante eos præsertim Svidrigellone fratre Regis. His malis adactus Rex Wladislaus Jagello Svidrigellonem, concessis ipsi qvibusdam in Russia locis, revocavit ex Prussia. Cum Cruciferis qvoqve egit conventum. An. 1404. apud Razianzum Episcopi Vladislaviensis oppidum, ubi sic de pace inter eos convenit: ut Rex qvinqvaginta millia florenorum Cruciferis exsolveret, Dobrinumqve & Zlatoriam reciperet. Deindè ut Dominatus Novvogrodi Magni

 (qvem

(qvem Livonienses Cruciferi cum Svidrigellone interceperant,) Regi Poloniæ, Samogitia verò Cruciferis cederet, ipsi verò ut omni jure qvod habebant in Lithvania sese abdicarent. Cromer. *lib. XVI. fol. 649.* Kojalovvicz. *Part. II. Hist. Lithv. lib. II. pag. 70. seq.* Sub hæc Samogitæ, crudele Cruciferorum Dominium per-osi, cæsis ipsorum præsidiis in libertatem se asseruerunt. Cruciferi suspicantes id, qvod res erat, jussu Alexandri Witoudi sive Witoldi hoc à Samogitis factum esse, Lithvaniam infestare cœperunt. Qvod autem jussu Vitoldi hoc factum sit, testatur Kojalovvicz *l. c. pag. 79.* Conf. Schüz *lib. III. Chron. Pruss. f. 99. seqq.* Intervenientibus deindè aliis causis, in apertum bellum tandem res erupit, qvod cruento illo prælio. An. 1410. ad Dannebergam in Prussia commisso nobile est, ubi 50. millia Cruciferorum cum ipso Magistro Ordinis Ulrico von Jungingen cæsa, & qvatuordecim millia capta sunt, ut tradit Cromerus *lib. XVI. circa fin.* Neugeb. *lib. V. Hist. Pol. pag. 152.* De numero cæsorum dubitat Schüzius, qvem Vide *lib. III. Chron. fol. 102.* Conf. Alex. Gvagin. *ad An. 1410.* Hoc bellum continuatum est usqve ad An. 1436. qvo Brestæ inter Regem Vladislaum Jagellonidem & Magistrum Cruciferorum Paulum de Rusdorff pax coiit. Pacta ipsa *Vid. inter Privilegia Ducalis Prussiæ fol. 6. seqq. & inter Jura municipalia Prussiæ. Item* apud Joan. Januszov. *lib. VII. Constit. Regni Polon. Part.* III. *tit. 1. fol. 842.* Conf. Schüz *lib.* III. *Chron. Pruss. fol. 127. b.* Sic igitur Wladislaus Jagello, attritis Cruciferorum viribus, prima jecit Prussiæ subigendæ fundamenta. *Vid.* Matth. Strykovvski Ossostevicius *lib.* XIII. *Hist. Lith. cap.* IV. VIII.

IX. Sec. XV. sub Casimiro IV. Jagellonide, cum Cruciferis deessent hostes, qvos vincerent, Prussiæ impotenti dominio esse cœperunt intolerabiles. Haud facilè dictu est, qvibus oneribus illi suos presserint subditos, qvibus etiam injuriis vexarint urbes præcipuas. *Vid.* Schüz. *lib. IV. Chron. Pruss. fol. 136. seqq.* Conspiratione igitur factâ Prussi Anno 1454. ad Regem Poloniæ transierunt, eiqve se ut legitimo, justo & vero Domino & hæredi Terrarum Prussiæ subjecerunt, *ut habetur in Privilegio Incorporationis An. 1454. feria qvarta Cinerum à Casimiro Jagellonide datum inter Jura Municipalia Terrarum Prussiæ.* Qvoniam verò Cruciferi in memoriam Regi revocabant pacem perpetuam An. 1436. sub Uladislao Jagellonide initam, igitur Prussorum Legati ostenderunt multis modis pacem illam à Cruciferis esse violatam, dum in Concilio Basileensi contra eandem varia moliti sint, loca in pactis denominata non restituerint &c. Schüz. *lib. V. Chron. fol. 166. b.* Gestumindè bellum est vario Marte, immensis utrobiqve sumptibus usqve ad An. 1466. Tandem Cruciferi, multis cladibus attriti, pacem his

his demum conditionibus impetrarunt: ut Polonis Culmensem & Michaloviensem terras, & Pomeraniam omnem, ad hæc Mariæburgum, Stumam & Christburgum arces & oppida. Elbingam & Tolkemitam oppida cum suis territoriis & munere sylvatico, qvod Wald-Ampt Teutonicè vocatur, & sex pagis, qvi ad arcem Hollandicam pertinebant, jure sempiterno concederent; reliqvam Prussiam sibi retinerent, eâ lege, ut semper essent in fide & clientela Polonorum. Cromer. *lib. XXVI. fol. 773. seq.* Schüz *lib. 7. Chron. Pruss.* Pacta inter Regem Casimirum & Ludovicum ab Erlichshausen, *Vid.* apud Joan. Januszov. *lib. VII. Constit. Part. III. tit. 1. fol. 863. seqq. & inter Privilegia Prussiæ Ducalis. fol. 20. seqq.* Sic itaqve sub Casimiro IV. dimidia pars Prussiæ cessit Regno Poloniæ absoluto jure & dicitur hodie adhuc Prussia Regia, Reliqva pars lege Clientelari Cruciferis à Rege Poloniæ concessa est.

X. Verum grave Cruciferis libertati asvetis Polonorum visum est jugum, hinc ut illud excutere possent, potentiores sibi Magistros creare cœperunt. Eo fine etiam crearunt Fridericum Ducem Saxoniæ, deinde An. 1511. Albertum Marchionem Brandeburgicum, qvi postremus servitutis illius impatiens bellum Polonis intulit, sed speratis frustratus auxiliis, his conditionibus cum Rege Poloniæ Sigismundo I. pacem fecit An. 1525. *ut ordo Cruciferorum in Prussia penitus extingveretur; Albertus Prussiæ portionem, qvam nunc Ducalem communiter vocamus, titulo Ducis obtineret; sed regio imperio simul cum Provincia subesset; eosdem cum Polonia hostes amicosqve deinceps haberet; ipse Dux primum locum in Senatu regio teneret.* &c. Albert. Wiiuk Cojatovvicz *Part. II. Hist. Lithv. lib. VII. pag. 382.* Neugeb. *lib. VII. Hist. Pol. pag. 507. seqq.* Schüz. *lib. X. Chron. Pruss. fol. 494. seq.* Pacta ipsa *Vid.* inter Privilegia Ducatus Prussiæ, *fol. 34. seqq.* & apud Joan. Januszov. *lib. VII. Constit. Regn. Polon. Part. III. tit. 1. fol. 913. & seqq.* Sic itaqve Sigismundus I. Rex Pol. Prussiam Polonis à Casimiro III. (reverà IV.) acqvisitam defendit.

XI. Primo Duci Prussiæ Alberto An. 1568. 10. Martii anno æt. 78. mortuo, successit filius Albertus Fridericus. Huic, cum animo æger esset, datus est à Rege Poloniæ Curator Georgius Fridericus Marchio Brandeburg. in Onoldsbach; qvo decedente, cum nemo superesset ex Marchionibus Brandeburgensibus lineæ Onoldsbacensis, (qvæ statim cum Alberto Seniore ad simultaneam investituram fuit admissa) id egerunt Electores Brandeburgici, ut deficiente hac linea Marchionum, ipsi in Ducatu Prussiæ succedere possent, cum jam antea ipsis simultanea Investitura non tantum promissa, sed & An. 1603. in scriptis concessa esset. Factus igitur est Curator ægri Principis. An. 1605. Joachimus Fride-

Fridericus Elector Brandeb. concedente id Sigismundo III. R. Pol. Joachimo Friderico Electore defuncto, An. 1608. filius ipsius Johannes Sigismundus Elector Brandeb. factus est Curator ægri Principis. Qvi deindè Anno videlicet 1611. cum tribus fratribus de Prussia investitus à Sigismundo III. Reg. Polon. & an. 1612. immissus est in realem possessioné Prussiæ à Commissariis ad hoc è Polonia missis,ut hoc ex Privilegiis Statuum Prussiæ Brunsbergæ An. 1616. impressis manifestum est. An. 1618. 28. August. mortuus est Albertus Fridericus an. æt. 65. postqvam Ducatum hunc per se & Illustrissimos Curatores per 49. annos administrâsset. Anno 1619. die 23. Decembr. mortuus Joannes Sigismundus Prussiam successori Georgio Wilhelmo Electori Brandeburgico reliqvit.

XII. Georgio Wilhelmo successit filius Fridericus Wilhelmus An. 1640. Huic, cum antea Prussiam Ducalem haberet jure feudatorio, Joannes Casimirus Rex Polon. concessit supremum in Prussia Dominium, per Pacta Welaviensia & Bydgostiensia An. 1657. ea tamen lege, ut deficientibus masculis jure Caducitatis iterum ad Regnum Poloniæ redeat, & Ducibus Onoldsbacensibus & Culmbacensibus jure feudi conferatur. Promissa etiam est Sereniss. Electori urbs Elbinga, simul ac à Svecis eam tum tenentibus, reciperetur, idqve hypothecæ loco, pro qvadringentis millibus talerorum. Con-

Confirmata sunt hæc pacta in Comitiis Regni Polon. An. 1658. *Vid. Constit. ejus anni* qvæ consensu omnium Ordinum de novo sunt editæ fol.3. Deindè compositâ cum Svecis pace Anno 1660. cum Commissarii ab utraqve essent missi in negotio Elbingensi Illustriss. Wladislaus Rex à Naglowice Thesaurarius Regni varia prætendebat à Legatis Brandeburgicis, tandem re infectâ discessit, omnem in Commissarios Brandeburgicos rejiciens culpam, acsi noluerint in amotione postarum è civitate Gedanensi, in restitutione Brunsbergæ; in defalcatione eorum, qvæ civitas illa in Præsidium erogavit; in confirmatione jurium Civitatis Elbingensis, satisfacere Polonis. *Vid.* Epistola Joannis Casimiri Regis *An. 1660. die 18. Octobr. exarata in Append. Contin. VII. Diar. Europ. class. ult. pag.* 232. Supremi Dominii in Prussiam traditio rejecta fuit usqve in An. 1663 qvo anno Illustriss. atqve Reverendiss. Stephanus Wydzga Episcopus Warmiensis, & Illustriss. Joannes Comes de Leszno Leszczynski tum Vice-Cancellarius Regni Pol. è Polonia missi Regiomontum venerunt. Celebratus est hic Actus solenni more. An. 1663. die 8. Octobr.

CAP.

CAP VIII.
De
Livonia.

I.

Livonia duas olim continebat Provincias, Estiam & Lettiam, deindè Ordo Ensiferorum, in Livonia rerum potitus adjunxit Curoniam, ad qvam pertinet Semgallia. Citra An. 1158. hæc regio freqventari cœpit à mercatoribus præsertim Lubecensibus, qvi etiam gentem illam ad Religionem Christianam converterunt. Primus Livonorum Episcopus constitutus est Menardus monachus Segebergensis, ab Archiep. Bremensi inauguratus. Sedes ejus erat Vxekelæ. Indè Episcopi fuere Bertholdus Rigæ conditor, & Albertus qvi Rigam munivit, Ordinem etiam Ensiferorum ab Innocentio III. An. 1204. confirmatum, in societatem adscivit. Primus Ensiferorum Eqvitum Magister fuit Vinno. Posthæc cum Ordo Ensiferorum in Ordinem Teutonicum esset conversus, subjectus etiam est Ordo ille cum tota Livonia Ordini Eqvitum Teutonicorum in Prussia, ita ut à Magistris Prussiæ constituerentur Magistri Provinciales in Livonia; contra verò (non eodem illo tempore, ut qvidam volunt; sed successu temporis) Episcopi Prussici nempè Culmensis, Pomesaniensis & Sambiensis ut suffraganei Archiepiscopo Rigensi in Livonia subjecti sunt. Varmiensis verò Episcopus, qvia nunqvam Ordinis Teutonici Imperium agnovit, neqve in Archiepiscopi Rigensis Diœcesi unqvam censeri voluit. Postea tamen Wilhelmus Plettenbergius XLI. Livoniæ Magister An. 1513. ex solutâ certâ pecuniæ summâ ordini Teutonico se suosqve subtraxit, Imperii Princeps factus. Sed videamus qvomodo Livonia Poloniæ accesserit, rursumqve à Polonia ferè tota avulsa fuerit.

II. Qvod Sigismundus Augustus Livoniam Regno Poloniæ adjunxerit, apud omnes in confesso est. Occasionem verò hujus rei variè recensent Scriptores. Albertus Wiiuk Kojalovvicz rem sic exseqvitur. Gvilhelmus Fürstenbergius Livoniensium eqvitum Magister Lutheranam Religionem suscepit, mox templa hæreticis tradere conatus est; cui cum se opponeret Gvilhelmus Archiep. Rigensis, ideò Fürstenbergius ipsum, indictis Vendam Comitiis, reum agit initæ cum Sigismundo Augusto Rege consobrino suo & Alberto Duce Prussiæ conspirationis, falsisqve indiciis probat, Curlandiam Alberto, Livoniam Augusto promissam esse ac propè perditam. Comitiis finitis aperto bello Archiepiscopi ditiones aggreditur, Archiepiscopum in arcem Kokenhausen captum

in carcerem conjicit. Accepto ejus rei nuncio Augustus An. 1557. bellum Livoniæ intulit sibiqve eam subjecit. Kojalovvicz *lib. VIII. Hist. Lithv. pag. 433.* Nos utut non negaverimus, ob mutatam religionem magnas inter Archiepiscopum Rigensem & Magistrum Ordinis extitisse simultates: hanc tamen solam causam hujus belli fuisse non existimamus, cum qvidam etiam Livoniæ Episcopi contra Archiepiscopum insurrexerint, referente Anonymo qvodam *inter Descriptiones Poloniæ pag. 397. seqq.* Altius igitur causa hujus rei est arcessenda. Videlicet An. 1546. constitutum est ab Ordinibus Livoniæ omnium Consensu, ne sine ordinum indultu, sive ab Archiepiscopo, sive à Magistro, sive etiam ab aliis Episcopis extraneus aliqvis homo in Coadjutorem assumeretur. His tamen postea neglectis Archiepiscopus Rigensis contra promissa sua inscio Capitulo Christophorum Mechleburgicum Ducem in Coadjutorem elegit. Huic se Henricus à Galen Magister Ordinis & Gvilhelmus Fürstenbergius aliiqve Episcopi (de qvibus etiam *Vid.* Gvagvin. *de Situ Sarmat. Europ. Tom. I. in Corp. Hist. Polon. fol. 71.*) opposuerunt. Archiepiscopus turbatur se autoritate Sigismundi Augusti, ut Patroni Archiepiscopatus illius. Ordines ab Archiepiscopi obedientia subditos abstrahunt, prout pacta An. 1546. inita postulabant. Interea in Electione Coadjutoris Casparo Monasteriensi Marschalco ordinis prælatus est Gvilhelmus Fürstenbergius, qvod Casparus ægrè ferens, ad Regem Poloniæ confugit. Hujus etiam patrocinium suscepit Archiepiscopus. Hinc bellum contra Archiepiscopum ortum est. Fürstenbergius Coadjutor Magistri Archiepiscopum in arce Kokenhausen cepit, sicqve Regem Poloniæ contra Livoniam excivit. Cum verò interea Jvanus Moscoviæ Dux per Livoniam longè lateqve victricia circumferret arma, Augustus GOTTHARDO KETTLERO, novo post Fürstenbergium Livoniæ Magistro opem tulit, eundemqve Gotthardum Ketlerum, concessâ ipsi Curlandiâ & Semgalliâ in feudum, primum Ducem Curlandiæ creavit. Reliqvam verò Livoniam Regno Poloniæ adjunxit An. 1561. *Vid.* Kojatovvicz *lib. VIII. Hist. Lithv. pag. 447. seqq.*

III. Vix autem Rex Pol. Livoniam in fidem suam receperat, & jam nova ejus perdendæ spargebantur semina. Infestabat continuis bellis Livoniam Moscus. Contra hujus potentiam cum se tutari non possent Revalienses, Regis Sveciæ Erici patrocinio sese commiserunt. Cumqve postea Gotthardus Ketlerus sese Regis Poloniæ tutelæ adversus Russos sive Moscos commisisset, non minus sibi juris in Livoniam putabat esse Ericus Sveciæ Rex, qvam Polonis, præsertim cum ab Imperatore Ferdinando sibi commissam esse Livoniæ tutelam affirmaret, in-

dè igitur Habsalam,Lehalam,Parnoviam & alia loca Polonis ejectis recepit. Accessit & hoc: Joannes Dux Finlandiæ eodem tempore duxit Catharinam Regis Poloniæ Sigismundi Augusti Sororem in conjugem, mutuoqve dedit Sigismundo LXXX. Millia talerorum (alii CXXIV. millia ponunt) & vicissim Joanni traditæ sunt arces in Livonia Wittensteinum, Karchisam, Frichatum,Helmultum,Ermisium,Ruja & Bortvicum, hypothecæ loco,pro mutuò data pecunia. Revertentem in Sveciam Joannem Ericus Rex Joannis frater initi contra se cum Rege Poloniæ fœderis accusat, & accepta à Sigismundo Augusto castella sub specie defensionis contra vim Moscorum sibi tradere compellit. Receperunt posthæc Poloni Pernaviam. Interea defunctis jam Erico Sveciæ, & Sigismundo Augusto Poloniæ Regibus, Moscoviæ Dux MAGNUM Holsatiæ Ducem in Regem Livoniæ creavit,eundemqve magna vi, malâ tamen fide, Livoniæ imponere voluit. Tantis periculis imminentibus Joannes Sveciæ, & Stephanus Poloniæ Reges inter se societatem iniverunt, ut communibus viribus Mosco resistere possent. Et Svecis qvidem An. 1580. fortuna magnopere adspirabat. Receperunt enim plurima loca à Moscis in Livonia jam occupata, ut Lodam,Lehalam, Habsalam, Narvam. Provinciam Vicchiam, Wittensteinum, Carelogorodam & alia loca. Stephanus Pol. Rex veritus,

tus,id qvod res erat, ne Sveci hoc modo totam sibi Livoniam subjicerent, pacem cum Moscis exclusis Svecis fecit his conditionibus: *ut Moscus omnia restitueret loca, qvæ in Lithvania occupaverat; item ut totam Polono Livoniam traderet; Stephanus verò Vielikolukam & alias nonnullas arces qvas hoc bello occupaverat Mosco redderet.* Postea cum Sigismundus Joannis III. Sveciæ Regis filius in Regem Poloniæ, defuncto Stephano, esset electus,hanc conditionem ipsi Poloni præscripserunt, *ut eam Livoniæ partem,qvam occupaverat,Regno Poloniæ adjungeret.* Sed Sigismundus III. nullâ ratione adduci potuit, ut ipsorum postulatis subscriberet, & tantam ipsis Provinciam concederet, qvam 40. fermè milliarium longitudine à Narvæ fluminis ostio per Tolsburgum, Vesenbergum, Revaliam, Padisam, Wittensteinum & Habsalam ad vicinas Parnaviæ oras se porrigentem, possidebat. Hæc fusè enarrat Joan. Loccenius *lib. VII. Hist. Svec. per tot.* Conf. Neugeb. *lib. IX.* David Chytræus *lib. XX. Saxon. fol. 528. seqq.* Post hæc cum Sigismundus III. Regno Sveciæ excidisset, multa bella gesta sunt inter eum & Carolum IX. qvi in Sigismundi locum à Svecis substitutus erat. Continuavit illa bella Gustavus Adolphus. Hic totam ferè Livoniam in suam redegit potestatem,donec tandem An. 1629. induciæ pactæ sint in 6. annos, iis conditionibus, *ut interea Rex Sveciæ omnia Livoniæ*

 loca,

loca, qvæ possidebat, retineret. Finitis deindè induciis An. 1635. aliæ induciæ factæ sunt in 26. annos, mediatoribus Galliæ & Angliæ Regum & Ordinum Belgii, Legatis. Theatr. Europ. *ad dict. ann.* Everhard. Wassenberg. *Part. II. gestorum Wladislai lib. II. pag. 171. seqq. &* 191. *seqq.*

IV. An. 1654. cum sub Joanne Casimiro Rege Polon. Mosci longè lateqve popularentur Lithvaniam, Seciæ Rex Carolus Gustavus nondum finitis 26. annorum induciis bellum Poloniæ intulit, tum ob alias causas, tum qvod Regis Poloniæ Delegatus contra successionem Caroli Gustavi Regis Stokholmiæ protestatus esset, inducias à Polonis violatas esse causatus. Ubi initio felices habuit progressus; sed postea Danis Svecicas provincias invadentibus Poloniam deseruit. Tandem An. 1660. extincto jam Rege Seciæ Carolo Gustavo, diu desiderata pax sancita est in monasterio Olivensi propè Dantiscum, ubi inter alias hæ fuerunt conditiones. *Ut Joannes Casimirus Rex Poloniæ renunciaret in perpetuum omnibus prætensionibus in regnum Seciæ, & in Principatum Finlandiæ; Rex tantum Joannes Casimirus titulo Regis Sveciæ uteretur ad dies vitæ, qvem tamen non usurparet ad Regem Seciæ scribens, tribus tantum & cæterationibus adjectis. Omnes Provincias Livonicas TransDunanas Sveco concederet, prætensionesqve omnes in Esthoniam & Osilam dimitteret, traderet etiam ea loca Livoniæ CisDunana qvæ Svecus tenuit tempore induciarum; Livoniam Australem Rex Poloniæ retineret, in qva Düneburgum, Kositen, Luzen, Marienbusen* &c. *Vid.* Pacta illa *in Continuat. III. Diar. Europ. ad An.* 1660. Inserta sunt hæc Pacta etiam Constitutionibus Regni Poloniæ de *An.* 1661. *fol.* 4. *& seqq.*

CAP. IX.

De *Russia, Moscovia & Lithvania.*

I.

RUssia (à Russo Lechi fratre, ut qvidam volunt, ita dicta) olim complectebatur magnam hodiernæ Lithvaniæ partem, Podlachiam, Russiam Rubram, Podoliam Volyniam citeriorem & ulteriorem; Severiensem & Czernichoviensem Ducatus, & ea ferè omnia qvæ inter Viliam & Pripetium amnes continentur. Item Smolenscensem, Polocensem, Vitepsconsem Novogrodensem, Tvveriensem Ducatus. Moscoviam insuper, qvæ antiqvitus obscura fuit regio, ut postea audiemus. Hæc Russia sæpius fuit in multas partes distracta, ita tamen, ut

ut is cum supremâ potestate præesset, qvi Kioviæ rerum potiebatur. Lithvania verò à Littalano, sive Lituo II. Rege ita dicta, olim fuit gens obscura, & arctis finibus circumscripta. Complectebatur sub se hodiernam Samogitiam, Curlandiam, & partem hodiernæ Lithvaniæ, conterminam Samogitiæ inter Dunam & Viliam, aliosqve fluvios Viliam influentes, Dubissam, Niewiazam, Svviætam aliosqve amnes; in qvibus locis hodiè adhuc Lithvanicæ lingvæ usus est.

II. Russiæ Ducum antiqvitus magna fuit potentia, qvippe qvi etiam Lithvanos sub jugum actos, sibi tributarios fecerint. Antiqvis enim temporibus Lithvani, gens obscura & agrestis, subera, restes, & fasces frondeos, qvibus sudorem gens ea sibi in balneis provocare solet, tributi nomine Russis pendere cogebantur usqve ad Seculum XIII. Joan. Dlugoss. *Tom. I. Hist. Polon. lib. VI. fol. 536.* Neugeb. *lib. III. pag. 127.* Postea verò mirâ fortunæ vicissitudine Lithvani eluctati, totam Russiam sibi subjecerunt, nisi ea excipere velimus, qvæ Poloni armata manu, in partibus Russiæ Australibus Russis extorserunt. Qvomodo igitur Russiæ alienum subierit jugum, jam nobis dicendum erit. Videlicet ex Polonis Boleslai I. II. III. IV. Russiam meridionalem domuerunt. A Sec. XIII. verò Lithvani orientalem Russiam aliasqve ejusdem oras aggressi imperio suo subjecerunt, ut deindè audiemus.

III.

III. Sec. X. Circa Ann. 971. Volodimirus Dux Russiæ, Bulgaros, Croatos, Dulopios, Jazyges domuit. Corsonum etiam Constantinopolitano Imperatori ademit: postea verò cum Annam Basilii & Constantini Imperatorum sororem duxisset uxorem, Christianam insuper suscepisset religionem, ea omnia reddidit. Præmisliam deindè, Czervenumqve Miecislao Duci Poloniæ ademit. Indè vivus adhuc Regnum inter duodecim filios partitus est. Fuerunt autem populi & urbes qvæ in divisionem cesserunt, Kiovia, Novogrodum, Poloscum, Turovia, Rostovia, Maromum, Derevi, Vladimiria, Torocanum, Smolenscum, Plescovia, Volynia. Cæterum inter fratres orto bello, Sventopelcus Kioviam, Glebo & Borisso fratribus cæsis, occupat. Mox & ipse à Jaroslao fratre superatus & Principatu ejectus, ad Boleslaum Chrobri Regem Polon. confugit: Is Sventopel. cum reduxit Ann. 1008. Jaroslao victo. Jaroslaus tamen non qvievit: Sed ejecto rursus Sventopelco, Kioviâqve occupatâ bellum Boleslao intulit. Sed ingenti prælio superatus, tributum Boleslao promisit An. 1018. Cromer. *lib. III. fol. 440.* Stanisl. Lubienski *tractatu de jure Regni Polon. in Russicas Moschoviticasqve Provincias fol. 178. Operum.* Post mortem Boleslai Chrobri in libertatem se asseruere Russi. Suscepit qvidem II. contra Jaroslaum Miecislaus expeditionem, eum tamen in ordinẽ cogere non potuit. Qvinimò

imò Jaroslaus Monarchæ (*Jedinowladec*) titulum ſibi aſſumpſit primus. Et Caſimirus I. Rex Pol. ductæ Jaroslai ſorore in uxorem omne jus, qvod Pater & avus in Ruſſiam habebant, remiſit. Cromer. *lib. IV. fol. 451.*

IV. Sec. XI. Sub Boleslao II. Audace qvinqve filii Jaroslai inter ſe de Imperio concertabant. Jeſaslaus natu maximus Kioviæ Dux pulſus à fratribus Ann. 1069. ad Boleslaum II. Regem Pol. confugit, qvi magno cum exercitu Ruſſiam ingreſſus, Præmisliam hactenus à Polonia avulſam recuperavit. Luſco inſuper, Vladimiriâ, Chelmâ, Kioviâ occupatis, Ruſſiam vectigalem ſibi fecit; Iſaslaum tamen Ducem toti Ruſſiæ præfecit. Sed non diu Ruſſia manſit in fide Polonorum. Boleslaus enim ipſe fugienti ſimilis Cracoviam regreſſus, nihil poſtea, utpote libidini deditus, præclari geſſit, Dlugoſs. *lib. III. ad An. 1076. fol. 256. ſeq.* Cromer. Neugebaur. & alii.

V. Sec. XII. Sub Boleslao III. Crivouſto, invaſerat Kiovienſem Principatum Vladimirus Jaroslai Vladimirienſis Ducis & Zbitislaviæ Reginæ Poloniæ (qvam duxerat Boleslaus III.) patruus, cujus inſidias veritus Jaroslaus fugit ad Boleslaum An. 1118. Boleslaus, ſumpſit qvidem arma An. 1123. ſed Jaroslao, cujus res agebatur, in prælio cæſo, donis exoratus rediit in Poloniam. Indè An. 1134. authore Jaropelco Vladimiri filio Kioviensi Duce, Ruſſi rebellarunt.

runt. Hunc Jaropelcum Boleslaus aſtu Petri Vloſtovicii cepit; ſed poſtea, cum ſe in fide & clientelâ Regum Polon. fore promitteret, dimiſit. Sed neqve tum Ruſſi fidem ſervarunt. Multa indè Bella ſecuta ſub Boleslao IV. Criſpo, & Caſimiro II. Juſto.

VI. Circa eadem tempora crevit Halicienſium Ruſſorum potentia. Horum Dux Miecislaus qvaſi nothus à Wſzevvoldo Belzenſi & Wlodimiro Halicienſi pulſus, ad Caſimirum Juſtum Ducem Poloniæ confugit. Hic ad Haliciam Ruſſis ſuperatis, Miecislaum in ſua verba adactum Halicienſibus An. 1182. Præfecit. Miecislao non multò ſub veneno ſublato, Volodimirus ope Polonorum ejectis Hungaris, qvi Haliciam interceperant, Principatum adeptus, juravit fidelitatem Polonis. Illi poſtmodum mortuo ſubſtituitur à Polonis Romanus Vlodimirienſium Dux An. 1197. Sed cum reballaret, ad Savichoſtum cæſus eſt. Indè Leſcus Albus COLOMANNO Andreæ Regis Ungariæ filio, cum Salomeâ ſorore HALICIENSE REGNUM in dotem tradidit. Sed Ruſſi exteri regiminis impatientes, Colomannum expellunt; reſtitutum à Polonis, veneno tollunt. Daniel porrò Romani filius Regnum Halicienſe occupat, ab Opiſone Legato ſedis Apoſtolicæ, fictâ religionis Romanæ ſuſceptione, obtento Regis titulo. Sed cùm ad fidem Ruſſorum eſſet relapſus varia bella geſta ſunt. Danieli ſucceſſit filius

filius Leo. Hoc sine prole mortuô, Regnum Haliciense ad Troidemi Masoviæ Ducis filios Mariâ sorore Leonis genitos delatum est, qvorum major natu Boleslaus cum fraude Russorum dato veneno extinctus esset, Frater ipsius similem veritus casum, in Casimirum Regem jus suum transfudit, accepta à Rege terrâ Belsensi. Hic Casimirus M. Rex An. 1340. Russiam meridionalem in formam Provinciæ redegit. Sic rem illam recenset Lubinski *l. c. fol. 180. seq.* Conf. Cromer. *lib. VII. fol. 523. & 525.* Nadanji *lib. II. Hist. Hung. cap. 16.* Addatur Vincent. Kadlubko *lib. IV. Chron. Pol. cap. 14. seqq.* & ejus Commentator *ibid. p. 485. seqq.*

VII. Sec. XIII. Dum Poloni Russiam meridionalem ad se trahunt, non segnius Lithvani Russiam Orientalem & septentrionalem infestant. Cum enim circa An. 1200. Romanus Haliciæ & Uladimiriæ Dux, devictis, aut in exilium actis reliqvis Russiæ Regulis, solus per universam Russiam rerum potitus, etiam Jatvingiam, qvæ hodiè Podlachia dicitur, & Lithvaniam subigere tentâsset, partem etiam Lithvaniæ jam sibi subjecisset, ex illo tempore cœperunt bella Lithvanica cum Russis: his sibi Lithvaniam asserentibus, illis pro libertate strenuè pugnantibus. *Vid.* Albert. Wiiuck Kojatovvicz *part. 1. Hist. Lithv. lib. III. pag. 49. seqq.* Accidit deindè, ut An. 1211. Scythæ sive Tartari Russiam ingentibus copiis pervagati, tributariam illam efficerent. Hinc Lithvani alienis malis in suarum rerum incrementa usi, sensim fines Lithvaniæ per Russiam proferre cœperunt. Et qvidem An. 1217. Erdivilus Dux Lithv. contra Russos variis bellis gestis, Grodnam, Brestiam, Drohicinum & alia oppida occupavit. Russi Tartaricis bellis jam attriti, subjecerunt se Lithvanis. ERDIVILUS igitur primus è Lithvanis factus est Dux Novogrodeci, illa omnia imperio suo complexus, qvæ Viliam inter & Prepetium fluvium interjacent. JATVINGIAM qvoqve qvæ & SUBSYLVANIA & PODLACHIA dicitur imperio suo adjunxit. *Vid.* Cojalovvicz *part. 1. lib. III. Hist. Lithv. à pag. 58. ad 62.*

VIII. An. 1219. Post Erdivilum Mingailo Dux Lithv. POLOCENSEM PROVINCIAM Lithvaniæ adjecit, hac occasione. Polocenses Russi extinctis in bello Ducibus legitimis Reipubl. administrationem ad triginta Senes transtulerunt. Indè finitimos infestare ausi à Mingailone domiti sunt. Kojatovvicz *lib. III. pag. 67.* Et licet postea Pолociam Poloni amiserint, recuperavit tamen eandem postea Narimundus Dux Lithv. Kojalovvicz *part. 1. lib. V. pag. 161.* Skirmundus Dux Lithv. Mingailonis filius Tartaris Russisqve profligatis *Mozyrum, Starodubum, Czernichoviam, Karaczoviam* totamqve planè SEVERIAM hostili ditioni detraxit. Cojalovvicz *part. 1. lib. III. p. 73.* Circa An. 1235. RINGELDUS Gimbuto Palæmonis nepote genitus

genitus cum tantis præesset Provinciis, ut Lithvaniæ, Samogitiæ, Curoniæ, Subsylvaniæ, Novogardiæ, Mozyriæ, Pinsko, Severiæ, Czernichoviæ, primus se appellavit MAGNUM DUCEM LITHVANIÆ. Kojalovvicz *l. c. lib. IV. pag. 83.* post hunc MENDOGUS M. D. Lithv. urgentibus Livonicis Crucigeris factus est Christianus, donationemqve Jalvingiæ sive Subsylvaniæ, Samogitiæ, Curoniæ & Veizensium agrorum, à nepotibus suis factam, confirmavit. His Provinciis Crucigeri Livonienses aucti, hoc apud Innocentium IV. Papam Rom. procurarunt, ut Mendogus in Regem Lithvaniæ coronaretur; qvi tamen ad Ethnicismum relapsus Curoniam aliaqve Cruciferis donata recepit. Cojalovvicz *part. 1. lib. IV. p. 97. seqq.* Preußische Ordens Chronick *M.S. fol. 63. seqq. & 78.* Sub eadem tempora Boleslaus Pudicus Pol. Jetvingos sive Jatvviezyos, vel, ut alii, scribant, Jazypes Lithvaniæ tum subjectos ferè exscidit provinciamqve regno Polon. adjunxit. Cojalovvicz *l. c. lib. IV. p. 120.* Cromerus tamen & Neugeb. Jazyges illos à Boleslao Pudico victos, non ponunt in hodierna Podlachia, sed in Volynia ubi episcopatus est Lucæoviensis. *Vid.* Neugeb. *lib. III. Hist. Pol. pag. 155.*

IX. Sec. XIV. Circa An. 1319. GEDIMINUS, Vilnæ Conditor, contra Russos reverentiam summi Principis exuentes, & Novogrodenses agros infestantes, movet, Ulodimiriam urbem expu-

expugnat, Volyniam totam juramento sibi adstrictam Lithvanis magistratibus gubernandam tradit. Lucæoriensem urbem sibi subjicit, ut & Drohicinum & Brestiam, Kojalovv. *lib. VII. pag. 251. seq.* Anno seqventi 1320. Kioviam, Ovvruczam, Zitomirum, Bialogrodecum, Slepovvrotum, Kanioviam, Czerkassiam, Pereslaviam, Branskum, adeoqve totam Volyniam cum magna Severiæ parte Lithvanico subjicit imperio. Qvanta jam tum sub Gedimino Lithvanici Imperii fuerit magnitudo, cognosci illud potest, ex divisione illius inter Gedimini filios. Hic enim cum numerosam haberet prolem, ut discordiarum materia subtraheretur, *Montvido* tradidit Kiernoviam & Slominum; *Narimundo* Pinskum, Mozyrum, partemqve Volodimiriensis Provinciæ. *Olgierdo* Crevum, & qvicqvid indè Beresinam usqve porrigitur: *Kieystuto* Samogitiam, Trocenses, Lidenses, & Upidenses agros ac Subsylvaniam. *Coriato* Novogrodecum, Volkoviskum. *Lubarto* Volodimiriam & Volyniam. *Javnuto* Vilnam, gentis caput, Osmianam, Braslaviam. Et hunc Javnutum summum Principem designavit, etsi non esset natu inter fratres maximus. *Vid.* Kojalovvicz *l. c. lib. VII. p. 281.*

X. An. 1331. Cum Tartari Podoliam tum tenentes de Volyniensibus Kioviensibusqve agris prædas agerent. OLGIERDUS, qvi Javnuto depulso factus erat Magnus Dux Lithv. bellum illis

illis infert, PODOLIAMqve totam ejectis Tartaris sibi subjecit. Tum CAMENECIA Podoliæ condita est ab Olgerdi ex fratre nepotibus Coriatho, Alexandro, Constantino, Theodoro & Georgio, qvos Podoliæ præfecerat Olgerdus. Kojalovvicz *part. 1. Hist. Lithv. lib. VIII. p. 287. seqq.* Indè cum Constantino mortuo tandem Theodorus Coriatovicius Podoliam teneret, Magni Ducis imperium aspernatos, impositis validis Valachorum præsidiis, ipse ad Hungariæ Regem abiit auxiliorum petendorum gratia. Sed Olgerdus interea totam Podoliam occupatam, inqve Provinciæ formam redactam Gastoldo Palatino gubernandam tradidit. Kojalovv. *l. c. lib. VIII. pag. 303. seq.*

XI. Per eadem tempora, videlicet An. 1332. Demetrius Moschoviæ Dux excusso jugo Tartarico, omne illud, qvod Russis olim parebat, sibi vendicare cœpit. Igitur Legato ad Lithvanos misso tributum postulavit. Lithvani verò Legato retento Ducem nec opinantem in ipsa urbe Moscua ferè oppressum ad fœdus adegerunt, ea conditione, ut fines Lithvaniæ Mosaiskum usqve & ad Vgram fluvium proferrentur. Kojalovvicz *lib. VIII. p. 296.*

XII. Diximus jam Num. VI. CASIMIRUM MAGNUM Haliciense regnum, post Duces Masoviæ, regno Poloniæ adjunxisse, qvod hic repetendum est. Cum verò Lithvani Duces ut Lubartus Leopoli, Kieystutus & Georgius Narimuntovicius magnis in Russia præessent Provinciis, varia illi cum Casimiro M. gessere bella. Casimirus Lubarto & Kieystuto ditiones Russicas armis extorsit, jus hæreditatis prætendens in eas terras. Adempta igitur est Lithvanis Volynia, Podolia, cum Brestensi & Belzensi Palatinatibus. Lithvanis tamen has oras subindè repetentibus, ne eos prorsus in se concitaret, qvasdam Provincias Lithvanis reliqvit Ducibus; ea tamen lege, ut Poloniæ Regem agnoscerent supremum Dominum, ut in Belzensi tractu & Volynia. *Vid.* Kojalovv. *part. 1. lib. VIII. à pag. 314.* LUDOVICUS Rex Pol. & Hung. successor Casimiri Magni Chelmensem tractum & Belzam occupavit circa an. 1377. Cojalovv. *lib. VIII. pag. 347. seq.* OLGERDUS Magnus Dux Lithv. An. 1381. mortuus, sex reliqvit filios ex Uliana Witepscensicum Duce susceptos, Joannem Zedzevitum Podoliæ Ducem; Simonem Lingvieneum sive Langvinum Mscislaviensium Ducem; Andream Vigundum à qvo *Trubecenses* Duces genus ducunt; Constantinum Ducem Czernichoviæ è qvo deindè *Czartoriensium* Duces prodiere; Theodorum Lubartum *Sanguszkorum* parentem à qvo *Kovelscii* & *Koszyrscii* Duces descendunt. Habuit etiam Olgerdus qvinqve alios filios, præter JAGELLONEM susceptum è Maria Teverensis Ducis filia, nempe Skirgellonem, deindè Koributum, à qvo genus ducunt

Zbarascii & *Wisniewiecii* Duces. Demetrium *Coreciorum* Ducum parentem. Svidrigelonem, & Vigundum (qvi,susceptis ritu Rutheno Christianis sacris, Basilius dictus est, & paulò post cum ad Romanam transiisset Ecclesiam, Alexander:) Severiæ & Kiernoviæ Ducem. Habuit & Kieystutus frater Olgerdi sex filios VITOLDUM, *Patricum, Totivilum* sive *Theophilum, Sigisdum* sive *Sigismundum, Andream Voydatum* aliàs *Harbatum, Dougothum.* Kojal. *part. 1. lib. VIII. Hist. Lithv. p. 353. seq.*

XIII. Ex Olgerdi filiis JAGELLO factus est Magnus Dux Lithv. Cum Hungari à morte Ludovici de possessionibus per Pocutiam cæteramqve Russiam sibi attributis non levem metuerent concertationem, acceptâ ingenti pecuniâ Olescum, Kremenecum, Horodlum, Lopatinum, Svviatinum, Lubarto Jagellonis patruo, qvi tunc pro Lithvaniæ Duce Lucæoriæ, Volodimiriæ, atqve per universam Volyniam imperabat, vendiderunt. Kojalovvicz *l. c. pag. 381. seq.* Cum igitur Jagello factus esset Rex Poloniæ, possidebat tum præter Lithvaniam & Samogitiam etiam Polesiam, Podlachiam, Vitebsciam, Polociam, Smolensciam, Mscislaviam, Severiam universam, Kioviam, Volyniam, partemqve Podoliæ. Kojalovvicz *part. 1. Hist. Lithv. lib. IX. in fin.*

XIV. Cum Uladislaus Jagello Ann. 1386. evectus esset in Regem Poloniæ, promisit Lithvaniam se suam, omnesqve adhærentes Provincias, perpetuo nexu Poloniæ adjuncturum. Jurarunt qvoqve Russi & Lithvani Duces atqve Proceres in verba Regis & Reginæ, consignatisqve diplomatis in fide & clientela ipsorum & Regni Polonici se cum ditionibus suis deinceps semper fore promiserunt. Diploma tale vidisse se in Archivio Regio, testatur Cromerus. Renovatum est hoc Fœdus Ann. 1401. ubi ipsi Lithvaniæ Proceres Regno Poloniæ Lithvaniam suam incorporarunt, ut ipsi loqvuntur. *Vid.* Albert. Wijuk Kojalovvicz *part. 2. Hist. Lithv. lib. II. p. 66.* Joan. Januszovv. *lib. VII. Constit. Regn. Polon. tit. 3. fol. 750.* Rursus An. 1414. fœdus illud renovatum est, ubi etiam Nobilitas Lithvanica, deposito gravissimo servitutis jugo, ad æqvales cum Nobilitate Polonica admissa est prærogativas. Assumpserunt etiam Proceres Lithvaniæ insignia Polonorum, ut familiæ commiscerentur, & sic firmius hæ duæ coalescerent regiones. *Vid.* Kojalovvic. *l. c. p. 91.* Societas verò hæc Lithvaniæ cum Polonia non fuit perpetua. Cum enim Poloni Volyniam, Podoliam aliasqve partes Russiæ Regno Poloniæ vellent adjungi: Lithvani contra, tam amplas provincias nollent à Lithvania abstrahi, continuæ hinc secutæ sunt inter Polonos Lithvanosqve concertationes. Indè etiam fiebat, ut aliqvando, insciis, imò invitis Polonis, hi sibi Magnum Ducem (qvi in statutis sæpè vocatur *Wielki Xiadz-*

Lithewski I. Magnus Sacerdos Lithvan.) crearent. Comitia qvoqve Polonorum rarò freqventarent, & id non nisi per aliqvot Legatos. Qværebant verò Poloni sibi jus in has Provincias, qvia Volynia & aliæ partes Russiæ à Boleslais Poloniæ subjectæ fuerunt; seqventes etiam Reges alias partes Russiæ jure belli obtinuerunt, qvia deniqve Wladislaus Jagello (ut refert Kojalovvicz *part. 1. lib. IX. fin.*) Volyniam lustrans Creslao Curosvanscio Polono Præfecturam Lucæoriæ consignavit. Lithvani contra jus belli & emptionem, de qva num. XIII. diximus, prætendebant. Hæ prætensiones & concerdationes protractæ fuerunt usqve ad An. 1566. Tunc enim suspecta Regis Sigismundi Augusti valetudo, domusqve Jagellonica nullo jam hærede firma, majore Lithvanos curâ perurgebat, nimirum ne tot bellis implacati à Polonis destituerentur, ideoqve tandem An. 1566. Legatos Lublinum ad Comitia Polonica miserunt, Fœdus dictum cum regno Polonicæ flagitantes, qvod jam à Wladislao Jagellone fuerat initum, postea etiam aliqvoties tum ab ipso Jagellone, tum à successoribus ejus, præcipuè Alexandro Rege fuit restauratum, semper verò ob continuas Lithvanorum prætensiones fuerat rescissum. Difficillimum hoc fuisse opus, ut & alterum de executione Legum, patet indè, qvod multi Senatores prudentissimi, rerumqve peritissimi sæpius dictabant; *cum unio Poloniæ Lithvaniæqve, & executio Legum fiet, permissuros se, ut sibi laqveus collo injiciatur*, referente Stanisl. Sarnitio: *lib. VIII. Annal. Polon. ad An. 1552. fol. 394.* Initum tamen est eo An. 1566. fœdus illud præter multorum opinionem, his conditionibus: *Lithvani nunqvam soli Magnum Ducem sibi legerent, sed ad locum, ab Interrege Archiepiscopo Gnesnensi designatum, venirent: Istbic pari cum Polonis prærogativa singuli eqvites jus suffragii haberent: qvi verò Rex crearetur, idem Magnus Dux esset: Peragendæ novi Regis Electioni locus circa confinia, utriusqve gentis destinaretur: Comitia alternis vicibus in Polonia & Lithvania peragerentur.* Nec tum tamen tanto tempore desideratum fædus perfici potuit: sed factum hoc demum est. An. 1569. præsentibus plurimorum Principum Legatis. Sic tandem societas utriusqve gentis, duorum seculorum labor, consummata est, ut loqvitur, (qvamvis non satis accuratè calculum hic posuerit) Albertus Wijuk, Kojalovvicz *part. 2. lib. VIII. Hist. Lithv. p. 48.* Conf. Neugeb. *lib. VIII. H. P. pag. 6. 25.* Instrumentum Fœderis hujus *Vid.* apud Joan. Janusżov. *lib. VII. Constit. Part. 1.* Theod. Zavvacki *part. VI. Constit.* & Volumen Constitutionum Regni Polon. Andreæ *Petricovii ad An. 1569.* Eodem tempore cesserunt Lithvani jure, qvod in Podlachiam, Volyniam & Kioviensem Palatinatum prætendebant. *Vid. Constit. fol. 149. seqq.*

XV. Verum, ut paululùm ad tempora Wladislai Jagellonis regrediamur,& tum Lithvania insigniter, fuit aucta ab ALEXANDRO WITOUDO, qvi Skirgelloni in Magno Ducatu Lithvaniæ suffectus, Lithvaniam ad summum fastigium evexit. Hic enim ODRUSCENSES, SMOLENSCENSES, ZITOMIRIAM, KIOVIAM, PLESCOVIAM & NOVOGARDIAM MAGNAM partim primò subjecit, partim interceptas ab hostibus recepit. PODOLIAM qvoqve totam Lithvaniæ suæ adjunxit, idqve concedente Wladislao Jagellone in consulto Senatu. Cromer. *lib. XVII. fol. 666.* Imò hic Vitoudus sive Vitoldus imperium suum à mari Baltico ad Pontum usqve Euxinum propagavit. *Vid.* Cojalovvicz *part. 2. lib. II. pag. 97. 107. 139. & alibi.* Cromer. *lib. XV. seqq.* Cacybejus enim portus ad Pontum Euxinum in ditionem Polonorum & Lithvanorum tum redactus erat. Cromer. *lib. XVIII. fol. 671.* Porrò Theodorus Uladimiriensium Dux DUCATUM SEVERIENSEM tunc à Rege accepit,promittensConsignatis etiam literis in potestate & fide Regis se futurum. Cromer. *lib. XV. fol. 641.*

XVI. Sub Casimiro III. Jagellonide jam cœpit Lithvania decrescere. Nam An. 1478. Joannes Basilides Dux Moscoviæ NOVOGARDIAM cepit eamqve Lithvanis eripuit, qvæ nunqvam armis repetita est. *Hic primus gradus fuit defluentis Lithvaniæ ab alto, qvo eam Vitoldus evexerat, amissâ tam opulentâ provinciâ. Deinceps enim propè singulorum bellorum pax, aut provinciæ integræ, aut agrorum amissione constitit. Raro aliqvid ab hoste receptum.* ait Alb. Kojalovvicz *part. 2. Hist. Lithv. lib. V. ad An. 1478. p. 247. seq.* Postea An. 1490. fortunis ac genere clarissimi *Duces Bielscii, Boratinscii,* ac *Vorotinscii* cum amplissimis possessionibus ad Moscum deficientes Lithvaniam infestabant, qvod tamen Rex non est ultus. *Vid.* Kojalovvicz *l. c. p. 255.* Porrò an. 1491. SEVERIÆ Principes in finibus Moscoviæ habitantes ob contumeliam sibi à janitore, nolente ipsos ad Regem intromittere, illatam, defecerunt ad Moscum. Nihil tamen hac in re actum, præterqvam qvod per Albertum Kloczko de injuriis sit expostulatum. *Idem l. c. p. 255. seqq.* Totam autem Severiam occuparunt Moscovitæ An. 1499. *Idem lib. VI. pag. 282.*

XVII. An. 1501. ALEXANDRO adhuc Magno Duce Lithv. existente Moscoviæ Dux JVANUS BASILIDES jam cœpit usurpare titulum Domini universæ Russiæ. Cum verò Alexander Helenam Moscoviæ Ducis filiam conjugem expetiisset. An. 1492. his conditionibus pax fuit sancita. *Alexander jus omne in Novogardiam, Tweriam* (cujus imperium antea An. 1486. Magnus Dux Tiberiæ à Mosco oppressus Casimiro Regi offerebat. Kojalo-

vvicz *part. 2. Hist. Lithv. lib. V. pag. 251.) & Viazmam abdicaret. Jvanus verò Moscov. Dux qvicqvid Ducum Vorotinski possessione antea comprehendebatur Lithvaniæ restitueret.* Cojalovvicz. *part. 2. lib. VI.. pag. 265.*

XVIII. Sublato qvoqve è vivis Alexandro Rege, cum SIGISMUNDUS I. succeſſiſſet, MICHAEL DUX GLINSCIUS opibus elatus ad Principatum M. Ducatus Lithv. aſpirabat, detectâ verò proditione defecit ad Moſcos An. 1509. qvo anno etiam Moſci PLESCOVIAM occuparunt, & An. 1514. proditione Glinſcii SMOLENSCUM. *Vid.* Negeb. *lib. VII. Hist. Pol. pag. 456. seqq.* Cojalovvicz *part. 2. Hist. Lithv. lib. VI. pag. 352.* STEPHANUS BATHORI Rex Poloniæ initâ ſocietate cum Joanne Sveciæ Rege, ut ſupra dictum eſt, cum Moſco bellum geſſit, tandem tamen pacem cum Moſco fecit his conditionibus: *ut Moscus omnia redderet loca qvæ in Lithv. occupaverat: item totam Livoniam Polono cederet, Stephanus verò Vielikolukam & alias nonnullas arces, qvas hoc bello occupaverat, Moſco redderet.* Loccen. *lib. VII. Hist. Svecicæ.* Neugeb. *l. IX. Histor. Polon.*

XIX. SIGISMUNDUS III. Rex Polon. cum Moſcovia inteſtinis bellis conflictaretur, miſit eò Stanislaum Zolkievium, qvi eò rem deduxit, ut Moſcovitæ, dejecto Magno Duce ſuo BASILIO SVISCIO An. 1610. vel etiam ipſo Sviſcio volunrariò imperio ſe abdicante, VLADISLAUM Regis natu maximum Magnum ſibi Ducem eligerent. Cum verò hic cunctaretur, & Rex expugnato Smolensko ad Comitia profectus eſſet, mutarunt Moſcovitæ ſententiam, ſibiqve in Magnum Ducem elegerunt An. 1613. MICHAELEM FEDEROVICIUM. Poſtea An. 1617. Vladislaus ſuſcepit in Moſcoviam expeditionem, & progreſſus usqve ad urbem Moſcuam, petente Duce Moſcoviæ, inducias in 14. annos cum eo pepigit, uti hæc fusè perſeqvitur, Illuſtr. Stanislaus à Kobierzycko Kobierzycki *lib. II. & seqq. Hist. Vladislai IV.* Paul. Piaſec. Epiſcop. Præmisl. *in Chron. ad dict. an.* Everhard. Waſſenberg. *Part. I. Gestorum Vladislai IV. lib. I. cap. 2.* Verùm An. 1633. jam Sigismundo III. defuncto MICHAEL FEDEROVICIUS Dux Moſcoviæ induciis violatis, ut habetur in *Constit. An. 1633. fol. 11.* Smolenſcum obſedit, à Vladislao tamen repulſus eſt. Hinc Vladislaus in Moſcoviam movens tanto terrore Ducem implevit, ut ſupplex pacem peteret. qvam his demum obtinuit conditionibus: *ut occupatas arces SMOLENSKO, NOVOGRODUM, SEVERIAM, DROHOBUS, BIELAM, ROSTOVIAM, KNIASNIAM, MURANSKOVLOSSE, POPOWAGORA, cum eò pertinentibus territoriis ac ditionibus Ducatuum SMOLENSCI, & CZERNICHOVIÆ, qvi per 200. milliaria ferè in longitudinem & 60. in latitudinem*

nem protenduntur, Regi Vladislao & successoribus ejus traderet, nullâ sibi prætensione reservatâ nec etiam titulum Ducis Smolenski & Czernichoviæ amplius usurparet, ut etiam omni jure qvod habere videbatur in LIVONIAM, CURLANDIAM & ESTHONIAM, (qvodnam autem illud jus sit. *Vid.* apud Kojalovvicz. *Part.* II. *Hist. Lithv. lib.* VIII. *pag.* 451.) *sese abdicaret. Vladislaus verò Rex è contrario omni jure qvod in Moscoviam habebat, cederet, titulumqve Ducis Moscoviæ abdicaret.* Vid. Everhard. Wassenberg. *Part.* II. *lib.* II. *Gestorum Vladisl.* IV. *pag.* 131. *seqq.*

XX. Hanc pacem perpetuam ALEXIUS FEDEROWIEZ Magnus Dux Moscov. MIchaëlis filius rupit, & cum Joannes Casimirus Rex Poloniæ maximis Cosacorum bellis peteretur (deqvibus *Vid.* Joach. Pastorius *in libb. de Bell. Cosac.*) Smolenskum An. 1654. expugnavit; Caunenses in sua verba adegit; Vilnam qvoqve ipsam Magni Ducis Lithv. sedem An. 1655. occupavit. Qvo anno etiam Sveciæ Rex Carolus Gustavus bellum Polonis intulit, qvod finitum est per pacem Olivensem, de qva superiori capite. Cum Magno Duce Moscoviæ bellum diutius gestum est; sed jam æqviori Marte, placatis aliis hostibus. An. 1661. recepta est arx Vilnensis, qvam Moscovitæ, diu jam urbem obtinentibus Polonis, pertinaciter defendebant. *Vid.* Diar. Europ. *Continuat.* VI. *p.* 554. *seq.* Tandem An. 1667. mense Januario inducias cum Polonis pactus est in 13. annos Dux Moscoviæ his conditionibus: *Ut Poloni reciperent* POLOCKUM, VITEPSCIAM, DUNEBURGUM, *ut &* CITERIOREM LIVONIAM *cum iis qvæ huc pertinent, ita tamen ut* NEVELA, VIELISSIA *&* SEBISCH *à Palatinatibus Polocensi & Vitepscensi abstraherentur: Mosci verò* SMOLENSCUM, SEVERIAM, *& totam* UKRAINAM *trans Boristhenem retinerent, redditâ Polonis* UKRAINA *cis Boristhenem.* KIOVIAM *etiam elapsis duobus annis Mosci Polonis redderent.* INSULÆ ZAPOROHENSES *ut ab utroqve Principe possessæ contra communes hostes defenderentur.* Ratio verò cur Mosci inducias has qvam lubentissimè celerrimèqve arripuerint, fuit Bellum, qvod Turca contra Moscos apparare dicebatur, de qvo Moscoviæ Dux per Legatum suum in Turcia commorantem certior factus erat. *Vid. Continuat. XVI. Diar. Europ. pag.* 26. *seqq.* Sed KIOVIAM Mosci, licet postea hâc de re solicitati, nondum reddiderunt. Et licet An. 1672. d. 9. April. Pacta illa confirmata sint, tractatio tamen de Kiovia reddenda rejecta est usqve ad An. 1674. Sed Poloni neqve tum qvicqvam hâc in re obtinuerunt. Expectandus itaqve est exitus induciarum.

CAP.

CAP. X.

De *Masovia, Valachia, Moldavia & Podolia.*

I.

DUcatus MASOVIÆ Sec. XI. ſub Mieciſlao II. Rege Poloniæ avelli cœpit à reliqvo corpore Polonici Regni. Cum enim totum Regnum in impotens Rixæ Reginæ dominium concitatum eſſet, MASLAUS qvoqve, ſive,ut ab aliis vocatur, MASOS, pincerna Regis,dominatum inter ſuos in tractu Plocenſi cœpit,eamqve terram à ſuo nomine Maſoviam appellavit. Joan. Dlugoſſ. *Tom.* I. *lib.*III. *Hiſt.Polon.fol.189.ſeq.ad an.1040. Cromerus, Neugebauerus & alii.* Sed Stanislaus Sarnitius MASOVIOS à MASSAGETIS nomen habere ſtatuit, nec probat illam derivationem à Maslao tyranno. Sic enim eâ de re loqvitur: *Scio,* inqvit, *qvæ noſtri Chronologi de Maſoviorum origine à Maslao tyranno, cujus caſtra ſecuti erant contra Regem Polonorum, ſcripſerunt. Sed mihi incredibile videtur, gentem tam præclaram, & animo excelſo præditam, ab hoc vili homine, & qvidem*

qvidem tyranno, nuncupationem ſuorum natalium petiviſſe. Hæc Sarnitius *lib.*I *Annal.Polon, fol.34.* Hunc Maslaum Caſimirus I. Rex Poloniæ in prælio victum in crucem egiſſe, Maſoviamqve,cujus ſe Ducem Maslaus ferebat, recepiſſe ſcribitur. *Vid.* Cromer. *lib.* IV. *fol. 451. ſeq.*

II. An. 1220. in Comitiis Sendomirienſibus Leſcus Albus fratri ſuo Conrado Maſoviam, Cujaviam & Dobriniam conceſſit, à qvo tempore Maſovia ſuos cœpit habere Duces. Dn. Hermannus Conringius inſtitutionem hujus Ducatus adſcribit Imperatori Romano,nullum tamen in ſentiam ſuam allegat auctorem. *lib.* II. *de Finib. Imp. Germ. cap.18. p.249.* A Conrado illo deſcendunt alii. Maſoviæ Duces, qvi ſucceſſu temporis Regnum ſibi Halicienſe acqviſiverunt, ut dictum eſt ſupra cap. IX. num. VI. Fuerunt tamen nihilominus Duces illi Regibus Poloniæ obnoxii, uti lib. II. probabimus, de Senatu Regni Poloniæ acturi.

III. An. 1495. Cum Joannes Albertus Rex rei Polonicæ præeſſet, cœpit declinare ſtirps Ducum Maſoviæ. Nam eo anno mortuus eſt, Joannes, ſive Januſſius Maſoviorum Plocenſium Dux cœlebs, hinc Rex tractum PLOCENSEM jure feudi ad ſe devolutum Regno adjunxit. Reliqva Maſovia penes fratrem ejus Conradum certis legibus manſit. Cromer. *lib. XXX. fol.815. ſeq.* Et cum An. 1503. Dux Maſoviorum Conradus deceſſiſſet, conceſſum eſt libe-

liberis ejus, ut qvibus finibus Pater ipsorum Masoviam tenuisset, ipsi qvoqve retinerent: ubi masculi defecissent, tum demum Rex Polonorum totam Masoviam reciperet. Cromer. *lib. XXX. fol. 827.* Tandem sub Sigismundo I. Regе extinctâ masculâ Ducum prole, Masovia tota rediit ad Regnum Poloniæ. *Vid.* Neugebaur. *lib. VII. Hist. Polon. pag. 511.* Confer. Cromer. *in Orat. Funebri Sigismundi I. in Corp. Hist. Polon. Tom. III. fol. 23.* Palatinatus Podlachiæ, qvi olim ad Masoviam pertinebat, à Casimiro autem Jagellonide Lithvaniæ adjunctus erat, rediit ad Regnum Poloniæ An. 1567. *Vid. Constit. dicti anni fol. 149. seqq.*

IV. VALACHIAM & MOLDAVIAM jam Sec. XIV. Casimirus Magnus armis infestare cœperat, ut nos docet Matth. à Michovia *lib. IV. cap. 20.* Sed Poloniæ has Provincias Vladislaus Jagello demum adjunxit. Huic enim An. 1403. Alexander Palatinus, & mox Romanus Petri filius, cum è vinculis Svidrigellonis à Rege liberatus esset, juravit cum Consiliariis suis, se in potestate Regis & Regni esse foreqve. *Vid.* Cromer. *lib. XVI. fol. 649.* Uladislaus qvoqve Rex ipse testatur sibi Valachos esse subjectos antiqvitus, ut est apud Cromerum *lib. XIX. fol. 682.*

V. Anno 1455. cum Casimirus Jagellonides in Prussia à Cruciferis defendenda occupatus esset, Turca vehementer vexabat Valachiam & Moldaviam; & cum Poloni sociis suis nulla possent auxilia mittere, misit Petrus Valachiæ Palatinus oratorem ad Mahumetum Principem Turcarum, ut pacem ab eo duûm millium aureorum tributo redimeret. Cromer. *lib. XXIII. fol. 740.* Ex eo tempore Valachiæ Palatini mox Polonis, mox Turcis fidelitatem jurarunt, nemini tamen fideles. Posthæc Sigismundus I. Rex eos sub jugum mittere, vel etiam exterminare ob rupta crebrò fœdera, cum posset, noluit; ne vel illi desperatione adducti Turcis se dederent, vel redactâ in Provinciæ formam Valachiâ, & amotô qvasi obice ipse difficillimum cum potentissimis Turcarum Tyrannis bellum de finibus gerere cogeretur. Cromer. *in Orat. funebr. Sigism. fol. 25.* Hinc Valachi & Moldavi Turcis qvidem subjecti manserunt, ita tamen, ut & Poloniæ Regem, ut potentem vicinum, revererentur. Semper enim Reges Poloniæ in Pactis suis cum Turca initis præcaverunt, *ut in istâ Provinciâ socia Regni Poloniæ non nisi legitimi Ducalis sangvinis, nativiqve Moldavi Polonis addicti præessent, statumqve tantum, illudqve moderatum tributum ad ærarium Ottomanni cumpenderent: ne nimirum istis exclusis Turcæ præficerent ibi alienigenas, fideliores sibi, & iniqviores Polonis, vel instituerent Præsides Bassas sui generis, seu permitterent eò conduci colonias Tartarorum.* Paul. Piasec. *ad An. 1612. fol. 335.* Donec tandem sub Sigismundo III. Ann. 1618. *Stanislaus Zolkievius supremus Exercitus Poloni-*

ci

ci Præfectus in Pactis cum Skinder Bassa ad Bussam initis, hanc cautelam de tuenda conservandaqve armis Polonicis successione nativorum Ducum Moldaviæ, gravi jactura Regni, ordinibus insciis, nullâ necessitate adactus, convulsit. Tunc Tartari in Moldavia, ut jam Turcæ propriâ, agere cœperunt. ait Piasec. *ad dict. An. fol.* 367. Neqve hic error Zolkievii postea corrigi potuit, cum An. 1621. d. 9. Octobr. pax inter Polonos & Turcas concluderetur, teste eodem Piasecio *ad dict. an. fol.* 412. Sicqve jus Polonorum in Moldaviam labefactatum est.

VI. Verum Moldavia Valachiaqve non contentus Turcarum Imperator An. 1672. Michaële Rege habenas Regni Polonici moderante, munitissimum totius Poloniæ pro pugnaculum CAMENECIAM in Podolia cepit. Et jam ipsa Regni Polonici viscera scrutaturus erat, nisi Michaël Rex, inconsultis tamen Ordinibus Regni, pacem ab eo impetrasset, his conditionibus: *Ut Poloni Podoliam totam Turcico Imperatori traderent; Cosacos esse sui juris permitterent; qvotannis 22. millium ducatorum tributum penderent* &c. Tam indignas conditiones cum tolerare non possent Poloni, bello sua recuperare decreverunt, cujus initium An. 1673. auspicatissimum fuit. Sub auspiciis enim Sereniss. ac Potentiss. Joannis III. tunc adhuc supremi exercituum Polonicorum Ducis d. 11. Novembr. Turcæ ad Chotimum arcem cæsi sunt.

Qvamvis verò seqventibus annis incredibili cum animi magnitudine bellum illud continuatum sit, tandem tamen An. 1676. mense Novembr. pax inter Polonos & Turcas his inter alias conditionibus facta est: *Tartari Lipcæ nuncupati facultatem habebunt migrandi cum uxoribus & facultatibus in Podoliam sub dominium Turcarum. Bar & Miedziboz præsidiis evacuabuntur: Ukraina cum Cosacis sub imperio Turcico permanebunt: Niemierow & Kallik præsidiis Polonorum occupabuntur, neqve Bassa Camenecensis qvicqvam in id prætendet, usqve dum Legatus Polonicus ad Portam accesserit. Pawolocz & Bialocerkiew Polonis integra manebunt; De Podolia forte aliqvid Legatus obtinere poterit. Captivi cum obsidibus Leopoliensibus & abductis ultra Danubium Camenecensibus dimittentur: Liberum Christianis Fidei & Devotionis exercitium concedetur. Tributum Buczacz promissum remittitur; omniaqve Pacta antiqviora confirmantur, &c.* Lecta sunt hæc Pacta in Comitiis Regni Polon. An. 1677. d. 22. Febr. Qvid Legatus Polonicus, qvi nunc ad Portam mittitur, hîc sit obtenturus, seqventia tempora docebunt.

CAP XI.

De
Variis Poloniæ divisionibus.

I.

AD finem libri prioris properantes, aliqvot Regni Polonici divisiones tum Geographicas, tum Politicas trademus, non tantùm ut patescat, qvæ jam Imperio Polonico, post tot tantasqve mutationes, de qvibus hactenus egimus, adhuc hodiè subjectæ sint partes; sed etiam, ut eò facilius ea, qvæ seqventi libro tradentur intelligi qveant. Geographica divisio est illa, qvæ Poloniam dispescit in certas Provincias. Reperiuntur autem ibidem Provinciæ seqventes: I. POLONIA MAJOR, ad qvam pertinent Posnaniensis, Calissiensis, Lanciciensis, Brestensis, Inovladislaviensis, Siradicensis, Ravensis Palatinatus, ut & Vielunensis & Dobrinensis Terræ. II. MINOR POLONIA, ad qvam Cracoviensis, Sendomiriensis & Lublinensis Palatinatus pertinent, ut & Osvviecimensis, Zaboriensis & Severiensis Ducatus, nec non Comitatus Scepusiensis. III. LITHVANIA, in qva tres numerantur Palatinatus, nempe Vilnensis, Trocensis & Brzesciancnsis. IV. MASOVIA, qvo referuntur Masoviæ, Plocensis & Podlachiæ Palatinatus. V. PRUSSIA REGIA in tres divisa Palatinatus, nimirum Culmensem, Mariæburgensem & Pomeraniæ. Ad Prussiam pertinet etiam Episcopatus Varmiensis. VI. SAMOGITIA qvæ nullos habet Palatinatus, sed subest Gubernatori sive Capitaneo. VII. RUSSIA ALBA, qvæ Magno Moscoviæ Ducatui adjacet, habetqve Novogrodcensem, Mscislaviensem, Vitepscensem, Polocensem, Smolenscensem, Czernichoviensem, Kioviensem Palatinatus, ex qvibus Palatinatibus multa adhuc possidet Magnus Dux Moscoviæ durantibus induciis. VIII. RUSSIA RUBRA, qvo pertinent, Russiæ, Podoliæ, Volhiniæ, Belzensis & Braclaviensis Palatinatus. Ex his Braclaviensem, Kioviensem & Czernichoviensem Palatinatus vocant UKRAINAM. Tandem IX. pertinet qvoqve ad Imperium Polonicum LIVONIÆ pars Australis, ut supra cap. VIII. dictum est. Consuli hic potest Martin Cromer. *lib. I. Descript. Polon. pag. 41. seqq.* Starovolscius *in Polonia sua*, & alii Geographi.

II. Deinde solet etiam Imperium Polonicum dividi generalissimè in POLONIAM & MAGNUM DUCATUM LITHVANIÆ, & populus ipse dividitur in duas gentes, Polonicam & Lithvanicam. Item Senatores, aliiqve Magistra-

giſtratus majores, dicuntur eſſe duarum gentium, nimirum Polonici & Lithvanici. Et hâc ratione ad POLONIAM pertinent præter Majorem Minoremqve Poloniam, Pruſſiam & Maſoviam, de qvibus ſuperiore numero actum eſt, etiam Ruſſiæ, Belzenſis, Podoliæ, Braclaviæ, Volhiniæ, Kioviæ, Czernichoviæqve Palatinatus. *Vid. Volumen Conſtitutionum Andr. Petricovii fol. 149. ſeqq. & Conſtit. An. 1635. tit. Ordinacya Woiewodztwa Czerniechowskiego.* Ad LITHVANIAM pertinent Lithvania in ſpecie ita dicta, Samogitia, ut & Novogrodecenſis, Mſciſlavienſis, Minſcenſis, Polocenſis, Vitepſcenſis & Smolenſcenſis Palatinatus. Sed LIVONIA utriqve genti, & Polonicæ & Lithvanicæ, communis facta eſt per Conſtitutiones *de An. 1569. fol. 182. An. 1589. fol. 507. ſeqq. An. 1598. fol. 708. ſeqq. Vid.* & Paulus Szerbic *in Promptuario Statutorum omnium & Conſtitutionum Regni Poloniæ Part. VI. cap. 10. f. 352. & ſeqq.* Ex eâ ratione qvoqve Livonia in multis Conſtitutionibus Polonicis & inter Palatinatus Polonicos & inter Palatinatus Lithvanicos ſimul ponitur, ut ex Declarationibus Palatinatuum liqvet. Recentioribus autem temporibus Palatinatibus tantum Lithvanicis ſubjungitur. Cum etiam maxima pars Livoniæ per Pacta An. 1660. Svedis ceſſiſſet, prioresqve Conſtitutiones eâ ratione fermè inutiles redditæ eſſent, promiſſa eſt An. 1661. nova Livoniæ Ordinatio in proximè futuris Comitiis concinnanda. *Vid. Conſt. dicti anni fol. 23. inter Conſtitut. Lithvanicas.* Sed ob alia negotia huc usqve res hæc in effectum non eſt deducta.

III. Porrò dividitur etiam Polonicum Imperium alio reſpectu in tres gentes, nimirum in MINOREM POLONIAM, MAJOREM POLONIAM, & MAGNUM DUCATUM LITHVANIÆ. Uſus hujus diviſionis conſpicitur maxime in Comitiis, qvando eligendus eſt Marſchalcus Nunciorum, ſive Delegatorum Provincialium Director. Ille enim ſemel ex minori, deinde in ſeqventibus Comitiis ex majori, & tertiis in Comitiis ex Lithvania eligitur. Eſt etiam hujus diviſionis uſus in variis Commiſſionibus, qvando qvidam deſignandi ſunt ad negotia, qvæ ad totam Rempublicam pertinent, expedienda. Item eâdem ratione dividitur Polonia ratione Summorum Tribunalium, qvamvis hic ſpecialiora qvædam occurrant, ut infra de Judiciis Polonicis acturi indicabimus. Hoc reſpectu ad Majorem Poloniam pertinent Poſnanienſis, Caliſſienſis, Breſtenſis, Inovladiſlavienſis, Lancicienſis, Siradicenſis, Ravenſis, Plocenſis & Maſoviæ Palatinatus, ut & Pruſſia. Item Vielunenſis & Dobrinenſis Terræ. Reliqvi Palatinatus Poloniæ, qvatenus illa contradiſtingvitur Lithvaniæ, ut Cracovienſis, Sendomirienſis, Kiovienſis, Ruſſiæ, Wolhyniæ, Podoliæ

 Be-

Belſenſis, Lublinenſis, Podlachiæ, Braclavienſis, & Czerniechovienſis, pertinent ad minorem Poloniam. Ad Lithvaniam iidem Palatinatus pertinent, qvos ſupra enumeravimus.

IV. Sed & alia adhuc acceptio eſt vocis MAJORIS POLONIÆ, qvando ſtrictè ſumitur pro duobus tantum Palatinatibus, nempe Poſnanienſi & Caliſſienſi. Sic Generalis Majoris Poloniæ Capitaneus dicitur, qvi tantum duorum eſt jamjam dictorum Palatinatuum. Similiter etiam Comitia Majoris Poloniæ dicuntur Srodæ celebrari, qvæ itidem illorum tantum ſunt Palatinatuum. *Vid.* Cromer. *lib. I. Deſcript. Polon. pag. 41. ſeqq.*

V. Præterea ſolet etiam Polonia dividi in Palatinatus, Terras & Diſtrictus. Et hoc iterum dupliciter. Nam primo RATIONE CONVENTUUM particularium Comitia Regni univerſalia antecedentium, ſic dividuntur Palatinatus: I. Qvidam ſunt ſoli, nullæqve ipſis adjunguntur terræ vel Diſtrictus: ut Palatinatus Lancicienſis, Plocenſis, Sendomirienſis, Lublinenſis, Belzenſis, Podoliæ, Kioviæ, Volhyniæ, Braclavienſis, Czernichovienſis, Polocenſis, Mſciſlavienſis, ut & Ducatus Samogitiæ. In ſingulis enim his Palatinatibus unus tantum habetur Conventus Particularis: II. Qvidam ſunt conjuncti, ut in Majori Polonia Palatinatus Poſnanienſis & Caliſſienſis: Item Palatinatus Breſtenſis & Inovvladislavienſis, III. Qvibusdam adjunguntur Terræ, ita ut Conventus celebrentur non ſolum in Palatinatibus ſingulis, ſed etiam ſeparatim in Terris, qvæ ipſis ſunt adjunctæ. Sic Palatinatui Siradicenſi adjuncta eſt terra Vielunenſis: Palatinatui Breſtrenſi terra Dobrinenſis: Palatinatui Cracovienſi adjunguntur Oſvviecimenſis & Zatorienſis Ducatus. IV. Qvibusdam adjunguntur Diſtrictus, in qvibus itidem Conventus particulares antecomitiales celebrantur, ut in M. Ducatu Lithvaniæ Palatinatui Vilnenſi adjuncti ſunt Oſmianenſis, Lidenſis, Wilkomirienſis, Braslavienſis: Palatinatui Trocenſi DiſtrictusGrodnenſis, Caunenſis, Upitenſis: Palatinatui Smolenſcenſi Diſtrictus Starodubenſis: Palatinatui Novodrodcenſi Slominenſis, Volkoviſcienſis: Palatinatui Vetepſcenſi Diſtrictus Orſzanenſis: Palatinatui Breſcenſi Diſtrictus Pinſcenſis: Palatinatui Minſcenſi Diſtrictus Mozirenſis & Reczycenſis. Qvamvis & Palatinatus, qvibus Diſtrictus adjunctos eſſe diximus, & ipſi Diſtrictuum nomine venire ſoleant, ut, qvando Diſtrictuum Magiſtratus eſſe dicuntur Judices Terreſtres & alii, de qvibus infra *lib. II. cap. 4. num. 3.* Hi enim Magiſtratus reperiuntur non tantum in Diſtrictibus dictis, ſed & in ipſis Palatinatibus. V. Qvidam Palatinatus ipſi conſtant ex

exterris, in qvibus singulis Comitiola celebrantur, qvalis est Palatinatus Masoviæ, Podlachiæ, Russiæ. VI. Qvidam Palatinatus constant ex Districtibus, ut est Palatinatus Ravensis, qvi habet tres districtus. Sed de his vid. infra. *lib. II. cap. 6. num. 5. Conf. & Declarationes Palatinatuum de Contributionibus singulis ferè Comitiorum Constitutionibus subnexæ.* Secundò RATIONE JUDICIORUM alia adhuc ratione Palatinatus dividuntur in Districtus, de qvibus *Vid. lib. II. cap. 7.*

FINIS libri primi.

LIBRI

LIBRI II.

CAP. I.

De Rege & Regina Poloniæ; ubi de Interregno, Electione & Coronatione.

I.

POstqvam de variis Regni Polonici mutationibus, incrementis, decrementis, aliisqve rebus memorabilioribus egimus, placet jam ulterius progredi, & ipsam Rempubl. Polonicam considerare, ut cognoscamus, à qvibus, & qvomodo illa gubernetur. Tres autem sunt Status, sive Ordines hujus Reipubl. *Rex, Senatus*, & *Nobilitas*. Sunt qvidem præter illos etiam alii, ut *Cives* in specie ita dicti, qvi in urbibus habitant, & *Kmetones*, (sic in Privilegiis *Agricolæ* vocantur) qvi per pagos sparsi sunt. Sed qvoniam illi ad Imperium non admittuntur, inter Ordines & Status Regni etiam non numerantur. Nos in seqventibus de singulis Ordinibus acturi, ab ipso capite i. e. à *Rege* initium

tium faciemus, qvomodo ille eligatur & coronetur visuri.

II. Antiqvitus Successionem in Polonia obtinuisse probavimus *lib. I. cap. 2. n. 10.* Post extinctam demum Piasteam in Polonia stirpem, eligi cœperunt Reges. Reliqvias tamen Successionis cernimus in eo, qvod non rarò viventi Regi, & post ea tempora, Successor sit designatus. Sic enim Casimirus M. Ludovicus, Uladislaus Jagello, Sigismundus I. sibi Successores designarunt. Totius tamen Regni consensu id factum esse comperimus, & qvidem eâ conditione, ne per hæc exempla liberæ deinceps Electioni derogaretur. Præcipuè verò lege latâ id cavit Sigismundus I. apud Joan. Januszovium *lib. I. Constit. Regni Polon. tit. II. fol. 10.* Post obitum deindè Sigismundi Augusti, Ordines Regni hanc legem renovarunt: *Reges Polonorum non debent nominare, eligere, aut Electionem indicere, vel qvenqvam alium modum tentare, instruendi, aut designandi Regis sive successoris, vitæ suæ tempore, idqve ob eam causam, ut post eorum decessum, libera & illæsa Electio Regis, Statibus & Ordinibus Regni semper maneat.* uti hæc habentur apud Illustriss. Andream Maximilianum Fredronem Castellanum Leopoliensem *in Historia Henrici I. Regis Pol. pag. 65.* Inserta deindè est hæc lex singulorum Regum Pactis Conventis sive Capitulationibus, ut *Stephani, Sigismundi III. Uladislai, Joannis Casimiri, Michaëlis & Joannis III.* qvod nullo modo hæc tentare, neqve titulo hæredis imposterum uti debeant. Et cum An. 1626. in Comitiis qvispiam mentionem injecisset, ut Regi *Sigismundo III.* adhuc vivo successor destinaretur, *infremuerunt omnes Ordines & ad pœnas legum deposcebant ejus consilii Auctoros, nisi difficilioris temporis rationes silentio potius tunc illam indignationem premere coëgissent*, teste Paulo Piasecio Episc. Præmisl. *in Chron. ad dict. an fol. 459.* Post hæc cum Joannes Casimirus Rex omnibus viribus laboraret, ut sibi vivo successor substitueretur, qvamvis multi assensi sint in hoc Regis postulatum, ut patet ex Diarii Europæi *Continuat. VI. pag. 351. & Continuat. VII. pag. 69.* Reclamarunt tamen plurimi. *Vid. Continuat. VII. pag. 68. & seq.* Donec tandem An. 1667. mense Aprili per novam Constitutionem Electio vivo Rege prohibita est, ut legere est in *Continuat. XVI. Diar. Europ. pag. 149. Vid. & Constit. ejus Anni fol. 3. Conf. Pacta Conventa Joannis III. init.* Tentarunt tamen & ipsi Ordines Polonici aliqvid contra hanc legem jam antea. Cum enim An. 1654. multorum armis peterentur, non potuerunt à Cæsare auxilium impetrare, nisi tradito Cæsari per Leszczynium scripto, de successione Caroli Josephi Archiducis Austriæ post fata Joannis Casimiri Regis. De qvo scripto recipiendo actum est in nupero Interregno Ann. 1674. d. 27. Januar. & d. 3.

d. 3. Febr. ut ex *Diario illius Interregni* patet. Causam verò Legis, de non nominando Regni Successore, vivo adhuc alio Rege, optimè exponit Fredro, qvando dicit: *Præsente Rege novum eligi non electio est, sed successio & hæreditas; mancipantur Eligentium liberæ voces, ut non qvi optimus, sed qvi proximus sangvine Sceptris destinetur: Cum alii præsentiâ senis regnantis, alii officio, cæteri cupidine placendi ad Principum destinata, non Rempubl. trahuntur; Verum post funera eligere, sola eligendi libertas est, non respectus.* in Hist. *Henrici I. pag. 65.* Ex qvibus elucet, errare personatum Franciscum Marinium, qvi *non temerè in Polonorum Historia reperiri posse*, dicit, *Regem aliqvem obtinuisse. ut sibi vivo adhuc Successor designaretur, nisi excipias Uladislaum Jagellonem, cui hac in parte indultum est qvicqvam præter mores Regni.* lib. *de Scopo Reipubl. Polon. cap. IV. pag. 64.* Eundem ex ipso errorem hausit & Chr. Funccius *in Breviario Orbis hodiè imperantis pag. 736.*

III. INTERREGNORUM itaqve causæ sunt tres. Nimirum *Mors* Regis; *Depositio* seu *exauguratio*; & *Abdicatio* seu *Resignatio* spontanea. De MORTE Regis notandum est, qvod simul atqve Rex è vivis excedit, qvidam ex Senatoribus spiritualibus & secularibus, item ex Officialibus majoribus (qvales sunt Marschalci, Cancellarii & Thesaurarii) designentur, ut curam habeant corporis Regii. Decrevit etiam An.

An. 1674. Respublica, ut ex Bonis Oeconomicis sumptus necessarii ad curandum cadaver Regis Michaëlis ex thesauro erogarentur usqve ad diem sepulturæ. *Vid. Confœderatio illius Anni.* Sepultura verò Regii corporis differtur, donec alius electus fuerit Rex: *Mos est*, ait Piasecius, *isti genti, non humare defunctum Regem, nisi alio electo, proximo post funus die coronando.* In Chron. *ad An. 1632. f. 525.* Conf. Joan. Demetr. Sulikovius Archiepisc. Leopoliens. *in Commentario rerum ab Excessu Sigismundi Augusti gestarum. pag. 21.* Hoc tamen antiqvitus non fuisse observatum colligitur ex Historiâ. Nam *Casimirus M.* justis funebribus Uladislao peractis, creatus est Rex, teste Cromero *lib. XII. de Ortu & Reb. gest. Polon. in princ.* Casimirus autem Magnus funeratus est post coronationem Ludovici Regis Neugeb. *lib. IV. Hist. Polon. pag. 213.* Joannes Albertus electus est in Regem sepulto jam Casimiro Jagellonide. Cromer. *lib. XXX. in princ.* Item Alexander Rex electus est sepulto jam Joanne Alberto Rege. Cromer. *lib. XXX. fol. 824.*

IV. DEPOSITIO seu EXAUGURATIO Principis olim in Polonia freqventior fuit, nunc verò rarior est. Memorabile illud exemplum est Henrici Valesii, qvod superiore Seculo contigit. Hic enim cum nondum totum annum Poloniæ Rex fuisset, accepto de Fratris sui Caroli IX. Regis Galliæ morte nuncio, clam noctu disces-

discessit è Polonia ad capessendum Galliæ Regnum. Cum verò diu frustra Rex exspectaretur, tandem d. 7. Novembr. An. 1574. in Comitiis generalibus abrogatum est ipsi imperium. *Vid.* Fredro *in Hist. Henr. I.* Qvod autem & aliis Regibus imperium possit abrogari, si planè sint incorrigibiles, probari potest ex ipso Regum Poloniæ jurejurando, qvod postea dabimus.

V. RESIGNATIONIS, sive ABDICATIONIS *spontanea* licet aliqvot reperiantur olim exempla, ut *Lesci Albi* & *Uladislai Lesconogi*, huc tamen ea non trahimus, qvoniam sub Regno contigerunt successivo. Illud propius accedit ad propositum nostrum, qvod de *Uladislao Jagellone* fertur. Post fata enim Hedvvigis conjugis suæ, in animo habuit abdicare se Regno, in Lithvaniamqve suam reverti; qvia non ignorabat, se exterum uxoris nomine apud liberam gentem eo usqve regnâsse, jamqve Senatus erga se affectum forsan mutatum esse. Sed confirmatus à Senatu, ductâ Annâ Wilhelmi Ciliæ Comitis filiâ, à proposito suo destitit. *Vid.* Salomon Neugebaur. *lib. V. Hist. Polon. pag.* 241. Illustrissimum autem, & ad omnem posteritatem memorandum exemplum spontaneæ abdicationis habuimus non ita pridem in Joanne Casimiro Rege, cujus processum Nicolai Chvvalkovvski, testis oculati, verbis, licet pro-
„ lixioribus, recensere placet: Exponebat pri-
„ mo Sereniss. Rex Dominis Senatoribus, eam
„ ob causam Varsaviam (d. 12. Junii) congre-
„ gatis, mentem suam de reddenda Republ. Illi
„ magnitudine & novitate rei ac reverentiâ Le-
„ gum deterriti, nil nisi preces de mutandâ sen-
„ tentiâ interponebant; sed cum perseveranti-
„ am propositi in Principe animadverterent,
„ rem integram ad universam Rempubl. refere-
„ bant. Divulgata itaqve notitia est per Pro-
„ vincias à Reverentiss. Dno. Prazmovvski Ar-
„ chiepiscopo Gnesnensi Primate Regni, de
„ hocce tristi & insperato orbandæ Patriæ pro-
„ posito. Interim non deerant vota Principum
„ Orbis Christiani. In Comitiorum ergò (qvi-
„ bus dies 27. Augusti dictus fuit) exordio, post
„ consveta manus Regiæ oscula Nuncii Terre-
„ stres per Marschalcum suum Illustrem Dn.
„ Stephanum Sarnovvski Succamerarium Ge-
„ neralem Palatinatus Lanciciensis Regiæ Ma-
„ jestati turbatos ob dictam innotescentiam ex-
„ plicabant animos, humillimè rogando, ut sacra
„ Regia Majestas declarationem suam impertiri
„ dignaretur. Respondebat de throno Reve-
„ rendiss. Dn. Andreas Olszovvski Vice-Can-
„ cellarius, Regni Episcopus Culmensis & Po-
„ mesaniæ, nunc Archiepiscopus Gnesnensis
„ (d. 29. Aug.) in hunc ferè sensum: Edocta
„ est Regia Majestas longâ rerum experientiâ,
„ qvod res, qvæ totius Reipubl. concernunt in-
„ teresse, nonnisi apud eandem pertractandæ
„ sint. Ideoqve sacra Regia Majestas, licet suam

DD.

,, DD. Senatoribus aperuerit mentem, rem tamen integram ad moderna reservavit Comitia, atqve de eâdem, cum maximi sit momenti Regia Majestas deliberatura est. Circumsteterat interim Palatium publica expectatio magni secreti impatiens. Altero post die idem Dominus Vice-Cancellarius gravissimo, uti solet, habito sermone indolendo fatis personæ suæ, qvod ex officio jam teneatur esse duræ Minister sortis & Interpres, formulam de abdicando Regno conceptam, & à sæpè memoratâ Majestate sibi concreditam prælegebat. Fundebat ergo (d. 3. Sept.) ad Regem preces Ordo Eqvestris. Jungebat gravem suam Illustrissimus Senatus Authoritatem. Pia isthæc vota optimum Principem ad contestationem perrennaturi erga patriam amoris impellebant, qvo occupatus victusqve in crastinum differebat declarationem. Hâc per altè memoratum Dn. Vice-Cancellarium Regni (d. 4. ejusdem) disertissimè impertitâ, qvod scilicet Serenissimus in Consilii semel suscepti constantiâ non ex fastidio regnandi, sed curâ æternitatis & fessæ valetudinis ratione firmatum exponi caret animum: Ordines Regni huic intentioni sese submittentes, accusare fata, non mutare, poterant. Cum igitur per aliqvot dies ratione Provisionis, ne Regem suum tot meritis gravem à se dimitterent egenum, consultatum & conventum esset, confectis

,, fectis assecurandæ Provisionis & Diplomatum ab utrinqve Reversalium instrumentis, tandem 16. Sept. Venit summa dies & ineluctabile tempus. Cum enim Serenissimus ex Palatio suburbano frequenti Procerum Comitatu ad arcem deductus esset, & sacrum in Basilica S. Joanni dicatâ audivisset, recipiebat sese ad atrium Senatorium, qvod multitudo hominum, visendi cupidine, aut officio in Principem, compleverat. Ipse postqvam sub throno assederat. Illustrissimo Domino Pro-Cancellario Regni ad se vocato, paucis intentionem suam exponebat, qvi nomine ejusdem Majestatis denunciabat, advenisse jam horam, in qva publicè & solenniter Abdicatio peragetur, atqve ex mente Serenissimi Diploma Abdicationis legeretur. Officio itaqve lectionis fungebatur Reverendiss. Dominus Malachovvski Referendarius Regni, qvem excipiebat supradictus Marschalkus Eqvestris prælectione Assecurationis, qvoad Provisionem, scilicet centum & qvinqvaginta millium florenorum annuatim, & Diplomatis Reversalis Statuum ac Ordinum. Post hæc Diploma Abdicationis à Regia Majestate, Reversale à Republica Provisionis ab omnibus & singulis Personis tanqvam privatis subscribebatur. Qvippe Nuncii Terrestres, cum à Rege super prædictâ materiâ in Conventibus Ante-Comitialibus nihil propositum fuerit,

L nullo

„ nullo de Provisione articulo instructi erant, ra-
„ tihabitionem, itaqve ad Palatinatus suos refe-
„ rebant, qvæ deindè Pactis Conventis succe-
„ danei Regis D. Michaëlis inserta est. His actis
„ Sereniss. Diploma Electionis & Coronationis
„ rubro involuta serico, Reipublicæ, à qva ante
„ viginti ferè annos acceperat, redhibebat, at-
„ qve sic valedicturus mœstum ordiebatur ser-
„ monem, adeò ut crebris cum lachrymis bre-
„ vius dixerit. Magna enim mœroris eloqven-
„ tia est, facundum esse solis gemitibus. Stu-
„ puere omnes tentamina tanta, Conatusqve
„ novos. Sermo autem ille, gemente totâ Re-
publ. prolatus, hujus erat tenoris: *Qvando jamjam elabitur hora, ut amoris paterni debitum à ducentis octuaginta annis Pupillæ Domus mea huic inclytæ Reipubl. exsolvam, Comitiis & Castris defessus, calamitatibus per annos viginti fractus Rex & Pater, qvod mundo preciosissimum est, Coronam in manus Dominationum vestrarum deponam. Pro throno thorum eligo, dum huic seculo funeris mei superstes emorior, pro Regali globo glebam terræ, eamqve in sinu charissimæ matris communis vestræ meæqve Patriæ intra cineres Majorum meorum mihi reservo: ut qvemadmodum me primum in castris, ac ultimum ex præliis & clade vidistis, ita in Annalibus primum ob amorem Patriæ augendæqve ejusdem fortunæ, humana postponentem, Majestatemqve Regiam dispositioni vestræ reddentem memineritis. Amor vester liberis vocibus huic me solio imposuit, amor vicissim meus erga vos supremum me utriusqve lineæ hæredem liberè dimittit. Monarchæ cæteri Filiis, Fratribus, aut Consangvineis abdicando Coronam tradiderunt. Ego eandem Patriæ carissimæ Reiqve publicæ ut Pater & Filius reddo, ejusqve amore ex Duce gregarius, ex Imperante parens, ex Rege Concivis fio, ut juniori & Reipubl. magis proficuo locum concedam, cujus in Electione, ut Deus Dominationes Vestras prosperet, in solitudine meâ negotiorum vacuus Majestatem ejus sanctam implorabo. Gratias jam igitur Vobis pro omnibus charitatibus, Officiis, susceptis periculis, pro Consiliis, præsidio & reditibus ago. Si cui ex rationibus Status vel fatorum qvid ingratum accidit, condonet qvæso, ipse vicissim omnibus do veniam. Sic tandem ultimum vale singulis dico, & cordi meo vos apprimo, in qvo dulcem Vestri memoriam, qvoad vixero, circumferam. Benedictionem insuper Paternam omnibus & singulis impertio, & qvanqvam distantiâ loci disjunctus fuero, animo certè à communi Matre nunqvam divellar, in qva corpus hoc in cineres olim resolutum deponi desidero. Et cum labilis memoria ac luctus in lacrymas effusus plura effari non permittat, uberiora amoris & candoris mei argumenta ex chartâ hâc, qvam ad*
„ *prælegendum trado, intelligetis.* Recitanti
„ verò eandem mente divina & affectu paterno
„ conceptam orationem Reverentiss. Domine

„Vice-Cancellario multæ lacrymæ multas in-
„jiciebant moras. Poſtea Reverendiſſimus
„Dominus Prazmovvski Archiep. Gneſnenſis
„nomine univerſi Senatus, præ dolore ſedes ſu-
„as deſerentis,& toto habitæ Orationis tempo-
„re ſtantis, gratiarum actione fungebatur, dex-
„tramqve Regis ad ejus genua advolutus flens
„oſculabatur. Cujus ſeqvendo exemplum Or-
„do Senatorius: It lacrymans, magnoqve hu-
„mectat flumine vultum. Porrò etiam Mar-
„ſchalcus Nunciorum nomine Ordinis Eqve-
„ſtris devotionem magnâ condolentiâ profite-
„batur, rogando, ne ſacra Regia Majeſtas dedi-
„gnetur innatum erga communem Patriam
„mutare affectum, juxtimqve promittendo
„gratam populi erga Principem obſervantiam,
„atqve ſic cum regnare deſinenti finis ſermo-
„num erat gratiarum actio. Tandem huic ab-
„dicationi coronidem impoſuit ſæpèdictus
„Excellentiſſimus Dn. Pro-Cancellarius, vices
„Regiæ Majeſtatis gravi oratione ſuſcipiens,
„atqve in teſſeram perpetui & immutabilis af-
„fectus gratioſam manum Regiam offerens,
„qvam Nuncii Terreſtres ſupremis venerában-
„tur oſculis. His ita peractis, Sereniſſimus
„thronum tantæ faſtigium Fortunæ relinqve-
„bat. Eheu! exclamare licet: Ponitur hîc imos
„antè, corona, pedes Abeuntem Regem Dd.
„Senatores atqve Officiales de more comitari
„volebant,ſed Sereniſſimus veluti jam privatus,
renue-

„renuebat hunc ſibi honorem exhiberi, qvem
„nihilominus omni cum obſervantia præſta-
„bant. Rex itaqve magna proſeqventium mul-
„titudine ad Palatium ſuburbanum deduceba-
„tur. Magnanimus iſte Rex poſtqvam in Co-
„mitatu ſuo Zivecenſi intellexerat, qvem ſibi
„ſucceſſorem vox Dei Liberiqve populi deſi-
„gnâſſet, Regni fines, ut antea faſces,reliqvit,
„atqve in Galliam diſceſſit. Ubi intra qva-
„driennium Niverniæ ſcilicet XVI. Decembr.
„An. M. DC. LXXII. Charitati Patriæ immor-
„tuus eſt. Cum ergò Sereniſſ. Rex Michaël
„certior redderetur, Patrem & Fratrem ſuum
„(ita literas ad eum inſcribere ſolebat) obiiſſe,
„juſſit honori ac memoriæ Anteceſſoris ſui
„d. XVIII. Febr. An. M. DC. LXXIII. exeqvias
„celebrare, qvibus magnus Olſzovius pium
„impendit ſermonem. Adduxit verò corpus
„ipſius è Gallia Illuſtr. Dn. Opacki Succame-
„rarius Varſavienſis, qvod An. 1676. menſe
„Februario ante coronationem moderni Regis
„tumulatum eſt. Hæc ex Nicolai Chvval-
kovvski *Jure Publico Polonico* depromere vo-
luimus, qvoniam Actus illius ipſe fuit Specta-
tor, eundemqve graphicè deſcripſit. Cum verò
novitas ejuſmodi in Republ. non poſſit eſſe ſine
periculo & revolutione magna, Ordines Regni
Pactis Conventis ſive Capitulationi Michaëlis
Regis articulum inſerverunt, in qvo Rex pro ſe
& ſucceſſoribus ſuis cavet de non abdicando
L 3 Regno

Regno, hocqve pro perpetuâ lege haberi vult. Sed cum Sereniss. Joannes III. esset electus, rogavit Ordines, ut ille articulus omitteretur, ut testatur Diarium Electionis Ann. 1674. d. 27. Maji. qvod etiam factum est. Et hactenus de occasionibus Interregnorum.

VI. Ad ipsa Interregna qvod attinet, illa lib. I. divisimus in *majora* & *minora*, qvod non ita intelligendum est, acsi realis inter ea distinctio detur, cun eadem in utroqve observentur. Sed qvoniam in his rari, imò præter filios Regis defuncti, aut etiam præter fratres nulli sint Candidati, cum minori etiam periculo sunt conjuncta, neqve ab Historicis Polonicis enumerantur, idcirco placuit illa minora vocare. Interregnorum ut & Electionis certus modus non datur Legibus vel Constitutionibus Regni plenè & secundùm singulas circumstantias definitus, cujus rei testem habemus Jacobum Prilusium, qvi sic illa de re loqvitur: *Sed & forma qvoqve eligenti Regis à Majoribus nostris prætermissa est, modo ut sit Nobilitati æqvè ac Proceribus libera, cautum est. Sed neqve præscriptum est, qvis Senatorum sub Interregno haberet auctoritatem indicendorum Polonis ac Lithvanis, aliisqve Regni Ducatibus, Comitiorum, eâ causâ cogi solitorum.* Hæc Prilus. *lib. I. Constit. Regni Polon. cap. 30. art. 3.* Consultatum qvidem est An. 1588. in Comitiis Varsaviensibus hac super re, ut certus modus Electionis præscriberetur; sed cum multi

multi familiam Austriacam prorsus vellent excludi à Regno, intermissa est hæc consultatio, teste Paulo Piasec. *ad An. 1588. fol. 87.* Joan. Demetr. Solikov. *pag. 210. seq.* Sic etiam An. 1631. vivo adhuc Sigismundo III. Rege *Ordines de securitate modoqve eligendorum Regum, qvæ fuit non postrema Comitiorum disceptatio, certi aliqvid statuere mordicus refragabantur. Sive is erat metus, ne Rex morti propior de futuro Successore exploraret vota desideriaqve, perqve id pristinæ libertati eligentium detraheret, sive aliqvorum pertinacia id effecit, qvi in turbido Interregni statu plura se perpetraturos sperabant, si nullis adstricti legibus modisqve tenerentur.* Ut ait Illustriss. Stanislaus Kobierzycki à Kobierzycko Castellanus Gedanensis (Postea Palatinus Pomeraniæ) *lib. ult. de gestis Uladislai Principis in fin. pag. 941. seq.* Nos igitur, cum non de omnibus ad Interregnum & Electionem pertinentibus Leges & Constitutiones inveniamus, ea partim ex Interregnorum Edictis, partim ex Historia, & Diariis Electionum supplere conabimur.

VII. INTERREX sive summus Reipublicæ, durante Interregno, Præses, est *Archiepiscopus Gnesnensis* Legatus Natus, Regni Primas, primusqve Princeps, qvoniam in eum, ut spiritualem personam, non cadit affectati Regni suspicio, ut vult Stanisl. Kamkovius *in Tractatu de Primatu Senatorio Regni Poloniæ*, ubi etiam refu-

refutat eos, qvi dignitatem Interregis suo tempore tribui volebant *Marschalco supremo*, vel *Cancellario*, vel *Castellano Cracoviensi*. Hanc autem dignitatem Archiepiscopus non Electione qvadam Senatus & Nobilitatis vacante demum regno conseqvitur; sed à recepto Archiepiscopatu perpetuus est Interrex, idq; *ne si primum post Regum funera in eum crearetur, vel creantium mora noceret Reipubl. vel ipse tunc primũ factus, officio uti ignoraret*, ut qvidã Marschalcus Nobilitatis ad Senatum verba faciens asserit, apud Fredron. *in Hist. Henrici I. pag. 28.* Fungitur autem eo officio non tantum Rege defuncto, sed etiam Rege in aliam Provinciam proficiscente; ut cum Henricus in Galliam secessisset, de qvo videri potest Fredro. Item cum Sigismundus III. in Sveciam esset profectus, de qvo videatur Stanislaus Lubienski *initio Operum*. Tandem fungitur etiam Archiepiscopus officio Interregis Rege à recto jurium tramite deviante. de qvo *Vid.* Fredro *in Hist. Henrici pag. 111.* Paul. Piasec. *in Chron. ad. An. 1590. fol. 95.* An autem Interregis munia possit obire nominatus Archiepiscopus, & nondum à Pontifice approbatus, dubitari jam amplius non potest, cum in nuperrimo Interregno post obitum Regis Michaëlis Casimirus Florianus Dux in Czartoryisk nominatus Archiepiscopus Gnesnensis Interregis officio fungi cœperit, sub eoqve titulo ediderit Universales (sic vocant literas

literas publicas) mortem Regis denunciantes, futuræqve Convocationi tempus præstituentes. Qvondam verò hoc nominatis Archiepiscopis non fuisse concessum, testantur illa verba Cromeri: *Cœperunt autem sic editi sive nominati indulgentiâ vel conniventiâ qvadam admitti ad Consilia publica, priusqvam approbentur à Pontifice.* lib. II. *Descript. Polon. ubi de Electione Magistratuum agit, pag. 171.* Clarius autem hoc discimus ex aliis. Videlicet cum Sigismundus III. Constantiam Austriacam conjugem secundam duxisset, coronata illa est à Petro Tilicio Episcopo Cujaviensi, non autem à Bernhardo Maciejovio Cardinali & Episcopo Cracoviensi, qvi jam erat Regia denominatione destinatus Archiepiscopus Gnesnensis, teste Illustriss. Stanisl. Lubienski *lib. I. de Motu Civili pag. 39. Operum.* Nullo autem Archiepiscopo existente, dignitas hæc Interregis debetur Episcopis Majoris Poloniæ, licet aliàs minor Polonia Majorem ordine præcedat, testibus Illustriss. Fredronæ *in Hist. Henr. p. 15.* Et Episcopo Posnaniensi apud Casimirum Zavvacki in Diario Electionis Michaëlis Koributhi Regis, cui tit. *Gloria Orbi Sarmatico consensu monstrata.* Pag. 30. Inter Insulatos Majoris Poloniæ primus est Episcopus *Cujaviensis* (qvi & *Wladislaviensis* & *Pomeraniæ* Episcopus dicitur) cui etiam dignitas hæc Interregia competit, absente vel prorsus non existente Archiepiscopo Gnesnen-

nensi. Secundus Majoris Poloniæ Episcopus est *Episcopus Posnaniensis*, cui jus hoc competit in absentia priorum. In nuperrimo autem Interregno, cum d. 19. Maji. nominandus & proclamandus esset Rex electus, & Episcopus Cracoviensis, ut & Cujaviensis abessent, detrectavit hoc munus Episcopus Posnaniensis, Nominationem sine Episcopo Cracoviensi & Cujaviensi fieri non posse causatus. Sine dubio autem propterea hoc fecit, qvoniam Cracoviensis & Cujaviensis Episcopi Varsaviæ tunc erant præsentes, ob aliqvam verò causam in Rota Eqvestri adesse non poterant. *Vid. Diar. Elect. ad dict. diem.* Qvamvis verò hæc dignitas majori Poloniæ sit adjuncta, potest tamen Episcopus Cujaviensis id muneris, saltem qvoad aliqvos actus, concedere alicui superiorum Episcoporum, ut Archiepiscopo Leopoliensi, vel Episcopo Cracoviensi, ut ex nuperrimo Interregno discimus, ubi morbo lethali laborante Archiepiscopo Gnesnensi, & deindè etiam è vivis tempore Interregni sublato, consentientibus Prælatis majoris Poloniæ, Interregis officio functus est Episcopus Cracoviensis per totum illum actum. Electoribus verò Regis Poloniæ in diversa euntibus, munia Interregis alii etiam Episcopi de facto obeunt. Sic post obitum Stephani Bathorei Regis renunciarunt sibi qvidam Senatores Regem Maximilianum Archiducem Austriæ per *Jacobum Veronecium nominatum Kioviensem Episcopum.* Solikov. *p. 195.* Jac. Aug. Thuan. *lib. LXXXVIII. fol. 151.* Tandem hoc etiam notandum est, Interregem Reipubl. negotia principio tractare ex consilio Senatorum, sponte sua ad funus Regium cum ipso Archiepiscopo Primate confluentium, deindè verò ipsi in societatem muneris è minori majoriqve Polonia, ut & Lithvania, qvosdam Senatorum & Eqvitum adjungi, ut factum est in Interregno post excessum Sigismundi Augusti, ut auctor est Fredro *in Hist. Henr. pag. 86.* In Confœderatione Generali *An. 1668. pag. 13. seq.* ut & novissimâ *An. 1674. p. 14. seq.* hic ordo constituitur, ut Interrex negotia Reipubl. cum adjunctis sibi Deputatis, ut vocant, ex minori majoriqve Polonia, ut & ex M. Ducatu Lithvaniæ (qvorum satis magnus constitutus erat numerus. Fuerunt enim præterpropter sex Episcopi, septendecim Palatini & Castellani, omnes ferme Magistratus, sive, ut vocant, Officiales Ordinis Senatorii, & præter hos etiam ex singulis illis tribus gentibus duodeni Eqvites) tractet; graviora verò & ad statum Reipubl. animamqve Interregni pertinentia cum omnibus Ordinibus in Comitiis Electionis demum discutiat & pertractet.

VIII. Simulac Interregnum incidit, Interrex continuò se Varsaviam plerumqve confert, qvo etiam alii Senatores finitimi confluunt. Ex horum itaqve consilio Interrex Ordinibus Regni

& M.

& M. D. Lithv. Interregnum denunciat per universales typis exscriptas, sub nominisqve sui titulo emissas. Prodeunt verò Universales non ex Cancellaria Regni, qvæ sub tempus Interregni cessat; sed ex Cancellaria Interregis propriâ, qvod etiam de aliis Literis ad exteros Principes scriptis intelligendum est. In ipsis Universalibus (qvamvis qvandoqve ex his qvædam minus necessaria, & satis ex consvetudine nota omittantur) primo denunciatur Interregni caussa, sive illa sit mors Regia, sive abdicatio spontanea, sive etiam alia. Deindè publicari jubetur Interregnum per ministeriales (sic vocantur ministri publici) in omnibus Palatinatibus, districtibus & castris. Postea tempus indicitur Conventuum particularium, sive, ut vocari consveverunt, Comitiolorum particularium, & in qvibusdam Provinciis, ut in Masovia & Prussia, non solùm particularium, sed etiam generalium. Vid. infra cap. 6. n. 9. Præter ea qvæ ad securitatem publicam faciunt conservandam procurari, specialiter etiam qvædam pro ratione temporis in particularibus illis Comitiis proponi jubentur. Præterea ut Nuncii ex singulis districtibus ad GENERALEM REGNI CONVOCATIONEM Varsaviam ad præstitutam diem mittantur, monetur Nobilitas. Tandem etiam adduntur nomina Senatorum, ex qvorum consilio Interregnum hoc denunciare se scribit Interrex. Hæ Universales sigillo Interregis munitæ ad Capitaneos mittuntur. Sed de his specialius agemus infra, qvando de Comitiis Ordinariis nobis erit sermo.

IX. Missum ad Capitaneos edictum, ubiqve, præsertim verò in qvatuor partibus fori in singulis Civitatibus, publicatur, justitiumqve per omnes Regni Polonici provincias indicitur. Non enim ad solum rumorem Regii obitus judicia cessant. Hinc An. 1632. mortuo Sigismundo III. Tribunal, sive supremum judicium, qvod tum Lublini consistebat, & viginti qvatuor milliaribus Varsaviâ distans, altero die de morte Regis certam notitiam habuerat, etiam in carceres detrudi fecit annunciatores privatos, ac judicia sua continuavit ad octavum post diem, donec accepit significatorias Archiepiscopi, ut refert Piasec. *ad dict. An. fol. 526.* Publicato dictum in modum Interregno Conventus particulares sive Comitiola (Polonis dicuntur *Seymiki*) in singulis Palatinatibus & terris aguntur, ibiqve de securitate publica, & de illis, qvæ in futura convocatione proponenda sunt, consultatur. Gubernatores Provinciarum (qvi & *Præfecti* & *Capitanei* dicuntur) ut & alii bonorum Regiorum *tenutarii*, sive *Capitanei sine jurisdictione* moniti à Comitiolis, vias publicas reddunt securas grassatores è medio tollendo. Sed & Exploratores in postlimitanea Regni mittuntur, ne vicinorum consilia Reipubl. lateant; Ad fines Regni præsidia disponuntur; Eqvos

Eqvos è regno alicui educere, tum hominibus novarum rerum Studiosis egredi, aut ab extra adventare non licet; Literæ exterorum ad Senatum deferri mandantur, qvo dematur occasio partium capitibus per tabellarios cum extraneis colloqvendi, ut libera sit Electio. Viæ ab hostili ora, detruncatis & aggestis arboribus, intercluduntur, adjectis ad custodiam præsidiis; extranei in militem scribi prohibentur. Nemini ex Optimatibus licitum est exercitum scribere, anteqvam super eo Primatis auctoritatem & aliorum Senatorum proferat scripto; Singuli Nobiles ut omnia bello parata domi habeant, signumqve capiendorum armorum & auctoritatem summi consilii expectent, imperatur. In urbibus & oppidis tumultus & scloporum usus interdicitur, popinæ occluduntur, musici concentus (si Rex est mortuus) vetantur; lugubria omnia lugente Republ. Præcipua est cura circa Cracoviam regni caput, ubi sedes Regia, ubi diplomata, corona, thesauri asservantur. Hæc & alia similia, prout illa necessitas & securitas Reipubl. erigere videtur, in singulis Palatinatibus adhuc antè Convocationem generalem inducuntur, qvædam etiam ex his minus necessaria omittuntur. Vid. de illis omnibus Andr. Maximil. Fredro *in Hist. Henrici I. ad An. 1572. pag. 6. & seqq.* Semper verò singulari Edicto Comitiolorum initur *societas*, contra turbatores pacis & factiosos Cives, qvod Edictum à Polonis

nis dicitur *Confœderatio*, lingvâ verò vernaculâ *Kaptur* i.e. *velum capitis.* Ratio verò appellationis hujus non una traditur ab Auctoribus. Qvidam enim Confœderationem illam à lugubri capitis velo dictam esse volunt, ut indicetur Rempublicam in luctu esse. Piasec. *ad An. 1632. fol. 528.* Alii *Kaptur* eam dictam esse volunt, qvoniam hujusmodi Confœderatione veluti tegumento vel galeâ qvâdam periculoso Interregni tempore protegatur. Exempla Confœderationum talium. *Vid.* apud Jac. Prilusium *lib. I. cap. 1. art. 2.* Diar. Europ. *Continuat. XVIII. pag. 431. seqq.* Fredro *in Hist. Henrici I. pag. 152. & alibi passim.* Vigore hujus Confœderationis instituitur in singulis Palatinatibus *judicium summarium* (qvod etiam *Kaptur*, sive *Sady Kapturowe* dicitur) sub Interregni tempus tantum validum, cujus Assessores leguntur ex validiori Nobilitate, qvi summam potestatem vitæ & necis habent. Piasec. *in Chron. ad An. 1587. fol. 64.* Severiores etiam pœnæ in grassatores statuuntur, teste Piasecio l. c. Duplicari pœnas omnes in Interregnis retulit olim Joannes Zamoscius Joanni Bodino, ut Bodinus testatur *lib. VI. de Republ. cap. 5.* Tandem Nuncii Provinciales, sive, ut ipsi vocant Nuncii terrestres (*Poslowie Ziemscy*) solito more eliguntur, ad Convocationem Regni generalem mittendi. Anteqvam Senatores & Nobilitas è Comitiolis discedant, solent prius lauda sua & Confœderationes

nes referri curare ad Acta Castrensia illius Districtus, in qvo conveniunt. Qvomodo autem, & à qvo hæc Comitiola convocentur, qvis ea dirigat, qvis ibidem observetur ordo, & alia similia, tum Deo volente specialius explicabimus, qvando nobis de Polonorum Comitiis Ordinariis erit sermo.

X. Posthabita *Comitiola*, & in qvibusdam Provinciis etiam posthabitos *Conventus generales*, de qvibus superiori num. dictum est, confluunt Varsaviam ad præfinitum CONVOCATIONI diem Senatores & Eqvestris Ordinis Delegati, sive, ut vocantur, Nuncii Terrestres ex omnibus minoris majorisqve Poloniæ, ut & M. Duc. Lithvaniæ Provinciis. Ubi Varsaviam confluxere, progrediuntur omnes in templum à sacris auspicaturi sua negotia. Re sacrâ peractâ Senatus cum Legatis Provincialibus in Curiam progreditur: Senatus conclave Senatorium, suum qvoqve Delegati Provinciarum ingrediuntur. Tum Delegati sive Nuncii Terrestres *Marschalcum* sibi eligunt, sive Ordinis sui Directorem, qvi à singulis postea in Consultationibus sententias petat, notet coæqvet, Nunciorum etiam nomine ad Senatum verba faciat, & qvæ sunt alia ejus munia, qvæ in seqventibus videbimus. Circa electionem Marschalci Ordinis Eqvestris illud observandum est, qvod non ex una semper gente eligatur; sed hic ordo semper observetur, ut semel ex Minori, deindè è Majori Polonia, & tertio demum ex M. Duc. Lithvaniæ eligatur Marschalcus. (Et ob hanc causam Polonia dividitur in tres gentes.) Postulavit qvidem & Prussia per Nuncios suos in Convocatione An. 1674. d. 15. Januarii, ut ipsa qvarta gens constitueretur, & ut è Prussis qvoqve ordine recurrente semper Marschalcus crearetur, sed nihil postulatis his suis profecit, ut ex Diario Convocationis illius discimus. Neqve hoc omittendum est, qvod in Marschalco Nunciorum eligendo pluralitas votorum observetur, ut præter alios auctor est Illustris Casim Zavvacki Capitaneus Pucensis (nunc Lipinensis) *in tract. cui tit: Gloria Orbi &c. statim in princ.* Senatus verò in prima statim sessione jubet proclamare *judicia Marschalcalia*, de qvo tamen An. 1674. conqvesti sunt Nuncii Terrestres, qvod hæc proclamatio sit facta sine consensu Ordinis Eqvestris, & qvod hoc factum sit in præjudicium Capturalium judiciorum terræ Varsaviensis. Tandem tamen Marschalcis solita jurisdictio usqve ad Electionem concessa est. *Vid. Confœderatio An. 1674. fol. 21.* Cum Ordo Eqvestris in Directorem consensit, mittuntur qvidam ex singulis tribus gentibus (de qvibus paulò ante diximus) ad Senatum, qvi Marschalci Electionem jam esse peractam Senatui denuncient. His de novo Marschalco gratulatur Interrex, rogatqve ut Nuncii Terrestres cum Senatu consilia sua, adeoqve concla-

via ipsa conjungant. Hoc facto Marschalcus Eqvestris cum Nunciis terrestribus *Senatorium ingreditur*, introducente ipsum Marschalco Regni, sive in absentia hujus alio Marschalco, vel etiam alio officialium Majorum ut Cancellario, vel Thesaurario, baculum Marschalcalem tenente, & in absentia Marschalcorum vota dispensante. Hic Marschalcus Nunciorum consídens in sella inter Marschalcum Regni & Marschalcum M. Duc. Lithv. vel etiam inter alios Officiales præsentes, ad Senatum verba facit nomine Nunciorum, condolet Senatui & toti Reipubl. de orbitate, hortaturqve Senatum, ut ad Patriæ securitatem conservandam consilia conferat. Respondet ipsi nomine Senatus Interrex; in qva responsione gratias agit Ordini Eqvestri, eumqve laudat, si præter opinionem intra breve tempus Marschalcum sine turbis elegit. Deinde proponit capita futurarum Consultationum. Illa verò sunt *securitas, locus & tempus futuræ Electionis*, qvas ob causas tantum hæc Convocatio Ordinum generalis indicitur, *teste* Solikovio *pag. 181.* Absente vel morbo aliqvo laborante Primate, aut alius Interregis officio functus deliberanda proponit; aut etiam Primatis lecto affixi nomine Propositio legitur, ut factum est in Interregno post obitum Stephani Bathorei Regis. *Vid.* Solikovius *in Comment. pag. 174.* Ad securitatem verò publicam multa, pro ratione temporum, referuntur.

runtur. Antè omnia verò, conclavibus jam conjunctis, Confœderationes Comitiorum particularium pro securitate Reipubl. factæ approbantur; imò præter has etiam promulgatur alia *Confœderatio generalis* omnium Ordinum contra eos, qvi tumultum cient, vel alio modo qvietem vel securitatem publicam turbant. In hâc Confœderatione publicis typis impressa severissimæ constituuntur delinqventibus pœnæ, ut ex Actis singularum Electionum probari potest. *Legati* etiam mittuntur ad vicinos Principes ad renovanda fœdera. *Literæ* exterorum Principum in pleno consessu apertæ, qvæ ad Senatum scriptæ sunt, præleguntur publicè à Secretario majore vel etiam à Referendario Regni (*Vid. Diar. Elect. Michaëlis & Joannis III. Regum*) qvæ autem ad Ordinem Eqvestrem sunt exaratæ, leguntur à Marschalco Ordinis Eqvestris. *Legati* insuper exterorum Principum audiuntur; ita tamen, ut Vasallorum Nuncii (sic in Polonia beneficiariorum Principum Oratores appellantur. Thuan. *lib. LXXXVIII. fol. 151. col. 1.*) non in pleno consessu, sed seorsim in Senatu, & deinde coram Ordine Eqvestri in Conclavi Nunciorum Terrestrium audiantur. Fredro *in Henr.* I. *pag. 212. seq.* Piasec. *ad An. 1632. fol. 541.* *Legatis* exterorum Principum imperatur, ut qvi antè obitum Regis responsa accepissent, intra octavum diem abscedant; cæteri, qvi ad Electionem futuri Regis studia Principum con-

ferunt, intra Poloniam manere jubentur, discre- tim tamen & remotus ab Electionis loco, ne fa- ctiosos qvosqve convenire, vel ab aliis conve- niri possint, singulis dantur aliqvando è Nobili- tate custodes, tum locus manendi in diversis urbibus. *Vid.* Fredro *l. c.* Sæpius etiam magno animorum motu tractatur materia de Residen- tibus extraneorum Principum removendis, ut ex *Diariis* singularum Electionum videre est. Tractatur insuper materia de stipendiis militum, de commissionibus variis, de Exorbitantiis, ali- isqve Primati qvoqve ex tribus gentibus qvi- dam adjunguntur, ex qvorum consilio ille ne- gotia Reipubl. tractet, de qvo jam supra Num. VIII. dictum est. Destinantur etiam ad Exer- cituum Duces ab Interrege ex Senatorio, & à Marschalco Nunciorum ex Eqvestri Ordine, qvi Consilia bellica maturè peragant. Desi- gnantur item nonnulli ad Revisionem Bono- rum Mensæ Regiæ, qvi de Statu redituum sub tempus electionis Rempubl. informent. De- signantur tandem ad octo illos Senatores, sub qvorum sigillis & clavibus ex lege thesaurus as- servatur (hi sunt Castellanus Cracoviensis, ut & Cracoviensis, Posnaniensis, Wilnensis, Sendo- miriensis, Kalissiensis, Trocensis Palatini cum Thesaurario Regni) alii qvamplurimi ex utro- qve Ordine, ad revidendum thesaurum, tam ubi insignia, qvam ubi Archiva Regni deposita sunt, ut juxta Inventarium conscribant Registrum in

in Comitiis Coronationis producendum, ut hæc omnia discimus ex Confœderationibus *An. 1669. & An. 1674. Conf.* Nicol. Chvval- kovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. pag. 27. seq.* Qvoniam verò thesauros nisi præsentibus omnibus illis octo Senatoribus recludi non po- test, absens igitur senticâ de causa, clavem suam mittere cogitur. Defuncti verò sigillum & claustrum per reliqvos aperitur. *Vid.* Joan. Ja- nuszov. *in lib. Privileg. & Interregn. Polon. fol. 112.* Expeditis illis, qvæ ad securitatem publicam faciunt procurandam, qvibus tamen non rarò multæ privatorum lites admiscentur, constituitur certum tempus Comitiorum Ele- ctionis futuræ. His negotiis expediundis rarò sufficit *tempus* Convocationi destinatum, qvod ordinariè est *duarum hebdomadarum*, ideò fre- qvente invocatio solet prorogari. In Interre- gno post spontaneam Joannis Casimiri Regis abdicationem anteqvam Ordines è Convoca- tione generali discessissent, præstiterunt omnes *jusjurandum*, sanctissimè promittentes, sese in fu- tura Electione privatum commodum non qvæ- situros. Primo loco jusjurandum hoc præsti- terunt Episcopi stantes, præeunte Interrege; hos secuti sunt Senatores Seculares qvini & qvini, deinde Officiales Regni & M. Duc. Lithv. & tandem Nuncii Terrestres secundum ordi- nem Palatinatuum in genua procumbentes. *Vid.* Diar. Europ. *Continuat. XIX. p. 157.* An- teqvam

teqvam autem ex hâc Convocatione discedamus, neqve illud prætermittendum esse videtur, qvod in nupero Interregno observatum esse legimus. Qvamprimum enim fieri potuit, Interrex cum Senatoribus, & Marschalcus Ordinis Eqvestris cum Nunciis Terrestribus iverunt ad Reginam viduam, ei dolorem suum super obitu Regis contestaturi. Regina consederat in solio sub uranisco; sed accedentibus illis assurrexit, orationesqve ipsorum audivit. Primus nomine Senatus verba fecit Primas Regni, qvem Marschalcus Ord. Eqvestr. subsecutus est. Utriqve nomine Reginæ respondit Reginæ Cancellarius. *Vid. Diarium Convocationis illius An. 1674. d. 22. Januar.*

XI. Post Convocationem hanc habentur iterum in singulis Palatinatibus & Districtibus Comitiola, in qvibus Nuncii terrestres Nobilitati referunt, qvæ in Convocatione ordinum generali sint acta: indicant etiam diem futuræ destinatum Electioni. Hinc Nobilitas solito more consultat de illis, qvæ in futuris Comitiis Electionis proponi debeat. Tandem Nuncii ad eadem Comitia mittendi denominantur.

XII. Jam accedimus ad COMITIA ELECTIONIS, qvibus habendis, ut aliis Comitiis ordinariis, sex hebdomadæ destinatæ sunt. *Locus* ubi jus mosqve Reges eligendi, olim fuit Petricovia, *teste* Matthia à Michovia *in Chron. lib. IV. cap. LXXX.* Sed post conjunctionem Regni

Regni Poloniæ cum M. Duc. Lithvaniæ factam Comitia Electionis Regiæ, ut & ipsa Electio, celebrantur propè Varsaviam & pagum Wola in patente campo, in loco à Marschalcis utriusqve gentis, (nempè Polonicæ & Lithvanicæ) fossâ designato. *Vid.* Confœderatio generalis Interregni *post obitum Sigismundi III.* Hic duo sunt communes & universales confessus; Alter Senatorum, qvi in Interregno post excessum Sigismundi Augusti fuit sub tentorio amplissimo & spectatissimo, *ut auctor est* Solikovius *pag. 7.* Nunc excitari solet pro Senatu subitanea structura, qvæ patriâ voce *Szopa* nominatur. Alter confessus est sub dio Detegatorum, ex Palatinatibus & Terris Regni & M. Duc. Lithvaniæ. Vocatur hic locus *Kolo Rycerskie* i.e. *Rota Eqvestris*. Cum itaqve Senatores ad Comitia Electionis, ut & Nuncii Terrestres confluxerunt, à sacris fit initium. Indè Senatores suam *Szopam*, Nuncii suam Rotam Eqvestrem petunt. Prima Nunciorum cura est circa electionem novi Marschalci sive Directoris Rotæ Eqvestris, qvi ex illâ trium gentium eligitur, qvam Ordo tangit, interea Conventum moderante Marschalco præteritæ Convocationis. Electus Marschalcus fidem suam in duobus proximis Interregnis coactus est obstringere Nobilitati jurejurando præstito, qvod officium fideliter esset administraturus; nulla munera esset accepturus; cum nemine competitorum con-

ventus privatos habiturus; Avthenticum etiam Electionis liberæ ſine ſcitu & conſenſu totius Reipubl. non eſſet ſubſcripturus. *Vid.* Diar. Elect. *An. 1674. d. 20. April.* Poſthæc eodem modo, ut ſupra dictum eſt, Marſchalcus Nobilitatis recens electus ex trium gentium Nunciis ſingulos nominat, qvi *Senatoribus*, vel ut vocant, *Senioribus fratribus* Electionem Marſchalci jam eſſe factam denuncient. Indè pro more Marſchalcus cum ordine Nunciorum Szopam ingreditur, Senatoresqve, dicto jam ſupra modo, ſalutat. Proximis in ſeſſionibus de *Judiciis generalibus* qvæ *Capturalia* vocantur, agitur, ad qvæ referantur cauſæ graviores, ut cauſæ proditionis Patriæ, apparatûs bellici &c. Aſſeſſores Generalis Judicii Capturalis ſunt I. Marſchalci Regni & Magni Duc. Lithvaniæ; nempè Marſchalcus Regni ſupremus; Marſchalcus M. Duc. Lithv. ſupremus; Marſchalcus Curiæ Regni; Marſchalcus Curiæ M. Duc. Lithv. II. Tres Senatores ab Interrege deſignati, ex ſingulis trium gentium unus. III. Duodecim Eqveſtris Ordinis à Marſchalco Nunciorū electi, ita ut ex ſingulis trium illarum gentium ſint qvatuor. Qvamvis in Interregnis An. 1669. & An. 1674. agitata ſit controverſia in Rota Eqveſtri de illa qvæſtione, utrum Marſchalco Nunciorum ſoli ſit concedenda poteſtas nominandi & eligendi ex Nobilitate Aſſeſſores ad Judicia Capturalia; an verò toti Nunciorum Collegio jus illud ſit vindi-

vindicandum? tandem tamen Marſchalco Nunciorum jus hoc fuit relictum, ut ſolus, more antiqvo, judices dictos eligeret; hâc nihilominus additâ cautelâ, ne ex uno Palatinatu plures, neve abſentes nominaret. *Vid.* Caſimir. Zabacki *in Tract. Gloria* &c. *pag. 3.* *Et Diar. Elect. An. 1674. d. 21. April.* His peractis eodem vel ſeqventi die conferunt ſe Nuncii Terreſtres in Szopam ad Seniores Fratres, ubi judices Capturales genibus flexis jusjurandum præſtant. Senatoribus rotam jurisjurandi prælegit unus ex Officialibus majoribus, & inter eos maximè Cancellarius, Eqvitibus verò Marſchalcus Ordinis Eqveſtris. Obligant etiam fidem ſuam de juſtè judicando Marſchalci utriuſqve gentis. *Vid.* Diar. Elect. *An. 1674. d. 23. April.* Cœperunt autem Marſchalci jusjurandum de juſtè judicando præſtare in Electione demum Uladislai IV. *ut ex Diario illius Electionis MS. liqvet.* Qvoniam verò judicia generalia Capturalia in Comitiis Electionis inſtituuntur, ceſſant judicia Capturalia particularia in ſingulis Palatinatibus & diſtrictibus antea, ut ſupra dictum eſt, inſtituta. Ceſſant autem tribus ſeptimanis antè & poſt Comitia Electionis. *Vid. Acta Electionis Uladislai IV. in Confœderatione Palatinatus Cracovienſis.* Progreſſi Nuncii cum ſuo Marſchalco in Rotam, de variis diſceptant. Præſertim verò materia *Exorbitantiarum* in omnium ore eſt. Exorbitantios autem vocant vulnera

Reipubl. inflicta, partim à Regibus ipsis, partim ab aliis Ordinibus v. g. in Interregno An. 1669. inter Exorbitantias numeratur Decretum à Joanne Casimiro Rege in Lubomirscium latum; item illa qvæ qvidem in jurejurando Regio expressa, non tamen sunt observata; Abdicatio qvoqve ipsa Regis Joannis Casimiri inter Exorbitantias censetur: Item, si qvid Principi injustè videtur esse permissum, illud Exorbitantiæ nomine designatur. *Vid. Diar. Elect. An. 1674. d. 17. Maji.* Casim. Zavvacki *in. Gloria &c. Item ipsa Acta Electionis illius.* De his Exorbitantiis non tractatur in media Rota Eqvestri, sive in pleno consessu Nunciorum Terrestrium, neqve in Senatorum conventu; sed secundum morem antiqvum qvidam Senatores ex singulis tribus gentibus ab Interrege, & alii Nobiles ex Ordine Eqvestri, habitâ itidem singularum gentium ratione, à Marschalco Nunciorum ad hoc negotium eliguntur. Hi Deputati, ut vocantur, mane in arce Varsaviensi convenientes commissum sibi negotium tractant; à meridie verò Conventus omnium Nunciorum Terrestrium habetur extra urbem in Rota Eqvestri. Fuit etiam antiqvioribus temporibus in usu, statim in initio Comitiorum horum tractare per Deputatos *de Pactis Conventis* sive *de Capitulatione* futuri Regis; sed in posterioribus duobus Interregnis Pacta Conventa post Electionem demum conscripta sunt. Et hoc factum est ex ea ratio-

ratione, qvod aliæ præscribendæ sint Leges Regi Indigenæ, aliæ Regi externo. Qvoniam itaqve antè Electionem incertum est, utrum exterus, an verò Rex incola sit regnaturus, ideò dilatum est hoc negotium, licet hoc multis nec tum placuerit, neqve nunc adhuc placet. *Vid.* Zavvacki l. c. & Diar. Elect. *An. 1674. d. 25. April.* Multa etiam, qvæ ad securitatem publicam pertinent, tractantur in his Comitiis Electionis, imò privata etiam qvandoqve intermiscentur, ut testantur Diaria.

XIII. Propius jam ad Actum Electionis accedunt Ordines, qvando exterorum Principum Legatos, varios Regni Candidatos Ordinibus commendantes, audiunt. Hoc verò qvomodo fiat jam videbimus. Legatos exterorum Principum Polonorum Leges non Varsaviæ, sive in loco Electionis, sed alibi in urbibus sibi assignatis degere jubent, idqve propterea, ne variis machinationibus & corruptionibus liberæ vim faciant Electioni. Qvando itaqve ad Ordines illi admittendi sunt, nominantur ab Interrege qvidam ex Senatu, ut & à Marschalco Nunciorum ex Nobilitate trium gentium, qvi cum Marschalco Regni & Marschalco Nunciorum Legatum introducant in Rotam Eqvestrem. Huc enim Senatus pro more sese confert, qvando Legati sunt audiendi. *Vid.* Zavvacki *l. c. antè med.* Habetur autem in audiendis Legatis ratio Principum, qvorum sunt Legati; ita

ita ut uni plus alteri minus honoris exhibeatur, tum in numero ipsum concomitantium & in Rotam Eqvestrem introducentium, tum in ordine admittendi, tum etiam in loco Legatis assignando. Qvando Legato Pontificis Romani legatio audienda est, eliguntur à Primate ex Senatu aliqvot Episcopi, ut & alii ex Senatoribus Secularibus; & à Marschalco Nunciorum sive à Directore Rotæ Eqvestris qvidam ex Nobilitate, habitâ semper trium gentium ratione, qvi cum Marschalco Regni & Marschalco Nunciorum sive Rotæ Eqvestris Directore Legatum accersant, & in Rotam Eqvestrem introducant. Huic Rotam Eqvestrem ingredienti Interrex è curuli suo surgens, ad duos passus obviam progreditur, locumqve inter se & alium proximum sibi Episcopum concedit. *Vid.* Zavvacki *l. c.* & Diarium Elect. *Ann. 1674. d. 5. Maji.* Deindè seqventi, vel alio etiam die, prout commodum est, eâdem ratione ab Interrege qvidam ex Senatoribus, sed tantum secularibus; & à Marschalco Nunciorum qvidam ex Nobilitate nominantur, ad introducendum cum Marschalcis Legatum Imperatoris Germanici. Locus verò ei non inter Episcopos, sed in ipso Rotæ Eqvestris aditu inter Marschalcum Regni & Marschalcum Ordinis Eqvestris assignatur. Post hos admittuntur aliorum Regum & Principum Legati, si fieri potest, vel uno die. Post obitum Augusti certamen ortum est inter Oratores Galliæ & Hispaniæ Regum de ingressu in Rotam Eqvestrem. Verum Ordines Polonici Legatos Gallicos primò jussere ingredi. Qvo decreto motus Hispani Regis Orator, ne posteriori loco dixisse videretur, maluit non auditus in Hispaniam reverti. Fredro *in Hist. Henr. p. 49.* Sic in Interregno post obitum Stephani, cum Legati Regis Sveciæ ultimo inter Regios Legatos loco admissi essent, protestatione prius de perverso more in admittendis Legatis interpositâ suam causam proposuerunt. Thuan. *lib. LXXXVIII. fol. 150. col. 2.* Et in Interregno An. 1669. cum Legatus Svecicus vocaretur ad Ordines, *literis ad Reverendiss. Regni Pro-Cancellarium datis scripsit, sese nulli in Orbe Principum loco in expediendâ Legatione cessurum fuisse; qvod verò ad præsens intermitteret, nondum se omnia reqvisita à suo Clementissimo Rege habere* dixit, ut auctor est Casim. Zavvacki *l. c. lit. C. pag. 1.* Regum Legati, licet & ipsi sint Episcopi, non tamen inter Episcopos ut Pontificis Legatis locum obtinent: sed inter Marschalcos, qvi ipsos in Rotam deduxerunt. Principum fiduciariorum Nuncii aut ultimo ferè loco; aut ut domestici primo admittuntur. Non verò audiuntur in pleno Senatus & Ordinis Eqvestris consessu, sed seorsim coram Senatu, & deindè coram Ordine Eqvestri, ut de Interregno post excessum Augusti factum esse, testatur Fredro *pag. 212. seq.* Qvamvis hæc jam non adeò strictè obser-

observentur. In Interregno enim An. 1669. in Rota Eqvestri Legationem suam expedivit Legatus Ducis Curlandiæ, præsente Senatu & Ordine Eqvestri; post ipsum etiam plures Legati, ut Tartarici & Lotharingici, auditi sunt. Hoc tantum discriminis inter hanc aliasqve Legationes intercessit, qvod Legato Ducis Curlandiæ locus non sit concessus inter Marschalcos, sed à dextro latere, qvi erat locus Palatinatuum Prussiæ, *teste* Casim. Zavvacki *l. c. lit. C. pag. 1. col. 2.* Qvibus ritibus autem Legationes suas expediant exterorum Principum Legati, paucis jam indicabimus. Legatus à Marschalco Regni & Marschalco Eqvestri aliisqve in Rotam introductus, postqvam Rempubl. debito modo salutavit, considet in loco sibi, ut supra diximus, assignato. Post hæc Credentiales, ut vocant, literas per Referendarium Regni tradit Reipubl. si convenientes in iis tituli tribuuntur Reipublicæ. Aliàs An. 1669. Legatus Cæsaris monitus est ab Archiepiscopo Gnesnensi, ne literas Reipubl. traderet, ob defectum tituli convenientis ingratas futuras. Reqvirunt autem Poloni titulum *Serenissimæ Reipubl.* sive *Serenissimorum Ordinum*, qvoniam vacante sede Regia jus majestaticum penes Ordinem Senatorium & Eqvestrem remanet. Hinc in nuperrimo Interregno An. 1674. Literæ Regis Galliæ placebant Ordinibus, qvæ hanc præferebant epigraphen: *Illustrissimis, Reverendissimis, Magnificis Dominis*

Dominis Casimiro Floriano Duci in KlevanCzartoryski Dei &c. Primati & Primo Principi, cæterisqve Principibus, Senatoribus Serenissimæ Reipubl. Polonæ, Amicis, Fœderatis plurimum honorandis, gratissimè nobis dilectis. In ipso contextu semper scriptum fuit *Excellentiis Vestris, Excellentias Vestras.* non verò ut Imperator scripserat *Vos, Vobis.* Eundem titulum cum Galliæ Rege dedit ipsis Dux Lotharingiæ in Credentialibus, qvorum subscriptio fuit: *Excellentissimarum, Reverendissimarum Dominationum Vestrarum ad obseqvia paratissimus Amicus & Servitor Carolus Dux.* Plerumqve autem Legati peculiares ad Ordinem Eqvestrem habent literas. Illas legit Referendarius Regni, vel etiam Secretarius major; has verò Marschalcus Ordinis Eqvestris. Perlectis literis orationem suam habet ad Ordines Legatus, commendatqve ipsis aliqvem Candidatorum, ad qvam Orationem ipsi primò ab Interrege nomine Senatus, & deindè à Marschalco Ordinis Eqvestris nomine Nobilitatis respondetur. His peractis Legatus singulos salutat, sicqve eodem cum comitatu, eademqve cum pompâ dimittitur. His ita peractis Legatus qvilibet à Loco Electionis excedere, & eventum Electionis expectare secundum leges cogitur in designato sibi extra Varsaviam loco. Extant hac de re Constitutiones qvamplurimæ uti allegantur in Comitiis Varsaviensibus An. 1668. Has Con-

Constitutiones licet multi magna animi contentione urgeant, sæpè tamen nihil proficiunt, multis huic rei reclamantibus. Hinc etiam fit, ut non raró Legati Varsaviæ maneant. Post hæc eliguntur ab Interrege, aliqvot Senatores; & à Marschalco Ordinis Eqvestris, aliqvot Nuncii Terrestres, ad singulos Legatos, qvi privatim specialiora cum ipsis Legatis tractent, promissa ipsorum Candidatorum nomine facta notent, commoda ex ipsis, si ad Regiam dignitatem evehantur, in Rempubl. redundatura trutinent. Hi Delegati deindè revertentes ad Rotam, de tractatibus suis cum exterorum Principum Legatis fratres suos certiores faciunt: ubi rursus in pleno Senatus Nunciorumqve Terrestrium consessu singulorum Legatorum promissa sub trutinam veniunt, commada & incommoda ex singulorum electione expenduntur. Noscere enim oportet, undè major publici boni utilitas alluceat. *Vid.* Zavvacki *l. c. &* Diarium Electionis *An. 1674. d. 12. 17. 19. Maji.* De hac designatione sive Electione Senatorum Nunciorumqve intelligenda sunt illa Solikovii verba: *Cuiqve Candidatorum ex Senatu Advocati cum Collegis pluribus dari, qvi pro suis Candidatis uberrimè differunt.* in Comment. *de Reb. gest. post excessum Augusti pag. 7.*

XIV. His omnibus excussis ipsa Electionis dies appropinqvat. Anteqvam verò ritus in Electione Regis observari solitos enumeremus, pauca

pauca nobis diecenda sunt in antecessum de CANDIDATIS Regni & de ELECTORIBUS. Qvod primo loco ad Candidatos attinet, de illis personatus ille Franciscus Marinius asseruit, *Piastum legibus Regni à Regno excludi*, idqve profert ex fide Bodini, hominis Galli, *lib. de scopo Reipubl. Polon. cap. 4.* Hausit eundem errorem ex Marinio Chr. Funccius *in Breviario Orbis hodiè Imperantis pag. 726. seq. & pag. 732. seq.* Sed nullæ unqvam leges in Polonia positæ sunt de excludendo Incola Rege. Testantur hæc, ut cætera prætercam, tot in Interregnis majoribus Regni Candidati è Nobilitate Polonica. Post obitum Sigismundi Augusti competitores erant Ernestus Archidux Austriæ, Henricus Dux Andegavensium, Rex Sveciæ, Dux Moscorum. Pleriqve tum volebant ex incolis Regem eligi, ut habet Fredro *à pag. 42. ad 72.* Hinc Joann. Demetrius Solikovius dicit *innumeram tunc fuisse Candidatorum segetem.* in Comment. *pag. 5.* Ab excessu Henrici I. Candidati Regni fuerunt Maximilianus Imperator German. Stephanus Bathor de Somlio Transylvaniæ Princeps. Alphonsus II. Dux Ferrariæ, & ex Incolis Joannes Kostka Palatinus Sentomiriensis & Stanislaus Comes de Gorka Palatinus Posnaniensis, Fredro *pag. 128. seq.* Post fata Stephani Regis Competitores fuerunt Maximilianus Archidux Austriæ; Sigismundus Joannis Regis Sveciæ filius; Alexander Dux Parmæ & Pla-

 cen-

centiæ, teste Honorio *in Dissertat. de novo in Polon. eligendo Rege pag. 425.* Ex incolis tunc fuere Candidati: *Constantinus Dux de Ostrog* Palatinus Kioviensis & filius ipsius natu major *Joannes* Dux de Ostrog Palatinus Volhiniæ. *Simon* & *Alexander Duces in Slucko* fratres. *Radivilii Duces* in Olyka; *Albert. Laski* Palatin. Siradiæ. *Zagurski* Palatin. Posnan.; *Tencinius* Palatin. Cracoviensis. *Firley* Castellanus Biecensis. *Andreas Zborowski* Marschalcus Regni. *Joannes Zamoyski* Cancellarius Regni & Exercituum Dux generalis. *Vid.* Auctor Libelli Polnische Kriegs- und Staats Sachen *pag. 261.* In Interregno post abdicationem voluntariam Joannis Casimiri Regis, qvinam fuerint Regni Candidati. *Vide Censuram Candidatorum tunc ab A.O. editam. & Diar. Europ. Continuat. XIX. pag. 254. seqq.* Habuit etiam illo tempore pro se aliqvot vota Illustrissimus atqve Celsissimus Princeps Dn. Dn. BOGUSLAUS RADZIWIL Dux Birsarum, Dubinkorum, Sluciæ & Kopiliæ &c. &c. Electus verò tunc est Rex incola Serenissimus MICHAEL KORIBUTHUS DUX IN WISNIOWIEC. Hoc defuncto summis qvidam viribus allaborarunt Lithvani, ut lege publicâ à Regno excluderetur *Piastus* i. e. Rex incola; nihil tamen obtinere potuerunt. Ratio Lithvanorum fuit, qvod acerbum sit sibi æqvalem subitò ad hoc fastigium evectum Dominum suum appellare, ex qvo turbæ & bella intestina oriri solent. Ne verò contraria pars objiceret, rem hanc esse novam, allegarunt locum cujusdam Historici Polonici, qvi de Interregno qvodam dicit: *Exclusis Piastis dictæ sunt pro externis sententiæ.* Rationes vero in contrarium afferebantur, ne lex de excludendo Piasto conderetur, seqventes: I. Dedecus hoc summum esset apud exteras gentes, non esse internos idoneum ad sceptra subjectum. II. Exteri sibi jus aliqvod in Regnum Poloniæ prætenderent. III. Coarctatio hæc esset liberæ vocis in Electione. IV. Injuria hac ratione inferretur Serenissimo Michaëli Regi, cujus causa lex hæc lata esse diceretur. V. In Convocatione Regni generali, qvosdam qvidem in exclusionem Piasti consensisse, non fuisse tamen hunc consensum omnium. VI. Scripturam sacram dicere: *Non eliges, nisi Indigenam.* VII. Dicerent exteri, Polonicam gentem ad servitutem natam parere scire, regere nescire. *Vid. Diarium Electionis ad d. 23. April.* Rationes qvas in Interregno post Joannem Casimirum A. O. protulit pro Rege Incola eligendo, sunt seqventes. I. Deus ipse Judæis mandavit: *Non poteris alterius gentis hominem facere Regem, qvi non sit frater tuus.* Deut. XVII. 15. II. Bruta qvoqve à Dispare non reguntur. III. Indicium est nimis abjectorum ingeniorũ, non admittere è gente sua, qvi Regere posset. IV. In Germania incola eligitur Imperator, in aliis Regnis idem observatur. V. Piastus morum Poloni-

 corum

corum maximè gnarus eſt. VI. Ejusdem certior fides eſt. VII. Exteri ab Officiis Regni excluduntur, qvidni etiam à Regno. *Vid.* Cenſura Candidatorum. Conf. *&* Piaſec. *pag. 59.* Hæ rationes qvoqve tunc obtinuerunt, adeò ut non tantum nulla lex de Piaſto excludendo ſit lata, ſed ut etiam duo ſeſe ſubſeqventes Reges ex incolis ſint electi. Tandem de Candidatis notandum eſt, qvod in loco Electionis non poſſint adeſſe. Hinc in Elect. Henrici I. cum multi vellent Piaſtum i. e. Regem ex ſuo Ordine, Joannes Zamoſcius, æternum illud Poloniæ decus, petiit à conſeſſu utriusqve Ordinis, ut cives qvi regnum ambirent, abſcenderent à loco Electionis, ne gratia major, aut offenſa in præſentia panis, ne gratia major, aut offenſa in præſentia parum libertate ſententiarum. Cum verò peraretur libertate ſententiarum. Cum verò petitorem purpuræ nemo ſe palam ob verecundiam, aut invidiæ metum, auderet profiteri, omnis de incola Rege deliberatio conqvievit. Fredro *in Hiſt. Henr. pag. 81.* Et cum poſtea An. 1632. Uladislaus Princeps Candidatus Regni paulò poſt inchoata Comitia veniſſet Varſaviam, ægrè id tulerunt Ordines, hinc lex lata eſt, ne ullus Principum Candidatorum Regiorum præſens adeſſet in Electionis loco. Vid. *Conſtit. An. 1633. fol. 11. Conf.* Piaſec. *in Chron. fol. 533.* Poſthæc Joannes Caſimirus in Reverſalibus poſt Abdicationem datis promiſit, ſe remotius ab Actu & Loco Electionis, durante eâdem, manſurum. *Vid. ipſum Diploma Reverſale An. 1668. Ordinibus datum in fin.* Lex tamen illa, qvod in eligendis Incolis locum non habeat, teſtantur exempla Sereniſſimi Regis Michaëlis & Sereniſſimi Joannis III. qvi medios inter Electores verſabantur, cum eorum ſuffragiis ad Regalem eveherentur dignitatem.

XV. ELECTORES Regum ſunt primò *Senatores* Eccleſiaſtici & Seculares. (olim tamen qvidam ex his excipiebantur, ut paulò poſt apparebit.) Deindè *tota Nobilitas Polonica.* Ordo enim Eqveſtris in ipſo Electionis actu non tam per Nuncios ſuos Terreſtres, qvam per ſe rem agit, ideò qvicunqve Nobilitatis jure gaudet, habet votum ſuum in Electione Regis. *Conferre enim ad ſecuritatem Imperantium putant Poloni, & obtemperantium conſtantiam, Regem per omnes eligi. Bonos namqve maloſve elegerint, non aliis, ſed ſibi imputaturi, & ſine murmure qvemqve laturi. Qvare illi multitudini nec curia nec conclave ſufficit capiendæ, undè militariter ſub dio eligere mos eſt.* Fredro *in Hiſt. Hen. I.* Viſerunt qvidem nonnulli in Interregno An. 1674. ne novis Nobilibus votum concederetur in Electione Regis, ſed nihil hac de re decretum eſt. *Vid. Diarium Electionis d. 23. April.* Admittuntur etiam *Cracovienſium* & *Vilnenſium* Nuncii & Delegati, *teſte* Aarone Alexandro Olizarovio *lib. II. de Polit. hom. ſociet. c. 1.* Pruſſicæ qvoqve Civitates majores ut Thorunium, Elbinga & Gedanum qvod jus hoc antiqvitus

qvitus habeant, patet ex Privilegio Sigismundi I. Regis An. 1530. concesso, ubi ad Electionem Regis ejusdemqve Coronationem advocari & admitti jubet *Status & Ordines Terrarum Prussiæ secundum antiqvam consvetudinem & contenta Privilegiorum*. Jam verò inter Ordines & Status Prussiæ superiores sunt dictæ tres civitates. *Vid. Jura Municipalia Prussiæ.* Non obstat ergò, qvod Piasecius testatur, An. 1632. Gedanensibus hoc jus demum concessum esse. *Vid.* Piasec. *in Chron. fol. 541.* In Interregno An. 1669. Pactis Conventis subscribunt post Senatum & Nobilitatem, Nuncii Cracoviensis, Vilnensis, Leopoliensis, Posnaniensis & Varsaviensis urbium. Inter suffragia qvoqve Serenissimo Regi Michaëli data, reperiuntur nomina Nunciorum ex Cracoviensi & Posnaniensi urbibus missorum. In Interregno An. 1674. Articulis Pactorum Conventorum subscribunt Nuncii Cracovienses, Vilnenses, Leopolienses, Posnanienses. Sed præter hos Electores sunt etiam alii, qvi sibi in Comitiis Electionis jus suffragii non raro vindicarunt. DUCES PRUSSIÆ cum essent fiduciarii Regni Polonici freqventer hoc sibi jus asserebant, idqve ex ea ratione, qvoniam Alberto Marchioni Brandeburgico, cum ex Magistro Ordinis Teutonici in Prussia factus esset Dux Prussiæ, primus in Senatu Regni Poloniæ, ut Consiliario concessus est locus An. 1525. In singulis itaque Electionibus Regum

Regum jus suffragii sibi dari postularunt, responsum tamen ipsis est semper, fieri hoc non posse ob certas rationes. Præcipuè verò notatu digna sunt, qvæ Sigismundus I. super hac re rescripsit: *Comperit Majestas Regia, adeò diligenter cautum & observatum esse omni tempore, ne qvis alius excellentioris Ordinis præter Consiliarios Regni jus eligendi haberet, ut etiam & Duces Masoviæ, qvi Principes erant Indigenæ Regii & vetustissimi generis, ut deniqve & filii Regii Domini Naturales hujus Regni post obitum Patris, neqve locum neqve vocem eligendi Regis habere potuerint. Sed & Magistri Prussiæ, qvi omagia Regibus & Regno Poloniæ præstabant, non solum ut Principes, sed etiam ut Consiliarii Regni, qvi pari modo in Senatu loca habebant, hoc ipsum jus Electionis obtinere non potuerunt. Proindè cum Illustris Dominus Dux Prussiæ ut Prudens Princeps satis intelligat, nihil esse pernitiosius in omni Republica, qvam aliqvid adversus Leges & Instituta vetera, perpetua serie & usu approbata committere, neqve aliundè graviores casus & perturbationes oriri, boni consulere dignetur ejus Illustritas, qvod Majestas Regia & universi Consiliarii Regni, qvi ejus Illustritati integerrimo animo afficiuntur, non possunt eam rem ut insolitam & Institutis Regni adversam concedere.* Habentur hæc apud Joann. Januszov. *lib. VII. Constit. R. Pol. part III. tit. 2. fol. 930.* Hæc etiam post ea tempora in Interregnis singulis

 gulis

gulis regerebantur à Republ. Polonica Ducibus Prussiæ. Idem verò & de DUCIBUS CURLANDIÆ Regni Polonici fiduciariis intelligendum est. *Vid.* Andr. Maximilian. Fredro *in Hist. Henr. I. pag. 212.* Paul. Piasec. *in Chron. fol. 529.* Theatr. Europ. *ad An. 1632. fol. 580.* Porrò Milites etiam ad Electionem Uladislai IV. è castris Nuncios suos miserunt ad danda suffragia; sed non est hoc ipsis concessum, dum stipendia Reipubl. mererentur. Si verò Electioni voluerint adesse, jussi sunt, ut singuli venirent ex suis Palatinatibus, id tum cum cæteris Nobilibus impetraturi. Piasec. *ad Ann. 1632. fol. 530.* Hinc etiam in Electione Joannis Casimiri prohibentur Duces Exercituum, ne militem ad locum Electionis ducant. *Vid. Acta Elect. illius fol. 11. seq. & fol. 16.* Et cum in Electione Michëlis Regis Nobilitas sub signis militaribus in campo Electorali comparuisset, vimqve liberæ voci fecisset, coacti sunt Ordines in Interregno An. 1674. lege hoc cavere, ne liceret militibus Electioni sese immiscere; qvæ qvidem lex ut antiqvaretur, anteqvam invalesceret, laborarunt milites, irrito tamen conatu. *Vid. Diar. Electionis An. 1674. d. 28. April.* Non verò mirum est milites ex Nobilitate lectos hos sibi jus asseruisse, cum etiam COSACI in Electione Uladislai Regis jus suffragii sibi dari postularint; sed plane sunt repulsi, ut gens ex ultima plebe collecta. Piasec. *l. c.* Jus itaqve Ele-

ctionis

ctionis in Polonia habent singuli Nobiles, & qvidem ita, ut, vel minimo Nobili dissentiente, cæterorum omnium & Senatorum & Nobilium vota pro Electione hujus vel illius Regis lata (vix credibile dictu) de jure sint nulla. *teste* Fredron. *in Hist. Henr. I. pag. 80.* Improbat hunc morem omnes Nobiles ad Electionem Regiam admittendi ob varias turbas Ociessius Regni Poloniæ Cancellarius *apud* Christ. Varsevicium *lib. I. de opt. Statu Libertatis p. 46. seqq.* Qvodsi enim in aliis Regnis inter paucos Electores sæpè reperiantur diversæ sententiæ, diversa studia, varii motus, sæpius etiam non exigui tumultus; qvid sentiendum sit de tot millibus Electorum in Polonia, qvivis facilè animadvertit.

XVI. Postqvam dies Electionis illuxit, omnes Senatores, Eqvitesqve in loco Electionis in genua procumbunt, & Archiepiscopo, vel absente eo, Episcopo Cujaviensi, præcinente hymnum decantant: VENI CREATOR SPIRITUS &c. Eo finito totus consessus dividitur in suos Palatinatus, singulis tam Senatoribus qvam Nobilibus ad proprios Palatinatus secedentibus, & peculiares Rotas constituentibus. Solus Archiepiscopus Gnesnensis non se movet loco, eò qvod ipsi competat in conclusione demum omnium suffragiorum explicare suam sententiam & nominare Regem. Ordines hoc modo divisi suffragia sua enunciant, primo Senatore cujusqve Palatinatus rogante. Colle-

ctis

ctis in Palatinatibus ſententiarum calculis, qvarum avtographa manibus Senatorum & Nobilium cujusqve Palatinatus ſubſcripta Marſchalco Ordinis Eqveſtris conſignantur, omnes in communem conſeſſum ſive in Rotam Eqveſtrem redeunt, ut ſingula Palatinatuum ſuffragia in commune conferant. Poſt hæc Senatores in ſuo Conſeſſu enunciant ſuffragia pro Electione Regis. Piaſec. *in Chron. fol. 542. ſeq.* Fredro *pag. 80.* Si plurima vota ſunt pro uno Candidato, tum invigilant ingenio dexterrimi, ut partim ſvaſu, partim precibus, tum omni meliori modo univerſam Nobilitatem, cujus tum vota conferuntur, ad ſententiæ unitatem pelliceant. Concordantibus tandem omnium ſententiis, renunciatio Regis aut fit ſtatim, aut etiam in ſeqventem aliumve diem differtur. Tum confluentibus iterum Electoribus Interrex ter, pro more, adſtantes interrogat: *num velint jubeant N. Regem renunciari.* Acclamantibus cunctis, *placet, vivat.* Tum Primas Regni eum Regem gravi oratione renunciat. Videlicet præfatur primo qvædam, aut de gravitate negotii, ſuâqve tenuitate, aut etiam de aliqva aliâ materia, tandem renunciat Regem tali ferè formula: *In nomine Domini nomino Regem Poloniæ & Magnum Ducem Lithvaniæ N. N. precorqve cœleſtem Regem, ut hunc, qvem à ſeculis Regem genti iſti prævidit, gratiâ ſuâ in tanto munere ſuſtinendo adjuvet, hancqve Electionem iſti Reipubl. fauſtam fortunatamqve, & cumprimis Religioni Catholicæ ſalutarem eſſe velit.* Tandem converſus ad Marſchalcos, hortatur eosdem, ut nominationem hanc eſſe factam ex officio publicent, qvi confeſtim aſſurgentes in loco ſeſſionis ſuæ Regem electum proclamant, cujus rei formula hæc ferè eſt: *Rex N. N. electus concordibus ſententiis, & ab Interrege renunciatus eſt, hunc igitur, pro Rege verò legitimèqve electo ac nominato habeatis omnes.* Publicatâ per Marſchalcos Nominatione Regis electi, totus populus in genua procumbens, in patenti campo, præcinente rurſus Interrege, decantat hymnum TE DEUM LAUDAMUS. Tum clangor tubarum per campos reſonat, machinæ bellicæ ſive tormenta diſploduntur, & omnia per campos gratulationum & lætitiæ publicæ ſigna eduntur, tum etiam in templo S. Joannis Varſaviæ hymnus, *Te Deum laudamus*, decantatur; & ſi Rex electus ipſe præſens eſt, eodem ad laudes Deo decantandas ab Interrege deducitur. Tum rurſus populus edendis lætitiæ ſignis vacat, tormentorum bombardarumqve tonitruis undiqvaqve reſonantibus. *Vid.* de his Paul. Piaſec. *ad An. 1632. fol. 542. ſeqq.* Caſim. Zavvacki *in Gloria Orbi Sarmatico conſenſu monſtrata.* Diarium Elect. *An. 1674.* Hæc ita fieri ſolent, cum unanimi conſenſu Rex eligitur: Sed non rarò, ſtudiis in diverſas partes diſtractis, turbantur hæc omnia. Et ut cætera prætcream, aliqvando duo Reges, neqvic-

qvicqvam reclamantibus aliis, eliguntur. Sic poſt abitum Henrici Regis in Galliam, alii Maximilianum Imp. alii Stephanum Bathori Tranſylvaniæ Principem elegerunt. Et Stephano Rege poſtmodum è vivis ſublato, alii Maximilianum Archi-Ducem Auſtriæ ad Regnum capeſſendum evocarunt, alii purpuram ad Sigismundum III. Sigismundi Auguſti è Sorore Catharina (qvæ Joanni Sveciæ Principi, poſtea Regi, nupſerat) nepotem detulerunt. Qvantæ etiam turbæ qvantiqve tumultus in Electione Regis Michaëlis fuerint, teſtari poteſt Caſim. Zavvacki *loc. cit.*

XVII. Seqventi die Senatores cum Nunciis Terreſtribus, aut in Rota Eqveſtri extra Varſaviam, aut in arce Varſavienſi conveniunt, ubi *Decretum Electionis* componitur, ſubſcribiturqve à ſenatu & à Deputatis Palatinatuum, cum longum ſit, tot millium Electorum nomina adnomina adnotare. Fredro *pag. 82.* Præter hoc tamen omnium Electorum ſuffragia collecta typis mandantur, ut teſtes ſunt Indices in ultimis Electionibus typis expreſſi. Poſthæc Ordines de *Pactis Conventis* ſunt ſoliciti, ut factum eſt in duabus ultimis Electionibus. Aliàs vetuſto more Pacta conventa ſolebant ante Electionem conſcribi, qvod etiam, ut in dictis illis Interregnis fieret, urgebant multi, ſed fruſtra. Ad pacta verò Conventa conſcribenda deſignantur plures ex ſingulis tribus gentibus, qvæ deinde in

in pleno Senatus Nunciorumqve conſeſſu à Marſchalco Ordinis Eqveſtris leguntur, & ab omnibus examinantur. Poſthæc, ſi Rex electus abſens eſt, accerſuntur ejus Legati, ut conditiones Electo Regi propoſitas jurejurando confirment, Decretumqve Electionis recipiant. Qvo facto Marſchalci iterum Regem proclamant dicentes: *Polonos jam juſtum habere Regem.* Hinc Rex ſolenni Legatione ad Reipubl. gubernacula capeſſenda invitatur. Anteqvam verò Rex electus loco ſe moveat, prius in Principatu, vel Regno ſuo ſacramento ſe Polonis obſtringit, qvod velit jura & Privilegia Regni conſervare. *Vid.* Fredro *in Hiſt. Henr. pag. 84.* Sigismundo III. è Svecia venienti obviam miſſi ſunt Gedanum Legati, qvi in monaſterio Olivenſi jurejurando Regem obligarent, Decretumqve Electionis ipſi traderent. Paul. Piaſec. *in Chron. ad An. 1587. fol. 76.* Si verò Rex ipſe præſens eſt, inviſit poſt Electionem ſuam Nobilitatem in campo Electorali, eidemqve pro Electione gratias agit. *Vid.* Diar. Europ. *Contin. XIX.* Caſim. Zavvacki *loc. cit. circa fin. Conf.* Acta Electionis Vladislai IV. *fol. 20.* Ordines interea cætera Reipubl. negotia, & inter hæc etiam de die Coronationis, tractant. Finitis his omnibus Marſchalcus Ordinis Eqveſtris rotam jurisjurandi Electo Regi exhibendam, ſuper qvam poſtero die jurare debet, præſentat. Qvoniam autem finis jam adeſt Conſiliorum, Sci-

Scipione poſito valedicit Ordinibus,gratias pro collato ſibi honore agens,ultimumqve ſuffragium,ne qvid Electioni deſit,addit,nominatqve N.N. electum Regem Poloniæ, votum addens, ut vivat,regnet perennet. Huic continuò pro ingenti labore & exanthlatis pro Rep. curis pari officiorum teſtificatione tum Senatus, tum Eqveſtris Ordo reſpondet. Seqventi die Rex in templum S. Joannis deducitur,ubi Archiepiſc. Gneſnenſis miſſam celebrat, qvâ finitâ Marſchalcus Ordinis Eqveſtris oratione habitâ Decretum Electionis Regi tradit, ſigillis Senatorum Nunciorumqve Terreſtrium munitum. Tunc flexo genu Rex, Archiepiſcopo Gneſnenſi Evangelium, ſuper qvo Rex jurejurando Pacta Conventa firmaturus eſt, tenente,& rotam juramenti Regii exhibente, de more ſacramentum dicit, confirmatqve eo ipſo Pacta Conventa. Rota ſive formula jurisjurandi hæc eſt: *Ego N. Electus Poloniæ Rex & Magnus Dux Lithvaniæ, Ruſſiæ; Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ,Smolenſciæ,Kioviæ, Volhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Czernichoviæqve ſpondeo & ſanctè juro Deo omnipotenti ad hæc ſancta Jeſu Chriſti Evangelia,qvod Pacta Conventa per Ordines Regni mihi data, in omnibus eorum articulis, Punctis,clauſulis,Conditionibus; ita ut nec ſpecialitas generalitati, nec generalitas ſpecialitati, derogetſervabo, manu tenebo & adimplebo; atqve ea omnia iterato etiam in ſolemni Coronatione juramento confirmabo,ſic me Deus adjuvet,& hæc ſancta Jeſu Chriſti Evangelia.* Præſtito hoc jurejurando Archiepiſcopus Regi gratulatur nomine Senatus; Marſchalcus verò Ordinis Eqveſtris nomine Nobilitatis; qvibus nomine Regis aliqvis reſpondet, gratias agens pro Diplomate Electionis. Tandem Marſchalci & Regni & Lithvaniæ ter,pro more,publicant Electionem Regis ritè peractam. Et hic eſt finis totius Actus Electionis. Hauſimus hæc ex ſupra laudatis Auctoribus, in qvibus tamen obſervare licet, aliqvando pro ratione temporum qvædam immutari.

XVIII. Licet verò jam ſit Rex electus, nondum tamen pleno jure Regio utitur, ſed Interregnum durat, usqve ad coronationem. Non utitur igitur niſi *Electi Regis* titulo. Literæ etiam ejusdem ad exteros Principes non niſi ſigillo cameræ muniuntur. Regi tamen, qvi noſtro vivit tempore, & feliciter Reipublicæ præeſt,Sereniſſ. Joanni III. conceſſum erat antè Coronationem ſigillum Magni Ducatûs Lithvaniæ,idqve ad ipſam tantum expeditionem Moſcoviticam. *Vid.* Denunciatio *Electionis Sereniſſ. Joannis III.* Collatio qvoqve Magiſtratuum Regi electo non conceditur tempore Interregni; promittere tamen poteſt alicui ſummos etiam Magiſtratus poſtea conferendos. Niſi qvod in nupero Interregno conceſſum fuerit Regi, ut nominationem Archiepiſcopi Gneſnen-

nensis, qvoniam Reipublicæ, ut habeat Interregem & Primatem, interest, subsignaret sigillo cameræ. Concessum qvoqve ipsi, pro hac sola vice, generalem expeditionem Nobilitati indicere, qvò eò felicius hosti resisti posset. Aliàs Regalia hæc usqve ad Coronationem manent penes Rempublicam. Eapropter etiam Marschalci Regi nondum coronato baculos non sublevatos sed demissos præferunt ex more antiqvo. *Vid.* Piasec. *ad An.1632.fin.* Licet verò Interrex fermè jure Regio gaudeat tempore Interregni; Dignitates tamen Regni, ut & officia sive Magistratus, ne cum consensu qvidem Senatus, distribuere potest. Sic post obitum Stephani Regis Senatus non contulit Episcopatum Luceoriensem Bernhardo Maciejovio, sed à Rege electo Sigismundo III. conferri id petiit, Electionis pactis intercessione hujusmodi interpositâ. Post obitum verò Sigismundi III. cum jam antea Rex filio suo Episcopatum Cracoviensem vacantem assentientibus ordinibus contulisset, & inopinatâ morte præventus non subscripsisset literas ad Cathedrale Collegium Cracoviense & ad summum Pontificem Romanum in similibus negotiis necessarias; qvæsitum fuit, num vacante sede Regia Senatus id supplere, talesqve literas dare possit, ac post multas ratiocinationes stetit concors sententia, qvod possit. *Vid.* P. Piasec. *fol. 530. seq.*

XIX. Ne igitur tempore Interregni Reipubl. navis

navis tanqvam in medio oceano sine navarcho fluctuet, accelerant Ordines, qvantum possunt, Regis Electi CORONATIONEM. Indicunt qvippe primo qvoqve tempore Comitia Coronationis peculiari Edicto sub sigillo terrestri illius loci, unde mittitur Edictum. In ejusmodi Edicto Electio Regis omnibus notificatur; Coronationi dies præfigitur; conventus Provinciales sive Comitiola ad Eligendos Nuncios Terrestres haberi jubentur; omnes etiam Vexilliferi ex singulis Palatinatibus & districtibus Regis defuncti funeri adesse jubentur. *Vid.* Acta Electionis Regum *in Denunciationibus Regum Electorum.* Coronationi autem adsunt Nuncii terrestres sive Provinciarum Delegati, non tantum ad pompam augendam, sed etiam ne qvis error in Coronatione committatur. Fredro *in Hist. Henr. pag. 106.* Qvamvis & propter Comitia statim post Coronationem habenda ibidem adsint. Rex qvoqve ipse Electionem suam Ordinibus notam facit, ut & aliis qvorum interest. Sic Michaël Rex Electionem suam per literas significavit etiam Joanni Casimiro, qvi se Regno exuerat. *Vid.* Diar. Europ. *Continuat. XIX. pag. 560.* Mandata qvoqve ad Comitia Coronationis sub titulo Regis Electi, sigillo terrestri impresso, extraduntur. *Vid.* Acta Electionis *Vladislai IV. Joannis Casimiri, & Michaëlis in Denunciatione Regis Electi.* Sed in Denunciatione Ordinum de moderno Rege

O Sere-

Sereniss. Joanne III. electo, conceditur ad hoc sigillum Camerale. Confluunt itaqve ad præstitutam diem Senatores & Nuncii Terrestres Cracoviam. Rex etiam ipse solenni cum pompa introducitur in urbem; varias ibi audit salutationes; In prima Civitatis porta claves civitatis à Magistratu urbis recipit. In arce Cracoviensi à Capitaneo Cracoviensi itidem claves castri sive arcis ipsi traduntur, ornatâ oratione laudibus Regis in clavium traditione memoratis. Posthæc templum S. Stanislai in Rupella, vulgo *Skalka* dictum, Rex invisit. *Nam qvod Boleslaus Audax Poloniæ Rex eo in templo per scelus patrarat, illud novos Reges devotâ prece expiare mos tenet.* Fredro *in Hist. Henr. pag. 107.* Indè pedes ad aliam Ædem ejusdem Sancti in Arce Regia sitam se confert, ibiqve ad sepulcrum illius Sancti sacram Evcharistiam sumit. Piasec. *ad An. 1633. fol. 547.* Porro antè coronationem novi Regis mos est in Polonia Regum defunctorum *exeqvias* celebrare, ut coronandi semper sint mortalitatis memores. *Vid.* Solikov. *pag. 21.* Piasec. *loc. citat. fol. 525.* qvâ de re jam supra à nobis actum est. Ritus præcipuos in Actu solenni Regiæ Sepulturæ paucis complexus est Fredro, qvando scribit: *Infulati Episcopale munus circa feretrum obeunt. Præcedunt Provinciarum Legati sive Nuncii Terrestres, item Eqvestres signiferi, vexilla Provinciarum & stemmata præferentes, tum portatur corona, sceptrum, pomum aureum, gladius, Regum decora omnia ad humum versa. Ad sepulcrum verò officiales sua frangunt insignia, Marschalci baculos suos, Cancellarii sigilla & Armigeri hastas.* Hæc Fredro *in Hist. Henr. pag. 104. seq.* Addit Piasecius Reges de Republ. benè meritos è publico efferri, cæterorum funeribus ex peculio cujusqve proprio sumptus provideri. *in Chron. ad An. 1588. fol. 83.* Ante Coronationem Serenissimi Joannis III. duorum Regum exeqviæ celebratæ sunt, nimirum Joannis Casimiri (cujus urnam auctoritate Regis, qvi hodiè vivit, Reverendissimus Dominus Archiepiscopus Gnesnensis & Reverendiss. Dn. Episcopus Cracoviensis per Illustrem Dn. Opacki Succamerarium Varsaviensem adduci è Gallia curarunt) & Michaëlis Koributhi. De qvibus Inscriptio qvædam sepulcralis in fine sic habet: *Reges æternùm lugendi, nisi meliori locum fecissent.*

XX. Anteqvam ritus Coronationis explicemus, notandum est in singulis ferè Regnis certum esse *locum*, ubi Reges coronantur, & *Personas*, à qvibus Coronatio peragi solet; eo forsan fine, ut alibi & alio modo à conjuratis salutato Principi aliqvid desit eorum, qvæ ad legitimi Principis inaugurationem ex instituto & Lege necessariò reqviruntur. *Vid.* M. Zuer. Boxhornius *lit. II. Instit. Polit. cap. III. §. 12. pag. 92.* Ita etiam in Polonia qvondam Reges coronabantur *Gnesnæ*, ubi etiam insignia Regni antehac asser-

aſſervari ſolebant, qvæ demum in Coronatione Vladislai Locticі An. 1320. *Cracoviam* translata ſunt, *teſte* Neugebaur. *lib.III. Hiſt. Polon. p.185.* Incidit poſtea Controverſia tempore Ludovici Regis, utrum Coronatio more majorum deberet Gnesnæ fieri. Sed Ludovicus proximorum Regum Vladislai Avi & Caſimiri Avunculi ſecutus exemplum Cracoviæ coronam accepit. Cromer. *lib. XIII. fol. 614.* Neugebaur. *lib. IV. pag. 213.* Jam itaqve corona Regni Poloniæ asſervatur Cracoviæ in theſauro Regni per Theſaurarium Regni ſupremum; claves verò ſervantur etiam per ſupra nominatos Senatores. *Vid. num. XII.* Qvamvis autem ordinariè Coronatio fiat Cracoviæ, aliqvando tamen, aut ob factiones, aut etiam alias ob cauſas coronatio alibi locorum peragitur. Sic Vladislaus III. Jagellonides Poſnaniæ coronatus eſt. *teſte* Cromero *lib. XXII. fol. 699. ſeq.* Vladislaus IV. etiam, cum Cæciliam Renatam connubio ſibi junxiſſet, allatis, præter morem gentis, Varſaviam Regni inſignibus, eam ibidem coronari voluit, non ſine qverela Ordinum Regni, qvod alibi qvam Cracoviæ Regina coronaretur, *teſte* Piaſecio *in Chron. ad An. 1637. fol. 592.* ſed de his poſtea. Coronat verò Reges Poloniæ *Archiepiſcopus Gnesnenſis*, qvi eſt Interrex. Voluit qvidem Zbigneus Oleſnicius Epiſcopus Cracovienſis hoc privilegium ſibi ut Cardinalis vendicare, ſed repulſam paſſus eſt, ut apparet ex Privilegio Caſimiri III. Jagellonidis Archiepiſcopo Gnesnenſi dato. Hôc verò nolente vel legaliter impedito, jus coronandi competit Epiſcopo Cujavienſi, ut ſupra dictum eſt. Hæc ita ordinariè fiunt. Sed Electoribus in diverſa euntibus & alius Epiſcopus de facto Coronationem peragit. Sic Stephanum Bathoveum Regem, nolente Archiepiſcopo, coronavit Kamkovius Epiſcopus Cracovienſis, apud Solikovium *in Comment. rer. Polon. pag. 65.* Aſſiſtentes Regis i.e. perſonæ Regi in Coronatione miniſtrantes, ſive Regem ad coronationem deducentes ſunt, Epiſcopus Cracovienſis & Cujavienſis, ut habet Gvagvinus loco infra citando. Cujavienſi tamen Epiſcopo hâc de re controverſiam movit ſuperiori Seculo Poſnanienſis Epiſcopus. *Vid.* Neugeb. *lib. VII. Hiſt. Polon. in pr.* Hoc verò intelligendum eſt de deductione Regis ad Coronationem in templo ipſo, ubi Coronatio peragitur. Ad templum verò Regem deducere ſolent Pontificis Romani, & Imperatoris vel aliorum Regum Legati, ut ex ſeqventibus apparebit.

XXI. Ipſum Coronationis modum Alexander Gvagvinus, Coronationem Henrici I. Regis deſcribens, nobis exhibet, qvi talis eſt: *Ipſo Coronationis die congregantur Archiepiſcopus & Suffraganei, item Abbates infulati, ad minus ex Diœceſi Cracovienſi, omnes amicti ſtolis, mitris, infulis, ſuperciliis, &c. Senatores qvoqve omnes & eqve-*

& eqvestris Ordo congregantur. Indè processione ordinatâ per Magistrum ceremoniarum cum thuribulo & aqva benedicta in palatium eunt, scholâ cum Sacerdotibus & Abbatibus ad scalas Palatii remanentibus. Soli Episcopi cum Archiepiscopo palatium ascendunt ad deducendum Principem in Ecclesiam Cathedralem, qvi antea induitur per supremum Regni Marschallum, vel per Magistrum ceremoniarum sandaliis, tunica, chirothecis, alba dalmatica & pallio, qvem sic ornatum, & inter Barones primoresq; Regni stantem Archiepiscopus aqvâ benedictâ aspergit, orationem certam dicens. Hinc in Ecclesiam per Cracoviensem & Cujaviensem Episcopos deducitur, præferentibus Castellano Cracoviensi coronam, Palatino Cracoviensi sceptrum, Vilnensi item Palatino pomum aureum, & alio gladium evaginatum. Episcopi cum Archiepiscopo cruce præcedente, Abbates Infulati, & cæteri Principes suo ordine qvilibet succedunt, similiter exterorum Principum Legati. Regalia supra dicta à Senatoribus, qvi ea portant, accepta in altare deponuntur. Rex in solio sistitur, ante qvem Episcopus aliqvis certam orationem pronunciat. Finitâ oratione admonet diligenter Regem de fide, de pietate in Deum, & de aliis virtutibus Regiis. Dicta oratione interrogat illum Episcopus: VIS FIDEM SANCTAM A CATHOLICIS VIRIS TRADITAM TENERE, OPERIBUS JUSTIS SERVIRE? ℟. VOLO. VIS ECCLESIIS ECCLESIARUMQVE MINISTRIS TUTOR AC DEFENSOR ESSE? ℟. VOLO. VIS REGNUM A DEO TIBI COMMISSUM SECUNDUM JUSTITIAM PATRUM TENERE, REGERE ET DEFENDERE? ℟. VOLO. *Finita interrogatione Rex coram Archiepiscopo genu flexus, capite adaperto jurat. Sub finem juramenti utramqve manum ponit supra Evangelia dicens:* SIC ME DEUS ADJUVET, ET HÆC SANCTA EVANGELIA. *Post hæc dicit Archiepiscopus collectam, & aliam Orationem. Indè genua flectit Archiepiscopus, & Rex in faciem provolvitur. Ibi multa cantantur choro respondente, orationes etiam aliæ dicuntur. Postea Archiepiscopus sedet: Rex verò in genua ante eum provolutus Dalmaticâ & piviali exuitur. Archiepiscopus autem intincto pollice dextro in oleo sacro ungit illi dextram à palma ad cubitum, & inter scapulas, & in brachio dextro dicens:* UNGO TE IN REGEM ET OLEO SANCTIFICATO IN NOMINE PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI. AMEN. *Indè precationes qvasdam dicit: His peractis Episcopus aliqvis, cotum manu gestans inuncta loca detergit certa verba pronuncians, & demum Regem induit piviali & Dalmaticâ, iterum verba qvædam dicens. His absolutis Archiepiscopus manus abluit, & depositâ infulâ dicit Confessionem. Rex verò deductus in solium orat, & post Alleluja*

in missa Orationes pro Rege aliqvis Episcoporum dicit. Postea Regi genu flexo Archiepiscopus gladium porrigit, eiqve gladium accingit; Diadema imponit; Pomum, typum mundi referens, in sinistram & sceptrum in dextram ei dat, ad singula certa verba pronuncians. Inter offertorium Rex panem & vinum in altare offert, Panemqve, ut dicitur, exosculatur, & sacrosanctum corpus divinum accipit. Post hæc gladius ei discingitur. Absoluto sacro in thronum medio templo ordinatum deducitur, ubi ab Archiepiscopo inthronizatur & gubernaculis Regni præficitur, Archiepiscopo dicente: SEDE ET RETINE A MODO LOCUM TIBI A DEO DELEGATUM. &c. *Tandem Archiepiscopus exorditur:* TE DEUM LAUDAMUS. &c. *qvo absoluto stans à dextris dicit:* FIRMETUR MANUS TUA ET EXALTETUR DEXTRA TUA. ℟. *Chor.* JUSTITIA ET JUDICIUM PRÆPARATIO SALUTIS TUÆ. *Indè precationes qvasdam dicit. Tunc Rex accepto in manus sacro gladio, aliqvos tum Nobiles tum Consulares viros, habitâ ceremoniæ dignitate, ad eqvestris Ordinis dignitatem præcinctos provehit. His peractis Rex solenni pompâ in Palatium deducitur.* His ferè verbis describit Alexander Gvagvinus Coronationem Henrici Regis. *Tom. II. in Corp. Hist. Polon. fol. 373.*

XXII. Coronationem Serenissimi Regis Michaëlis licet & nos alibi ex Novellis publicis recensuerimus, placet tamen eandem ex Nicolao Chvvalkovvski recensere. Sic verò ille: *Ritus Coronationis defuncti Serenissimi Regis Michaëlis I. hic erat. Postqvam inter Castrensem & Civicam lætitiam, tormentorum & bombardarum explosiones, urbem Cracoviam (in cujus foro duo arcus Triumphales variis statuis & inscriptionibus ac mixtâ svavissima musicalium instrumentorum harmoniâ venientem excipiebant) solennissimè ingressus erat, & altero die rupellam Casimirianam visitaverat, Festo Michaëli Archangelo dicato, splendidè indutus, à Senatu & Eqvestri Ordine ad Basilicam Cracoviensem solenni Processione deducebatur. Insignia h. e. corona, Sceptrum, Pomum aureum, & gladius evaginatus (qvæ aliàs Senatores atqve Ensiferum Regni, qvibus hoc officii est, prætulisse legimus) per Illustrem Dn. Szmoling Præfectum stabuli Regni, ac Magnificum Dominum Wolff Capitaneum Felinensem ante ingressum Regis ad altare apportata, Reverendissimo Domino Archiepiscopo Prazmowski tradebantur, qvi eadem in Altare deponebat. Coronandus ab Episcopo Cracoviensi & Cujaviensi* (postqvam usqve ad templum à Legatis Pontificis Romani & Imperatoris esset deductus) *exceptus* (in templo) *& ad Archiepiscopum, cui Reverentiam faciebat, deductus, locum inter dictos Episcopos medium capiebat. Postqvam summus Præsul cum Collegis suis ex Pontificali Romano Regem ad pietatem & ad benè tractanda*

ctanda Reipublicæ gubernacula monuisset, idem genua flexus manum Archiepiscopi osculabatur, votumqve ex formula prælecta faciebat. Porrò de servandis & manutenendis Pactis Conventis (qvæ prius legebantur) juramentum tacto digitis Evangelio, præstabat, & à principio usqve ad finem Litaniæ (impertiente interim Archiepiscopo cum Collegis benedictionem) prostratus humi ad rubrum holosericum jacebat. Tandem Serenissimus Rex pallio & veste exutus ab Archiepiscopo oleo sacro in manu dextra ad cubitum & in scapulis inunctus iterumqve indutus, & posthac in sacello, ubi Zadzik Episcopus Cracoviensis & Cancellarius olim Regni resurrectionem expectat, per Marschalcos Regni & Magni Duc. Lithvaniæ sandaliis, tunicâ, chirothecis, qvæ auro, argento, gemmis lapidibusqve preciosissimis fulgebant, vestitus, à Senatoribus & Officialibus (inter qvos Illustris Dominus Sieniawski, Vexillifer Regni, uti antehac circa ingressum, vexillum Regni Aqvila ex auro argentoqve texta atqve insignibus Regiis splendidissimũ præferebat) ad thronum medio templo ordinatum ducebatur, ubi supplex faciem advertens Altari Missam audiebat. Postea iterum ad altare adducto Archiepiscopus Gladium ad dextram inserebat, eumqve ab Illustri Domino Bielenski Ensifero Regni ad vaginam recon̄ditum lateri Regio accingebat. Cinctus assurgendo denudatum gladium bis in crucem vibrabat, atqve illum cum ad sinistram detersisset brachium,

chium, vaginæ intrudebat. Deinde Archiepiscopus genua flexo diadema imponebat, qvod reliqvi Episcopi unâ prensum manu eousq; tenebant, donec Coronator preces absolveret, qvi porrò dextram Regis sceptro, sinistram aureo pomo implebat. Assurgenti gladius solvebatur, atqve Domino Ensifero Regni ad præferendum tradebatur. Tandem Serenissimus in medio Archiepiscopi & Præsulis Cracoviensis ad Theatrum illud supra dictum ducebatur, atqve ita (sit venia verbo) inthronisabatur. His peractis, Archiepiscopus se iterum ad Altare recipiebat, atqve TE DEUM LAUDAMUS exordiebatur. A qvo post hymnum finitum, recedens, ad altare considebat. Qvo etiam Serenissimus Rex veniebat, ibidemqve Archiepiscopo supplex factus, aurum offerendo, manum deosculabatur. Confessione dein Archiepiscopo factâ, Sacrosanctum Christi corpus accepit. Solennitatibus istis absolutis, Archiepiscopus omnibus benedictionem impertiebat, & Illustrissimus Dominus Branicki Marschalcus Curiæ Regni clarâ voce exclamabat: VIVAT REX MICHAEL, qvam populus magno cum fœnore reddebat. Postremò ab Illustrissimo Domino de Raciborsko Morsztyn supremo Regni Poloniæ Thesaurario de throno Regio nummi missiles in populum erogabantur atqve ita Coronationis Actui coronis imposita est. Hæc Chvvalkovvski *lib. 1. Jur. Publ. Polon. cap. 3. num. 29.* Conf. & Diar. Europ. *Continuat. XX. pag. 75. seqq.* Coronatione

tione hunc in modum peractâ, reliqvum diei convivando aliisqve festivitatibus consumitur. Inter alia etiam promiscuo vulgo in Regio Palatio tres integri ferarum & altilium vario genere farti & assati boves, cum aliqvot cerevisiæ doliis in prædam cedunt. *Vid.* Chvvalkovvski *l. c. num. 30. pag. 46.*

XXIII. Die seqvente Senatoribus insignia Regni præferentibus, in forum Civitatis Rex eqvo vehitur. In ipsa processione Thesaurarius Regni missilia sive numos aureos atqve argenteos in populum spargit. Deductus Rex in Curiam Civitatis Regio induitur ornatu. Inde pedes ad editum solium magnificè hunc in finem exstructum contendit. Sedentem Senatus paulo inferior Ordine circumsidet. Hic Magistratus urbis subjectionem testaturus in argenteâ patinâ claves portarum omnium deauratas Regi tradit & oratione submisse Regem veneratur. Respondet nomine Regis Cancellarius, gratiam Regis Magistratui declarando. Posthæc idem Cancellarius Magistratui Urbis Rotam jurisjurandi prælegit, qvod omnes Consules, in genua procumbentes, erectis cælum versus digitis, præstant, Regiqve munus aliqvod offerunt, sicqve claves suas recipiunt. Posthæc Rex sceptro & pomo aureo Dd. Senatoribus tradito, nudum ensem à gladifero Regni acceptum versus qvatuor mundi partes vibrat, rursumqve confidens ejus contactu sive leni ictu inter

inter scapulas cujusqve, Eqvites aliqvot auratos creat. Recedente Rege in arcem Thesaurarius Regni rursus in plebem spargit nummos. Serenissimus Michaël Rex aliqvot diebus post coronationem etiam solenni cum pompa aureum vellus accepit, qvod factum est hoc modo: Legatus Imperatoris tanqvam Dispensatoris Hispaniarum Regis in Conclavi Regio, Regi coram icuncula Crucifixi Salvatoris genua flexo & Regio verbo promittenti, se Ordinis illius Conditiones (præmissâ de nonnullis in favorem coronatorum capitum Dispensatione) servaturum, aureum vellus contulit. Actis à Rege gratiis & celebratâ ab Episcopo Cracoviensi missâ, Legatus cum collega suo lautissimâ cœna excepti sunt. *Vid.* Nicol Chvvalkovvski *loc. cit. num. 32. pag. 48.*

XXIV. Post solennia Coronationis accingit se statim Rex ad COMITIA CORONATIONIS. Hic demum Primas Regni deponit Vicariatum suum in pleno Senatus Consessu, ubi etiam Regi jusjurandum fidelitatis & subjectionis præstatur à Senatu; deindè etiam à Civitatum Delegatis. Et tandem simulac Nuncii Terrestres Marschalcum inter se elegerunt (hactenus enim Consessum Nunciorum Terrestrium moderatur, Marschalcus, qvi fuit in præteritis Comitiis Electionis) præstatur idem à Nunciis illis nomine totius Nobilitatis Imperii Polonici. *Vid.* Diar. Europ. *Continuat. XX. pag. 78. seq.*

Tunc

Tunc demum Rex pleno Regis titulo uti incipit; Cancellarii nova sigilla à Rege coronato accipiunt; Marschalci Regi baculos (qvod fit statim post coronationem) erectos præferunt, & qvæ sunt reliqva talia. Tunc etiam Rex universis Dignitariis, Officialibus atqve Magistratibus in toto Regno & M. Duc. Lithv. annexisqve Provinciis, Coronationem suam per literas (Innotescentiam vel etiam Denunciationem vocant) indicat, monetqve ut illi Inaugurationem Regiam, libertatum ac jurium factam à Rege Confirmationem, præstitumqve vicissim Regi à Senatu, Nunciis, aliisqve jusjurandum, publicè in Civitatibus, oppidis, parochiis, & villis, diebus festis, forensibus aliisqve solennioribus per Præcones publicari, & Actis Castrensibus literas illas ingrossari curent. Iisdem literis Rex permittit, ut judicia omnia tam terrestria qvam castrensia &c. exerceantur. *Vid.* Januszov. *in lib. Interregn. fol. 128. Item* Constitutiones *in singulis Comitiis Coronationis latæ statim ab initio.* Præter hanc Denunciationem Coronationis jam peractæ, dat qvoqve Rex alias literas, juramenti à se præstiti. Et tandem aliud Diploma, qvo omnia Regni Privilegia confirmat. Hæc postea Constitutionibus ipsis inseruntur. *Vid.* Constit. *de Ann. 1633. 1649. 1670. 1676.* In ipsis Constitutionibus Coronationis confirmat etiam Rex Acta Ordinum tempore Interregni, ut ex allegatis Constitutionibus manifestum est. Qvoniam verò juramenti Regii, (qvod in Comitiis Electionis à Marschalco Ordinis Eqvestris conscribitur, & à Rege in ipso Coronationis actu præstatur) aliqvoties facta est mentio, placet illud hic adnectere: Illud verò est hujus tenoris: *Ego N. electus Rex Poloniæ, Magnus Dux Lithvaniæ* (totus titulus hic exprimitur) *per omnes Regni Ordines, utriusqve gentis tàm Poloniæ, qvàm Lithvaniæ, cæterarumqve Provinciarum Regno Poloniæ, Magnoqve Ducatui Lithvaniæ annexarum & incorporatarum communi consensu liberè electus, spondeo & sanctè juro Deo Omnipotenti ad hæc sancta JEsu Christi Evangelia, qvod omnia Jura, Libertates, Immunitates, Privilegia publica & privata Juri communi utriusqve gentis & libertatibus non contraria, Ecclesiasticas & Seculares Ecclesiis Catholicis, Romanis, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Civibus, Incolis & qvibuslibet personis, cujuscunqve Status & Conditionis existentibus per Divos Prædecessores meos Reges & qvoscunqve Principes Regni, Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ, præsertim verò Casimirum antiqvum, Ludovicum Loiz nuncupatum, Uladislaum I. Jagellonem dictum, fratremqve ejus Vitoldum Magnum Lithvaniæ Ducem*

Ducem, Uladislaum II. Jagellonis filium, Casimirum III. Jagellonidem (hic adduntur semper Reges sibi ordine succedentes) *Reges Poloniæ & Magnos Duces Lithvaniæ justè & legitimè datas & concessas, emanatas & donatas, ab omnibusqve Ordinibus tempore Interregni statutas atqve sancitas, mihi oblatas, tum pacta per Ordines Regni & Magni Ducatûs Lithvaniæ mihi tradita, manutenebo, observabo, custodiam & adimplebo in omnibus conditionibus, articulis & punctis in eisdem expressis. Pacem qvoqve & tranqvillitatem inter Dissidentes de Religione Christiana tuebor, manutenebo, nec ullo modo vel jurisdictione Nostra, vel Officiorum Nostrorum, & statuum qvorumvis authoritate qvenqvam afficiam ac opprimam, ac ea qvæ in Electione Nostra Varsaviensi constituta sunt, & qvæ in Conventione Coronationis Nostræ constituentur, manutenebo, iisqve satisfaciam, omnia illicitè à Regno Magnoqve Ducatu Lithvaniæ & Dominiis eorundem qvocunqve modo alienata, vel bello vel qvovis alio modo distracta ad proprietatem ejusdem Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ aggregabo, terminosqve Regni*

Regni & Magni Duc. Lithvaniæ non minuam, sed defendam & dilatabo. Justitiam omnibus Incolis Regni juxta jura publica in omnibus Dominiis constituam absq; omnibus dilationibus & prorogationibus administrabo, qvovis etiam sangvinis nostri respectu nullo habito, in dispensatione qvoqve distributivæ Justitiæ non me alligabo ad affectum & propensionem naturalem sangvinis, sed solam ipsam meritorum rationem præ oculis & corde habebo, in disponendis occurrentibus officiis & Beneficiis Reipubl. Et si (qvod absit) in aliqvibus juramentum meum violavero, nullam mihi Incolæ Regni omniumqve Dominiorum uniuscujusqve Gentis obedientiam præstare debebunt, imò ipso facto eos ab omni fide, obedientia Regi debita liberos facio, absolutionemqve nullam ab hoc meo Juramento à qvoqvam petam, nec ultro oblatam suscipiam. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Christi Evangelia. Ea qvæ hic de respectu proprii sangvinis in justitia administranda, & præsertim in distribuendis officiis & beneficiis habentur, illa addita sunt tantum in Serenissimi Regis Joannis III. jurejurando.

XXV. Qvod ad Coronationem Reginæ attinet, notandum est, illam non coronari, nisi sit Romano-Catholicæ Religioni addicta. Qvapropter Helenæ Alexandri Regis Poloniæ conjugi diadema non est impositum, qvod Græcæ Religioni, ut Joannes Magni Moscorum Ducis filia, esset addicta, nec Romanæ Ecclesiæ instituta vellet amplecti. Qvod verò non ita pridem spargebatur, in Regno Poloniæ Reginam non coronari, si sit adhuc superstes prioris alicujus Regis Poloniæ conjux coronata, illud vanum est. Nam Uladislai Jagellonis conjux Sophia coronata Regina mortua est An. 1461. cùm jam antea Casimirus III. Jagellonides Elisabetham Austriacam duxisset, & An. 1454. eandem coronari jussisset. Alia jam exempla prætereo. Locus ubi Reginæ coronantur, est itidem hodie Cracovia. Extraordinarium verò illud est, & contra mores Regni, qvod Uladislaus IV. conjugem suam Cæciliam Renatam, allatis Varsaviam insignibus coronari jusserit, non sine Ordinum querela. *Vid.* P. Piasec. *ad An. 1637. fol. 592.* Ne itaqve imposterum hoc fieret, Constitutio lata est *An. 1638. fol. 28.* ne Reginæ alibi qvam Cracoviæ coronentur. Hæc tamen Constitutio iterum non ita pridem relaxata est, cum An. 1670. omnium Ordinum consensu Eleonoræ Mariæ ex Austriaca domo oriundæ, Varsaviæ solenniter in templo S. Jo-

annis

annis Archiepiscopus Gnesnensis coronam imposuit. *Vid.* Constitut. *An. 1670. fol. 13.* ubi cavetur, ne hoc in seqvelam trahatur. Coronatur verò Regina præsente, deducente & postulante pro ea Rege. *Deducit etiam eam coronatam Rex ad forum ipse qvoqve coronatus magnâ cum Pompâ. Sed non juratur in verba Reginæ, nec ei defertur ulla potestas aut jurisdictio.* ait Cromerus *lib. II. Descript. Polon. pag. 127. seq.* Gvagvin. *l. c. Conf.* Crom. *lib. XXII. Hist. Polon. in pr.* & Neugeb. *lib. VI. pag. 322.* In aulam Reginæ sumptus suppeditat Rex, sed Rege mortuo, de suo ac de reditibus eorum bonorum, qvæ Rex ipsi consensu Ordinum dotis & donationis nomine propter nuptias, attribuit, se cum aula sua sustentat, donec extra Regnum ad alia transeat vota, vel etiam ipsa moriatur. Si verò inscriptorum sibi Bonorum non sit facta compos, tunc Viduæ in Bonis Regalibus Provisio annua assecuratur exemplo Serenissimæ Ludovicæ Mariæ per Confœderationem An. 1674. promissa, & denuò per Pacta Conventa assecurata sunt, non computando in eam summam donum nuptiale annum ex salis fodinis Cracoviensibus, scilicet duo millia ungaricalium, qvæ eidem juxta Constitutionem Anni 1670. (ubi jus reformatorium habetur) competunt. Nicol. Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. 4. num. ult. p. 52. seq.*

CAP. II.
De
Pactis Conventis; ubi de Juribus Majestatis, & potestate Regum Poloniæ.

I.

Concedunt Scriptores Polonici, primis temporibus, Ducum Poloniæ absolutam fuisse potestatem; *Fuit initio,* ait Cromerus, *liberior Dominatus Principis Poloniæ, & nullis propemodum legibus adstrictus, infinitam non modò omnium rerum, sed etiam vitæ necisqve omnium potestatem habens. lib. II. Descript. Polon. pag. 124.* Et ante Cromerum Joannes Dlugossus primum Poloniæ Ducem Lechum appellat *vitæ necisqve Dominum.* Tom. I. lib. I. *Hist. Polon. fol. 63.* Deinde verò cum Principes Poloniæ Christianam Religionem introduxissent, temperari cœpit illa potestas. Tribuit hoc Cromerus primò piis Episcoporum monitis. Et sanè primos Poloniæ Reges Episcopis sacroqve Ordini magnas concessisse prærogativas passim legimus, eo qvod ab illis sacris imbuerentur,

rentur, & salutaribus monitis ad futuram cœlestem vitam instituerentur. Hi postea dubio procul multa Privilegia reliqvis Christianis impetrarunt. Imò ipsi Principes aliorum Christianorum Principum exemplo permoti, ut Imperium suum amore stabilirent, multas incolis concedebant libertates, sicuti egregium hujus rei exemplum habemus in Uladislao Jagellone, & patruele ipsius Alexandro Vitolda, qvi Lithvanos ad Religionem Christianam adductos iisdem donarunt Privilegiis, qvibus gaudebant Poloni. *Vid.* Albert. Wijuk Kojalovvicz *part. II. Hist. Lithvan. lib. II. pag. 91. seq.* Tribuit hoc Cromerus secundò bellatricis Nobilitatis meritis. Et tandem tertiò forsan etiam contentionibus, qvod de illis præcipuè temporibus intelligi debet, qvibus Regnum hoc erat in plures partes distractum. Possumus nos causam ejus rei qvartam addere, ex natura Regnorum Electivorum petitam. Postqvam enim decedente stirpe Piasteâ Reges Poloniæ eligi cœperunt, ut exteri Principes ad Regnum, qvod ambibant admitterentur, qvidvis Nobilitati concedebant. Exemplo nobis esse potest Ludovicus Hungariæ Rex, qvi ut vivente adhuc Casimiro M. successor Regni Poloniæ designaretur, tanta Privilegia Nobilitati concessit, ut etiam ab hoc Ludovico & Prædecessore ejus Casimiro M. initium ferè

 liber-

libertatis ſuæ deducant Poloni, ut videre licet ex jurejurando Regio, qvod ſuperiore capite *num XXIV.* dedimus. Idem, qvod de Ludovico diximus, aſſerendum etiam eſt de Uladislao Jagellone & Regibus ſeqventibus. *Vid.* Cromer. *lib. XIX. de Ortu & Reb. geſt. Polon. fol. 680.* Qvamvis verò Reges illi magna Reipubl. Privilegia conceſſerint, non leguntur tamen ſpecialia Pacta Conventa interceſſiſſe inter Rempubl. & Regem eligendum, ſed ſufficiebat poſt Electionem Privilegia Regni confirmare, illaqve pro ratione temporum deinde augere. Poſt exceſſum demum Auguſti, cum exteri Principes eſſent ad Regnum promovendi, cœperunt Ordines Regni eligendo Regi certa Pacta præſcribere, in qvæ electus Rex juraret, qvæ deinde in Electione Stephani, Sigismundi III. aliorumqve Regum aucta ſunt. Has conditiones Poloni vocant PACTA CONVENTA, ut Germani ſuas Leges fundamentales, in qvas jurant Imperatores, vocant CAPITULATIONEM CÆSAREAM.

II. In Pactis illis Conventis determinatur Rex, qvomodo ſe velit gerere primo circa jura Majeſtatis v. g. circa Bella, Fœdera, judicia, collationem Magiſtratuum, Legationes, monetam cudendam, & qvæ ſunt alia jura Majeſtatis. Qvamvis de qvibusdam etiam, de qvibus jam aliàs ſatis legibus & Conſvetudine cautum eſt, nulla fiat mentio, ut de Legibus ferendis aliisqve. Deindè determinantur etiam qvædam, qvæ qvidem ad jura Majeſtatis non pertinent; ad ſalutem tamen publicam promovendam maximè neceſſaria eſſe videntur. v. g. de Conjugio Principis, de Bonis Regiis augendis vel minuendis, & qvæ ſunt reliqva talia. Tandem qvoniam Sereniſſimorum Regum Michaëlis I. & Joannis III. Pacta Conventa ſcripta ſunt poſt Electionem & Renunciationem Regum dictorum, idcirco addita etiam ſunt qvædam, qvæ in ſpecie hos & non alios Reges tangunt. v. g. qvod conſangvinei Regis in linea collaterali non debeant extolli ſupra æqvalitatem Nobilitatis Polonicæ, ſed qvod eodem jure cum reliqva Nobilitate debeant cenſeri; item qvod debeant hanc vel illam Provinciam in ſpecie ab hoſtibus recuperare, & ſi qvæ ſunt alia.

III. Sed placet in ſpecie ſingula Majeſtatis jura, aliaqve præcipua in Pactis Conventis exprimi ſolita percurrere, ut cognoſcamus qvænam ſit Regum Poloniæ poteſtas. Non obſervabimus autem ſtrictè Ordinem, qvi in Pactis Conventis ſive in Capitulatione illa reperitur, ſed qvem *num.* II. jam delineavimus. Anteqvam autem ad ipſa jura Majeſtatis accedamus, præponemus articulum, qvi etiam in Pactis illis primo ſemper loco poni-

ponitur, DE LIBERA REGUM POLONIÆ ELECTIONE. In illo autem articulo promittit Rex; *se nolle Regem Poloniæ eligere, aut electionem indicere, aut qvenqvam alium modum tentare instruendi, aut designandi Regis, sive Successoris vitæ suæ tempore.* Item promittunt etiam Reges, se nolle uti titulo HÆREDIS *Regni Poloniæ.* Cur autem hæc Pactis Conventis inserantur, jam ex superioribus manifestum est. *Vid. lib. I. cap. 2. n. 10. & lib. II. cap. 1. num. 2.*

IV. Qvod ad JUS SACRORUM attinet, illud Principes Religioni Romano-Catholicæ addicti Pontifici Romano ferè totum cessere, qvamvis qvosdam actus ejusdem juris sibi reservarint etiam Reges Poloniæ, ut ex infra dicendis (præsertim ex num. X.) apparebit. Nunc de Religione Polonorum qvædam dicenda sunt, ut cognoscamus ex qvibus causis articuli qvidam de Religione in Pactis Conventis positi sint. Post Servatoris nostri Nativitatem Sec. X. introduxit Miecislaus sive Mieszko I. Poloniæ Princeps Piasti abnepos, religionem Christianam, secundum RITUS ROMANOS in Poloniam, qvæ etiam ibidem viget ad hæc usqve tempora. *Lithvania* & Samogitia dederunt Christo nomen sub Vladislao Jagellone Rege Poloniæ & Alexandro Vitoldo Magno Duce Lithvaniæ, & acceperunt Episcopos itidem Religioni ROMANO-CATHOLICÆ addictos. Sed *Russia* Septentrionalis pariter atqve Meridionalis ab illo tempore, qvo fuerant Regno Poloniæ conjunctæ, ut & qvædam Lithvaniæ loca Russiæ propinqviora, qvæqve Lithvaniæ Duces Russico Imperio detraxerant, RITUS GRÆCORUM maximam partem retinuerunt, licet postea Reges Poloniæ in qvibusdam Russiæ Provinciis, simul ac eas imperio suo subjecerunt, etiam Episcopatus Romano-Catholicos instituerint, ut ex cap. III. patebit. Contigerunt tamen in omnibus Polonici Imperii Provinciis mutationes nonnullæ, qvæ hic nobis annotandæ sunt. Non longè à recepta religione Christianâ videntur hic JUDÆI colonias suas duxisse, qvos deindè An. 1264. Boleslaus Dux Majoris Poloniæ Casimiri Magni Regis Poloniæ Proavus in ditione sua multis privilegiis donavit, qvæ videantur apud Joan. Januszov. *lib. X. Constit. tit. I.* Deindè circa An. 1341. confirmavit eadem Privilegia Judæis Casimirus Magnus Rex Poloniæ Boleslai jam nominati pronepos, idqve procurante qvâdam muliere Judæa, nomine Esthera, cujus consvetudine Rex ille utebatur. *Vid.* Neugeb. *lib. III. Hist. Pol. in fin.* Ex qvo tempore Judæi per Poloniam & Lithvaniam in immensum creverunt, hodièqve per urbes & Pagos habitant freqventissimi, adeò ut non ineptè nescio qvis, dixerit, Poloniam esse Paradysum

dysium Judæorum. Exeunte Sec.XIV.à Christo Nato, videlicet An. 1397. Vitoldus Magnus Dux Lithvaniæ, devictis TARTARIS Trans-Volgensibus & Nahajensibus, totas eorum tribus, qvas hordas vocant, transtulit in Lithvaniam, qvi adhuc hodiè obstinatissimè *sectam Mahumedanam* retinent: non solùm ad Vacæ amnis ripas, sed etiam tum per agros, tum per suburbana Regiarum Civitatũ, Primorumqve Lithvaniæ possessiones sparsi. *Vid.* Kojalovvicz *Part. II. Hist. Lithvan. lib. II. ad An. 1397. pag. 59.* Reperiuntur etiam Tartari in partibus Russiæ, & præcipuè Podoliæ, qvæ olim Tartaris tota fuit subjecta; Appellantur autem Tartari *Lipkowie*, uti in Russia *Czeremissi*. Extant de Tartaris qvamplurimæ Constitutiones. *Vid. An. 1607. fol. 862. An. 1611. fol. 47. An. 1616. fol. 45. An. 1628.* & aliæ plurimæ. Præsertim verò *Const. An. 1676. fol. 58.* ubi Tartari *Lipkowie* in Podolia recipiuntur in gratiam. Ejusdem Vladislai Jagellonis Polon. Regis & Vitoldi M. Ducis Lithvaniæ temporibus cœpit secta HUSSITICA, sive *Bohemicorum fratrum* in oris Polonicis invalescere, auctoribus Procopio Holy, Petro Payne, Bedricho Straznicio & Wilhelmo Kostka. Nec deerant ipsis Fautores ex Procerum numero. Nam ipsorum partes seqvebantur Zbanscius, Ostrorogius, Gizovius & alii. Favebat etiam Hussitis Sigismundus Koributhus

thus in Lithvania, Vitoldi Germanus, ut ex Dlugosso, Cromero aliisqve probat Adrianus Regenvolscius *lib. I. Hist. Eccl. Slavonicarum Provinciarum cap. VII.* Licet verò severis edictis contra Hussitas in Polonia actum esset, ut cognoscimus ex Joannis Januszovii *lib. II. Constit. Part. VI. tit. 4. fol. 260. seqq.* extirpari tamen prorsus illa secta non potuit, ut probat Regenvolscius *lib. I. cap. 13.* Sed majus periculum imminebat Religioni Pontificiæ superiori Seculo, cum D. Martinus Lutherus corruptelas Pontificiorum eliminare cœpisset. Tum enim eandem doctrinam disseminare per Poloniam cœperunt LUTHERANI & CALVINIANI, sive ut dici volunt REFORMATI, inter qvos præcipui fuerunt Martinus Glossa, Joannes Seclutianus, Joannes Casminius & Martinus Prasnicius. In Lithvania qvoqve Sectatores Lutheri vestigia posuere, auctore qvodam Abrahamo Culvâ Theologiæ Doctore. Auxerunt partes Lutheranorum Studiosi Cracovienses ob cædem Commilitonum An. 1549. à famulis Andreæ Czarnkovvski patratam, & à Magistratu non punitam in Germaniam & Bohemiam dispersi. Cum enim illi in Poloniam revertissent, longè latèqve doctrinam Lutheri in Germania alibiqve locorum haustam propagarunt; ut fusè recenset Stanisl. Orichovius *Annali secundo Pag. 35. & seqq.* Favebant tum illi dogmati præ-

præcipuæ familiæ Polonicæ, aut ex iis qvidam ſaltem, ut fuere Comites de Gorka, Comites de Oſtrorog, Zborovii, Myszkovii, Cicocii, Olesnicii, Sienennii, Firleji, Stadnicii, Branicii, Lubomirſcii, Slupecii, Opalinſcii & alii plurimi. In Lithvania qvoqve Sectatores ejusdem doctrinæ fuere Duces Radivilii, Comites Chodkievicii, Sapiehæ, Woinæ, Wolovvicii, Pacii, Tiskievicii, aliiqve non pauci. *Vid.* Caſp. Cichocius *lib. II. Alloqviorum Oſiecenſium.* Hinc tempore Sigismundi Auguſti totus fermè Senatus fuit Religioni Lutheranæ, & præcipuè Reformatæ (qvibus qvidam etiam ARIANI fuerunt admixti) addictus. Imò ipſi Epiſcopi jam nutare cœperant. Nam Jacobus Vchanius Archiep. Gnesnenſis, Joannes Drohojovius Cujavienſis, Leonhardus Camenecenſis, Titelmannus & Joannes Dantiſcus Culmenſes Epiſcopi, & ipſe Sigismundus Auguſtus Rex Religioni huic non fuiſſe adverſi memorantur. ut teſtatur Regenvolſcius *lib. I. cap. 13.* nec diffitetur de qvibusdam Piaſec. *in Chron. fol. 49 (41.)* Hæc itaqve cauſa eſt, cur ab exceſſu Auguſti ſingulorum Regum Pactis Conventis hic articulus inſeratur: *qvod Reges pacem inter Diſſidentes de Religione velint tueri,* qvod etiam Sereniſſ. Joannes III. promiſit, non tantum in Pactis Conventis, ſed etiam in generali Confirmatione jurium. Sub diſſidentium autem titulo jam non comprehenduntur *Ariani*, neqve à fide Romano-Catholica, & Græcorum Unitorum Apoſtatæ, ut habet Confœderatio Ordinum Generalis *An. 1668. fol. 5. §. Ariani.*

Decrevit autem maximè Reformatorum numerus ſub Sigismundo III. Rege. *Hic enim Sigismundus potiſſimam præcipuamqve Senatus partem novo ac recenti addictam dogmati in primordiis Regnorum receperat; decedens, duos tantum reliqvit. Sigismundum Grudzinium Caliſſienſem &* Raphaëlem *Leſzczynium Belzenſem Palatinos, illum qvidem occultiori cuipiam ſectæ deditum, proindeqve minus noxium; hunc Calvini ſeqvacem, ſummæ nihilominus probitatis Civem patriæqve ſtudentem commodis.* ait Illuſtriſſ. Stanisl. Kobierzycki *lib. I. Hiſt. Vladislai Principis pag. 4.* Deinde Joannes Caſimirus Rex An. 1658. ejecit Arianos (qvi ſeſe hactenus titulo Diſſidentium utcunqve tutabantur) è Polonico Imperio, conceſſo ipſis dicto illo anno ad vendenda bona triennio. *Vid. Conſtit. An. 1658. fol. 2.* Sed anno ſeqventi hoc ad duos tantum annos reſtrictum eſt. *Vid. Conſtit. An. 1659. fol. 1.* Conf. *Conſt. An. 1661. f. 1. ſeq.* & *An. 1661. f. 2.* Qvamobrem Reges Poloniæ ab Alexandro VII. Pontifice Romano titulum hunc adepti ſunt, ut jam dicantur REGES ORTHODOXI. Ejectis itaqve Arianis, paucioribus etiam Nobilium Religioni Lutheranæ & Reformatæ faven-

faventibus, jam ulterius progressi sunt Ordines Polonici, dum non tantum Dissidentes à Dignitatibus excludi, sed etiam Pactis Serenissimorum Regum Michaëlis & Joannis III. articulum hunc inseri voluere, *ut Rex Poloniæ sit actu Catholicus*; *Regina qvoqve sit Catholica nativitate sive vocatione* initio ferè. Antea qvidem etiam semper illud cavebatur, ne Rex eligeretur à Romano-Catholica Religione alienus, idqve propterea, qvoniam in Statuto qvodam hæc extant verba: *Referendarius adeat Regem post sacrum Missæ.* Hac etiam de causa Helenæ Reginæ Alexandri Regis conjugi non est corona imposita, qvod ea Religioni Græcæ dedita ab institutis Romanæ Ecclesiæ abhorreret. *Vid.* Neugeb. *lib. VI. pag.443.* Qvamvis, inqvam, hæc fuerint & antehac observata, nulla tamen expressa lex antiqvitus hâc de re lata reperitur. Sed & RUSSI Græcæ Religioni addicti non parum debilitati sunt. Ut enim alia taceam, certè sub exitum Seculi superioris maximum Ecclesia Græca in Polonico imperio passa est decrementum, cum An. 1596. in Concilio Brestensi in Lithvania magna pars Russorum Regi Poloniæ subjectorum sese Romanæ Ecclesiæ conjunxisset, ritibus tamen suis retentis. Procurarunt illam Conjunctionem Hypacius Pociey Protothronius Russiæ, Vlodimiriensis & Brestensis Episcopus; & Cyrillus Terletius Exarchus Luceoriensis, & Ostroviensis Episcopus. Hinc distinctio illa Russorum fluxit, ut alii dicerentur *Uniti*, alii *non uniti*, qvos *schismaticorum* nomine designant Poloni. Retinuerunt tamen *Uniti* etiam ritus suos, & pleraqve dogmata Græcorum, ut communionem sub utraqve specie, alia. *Vid.* Adrian. Regenvolscius *lib. IV. Hist. Eccl. Slavon. cap. 2.* Joan. Hornbek *in Summa Controvers. cap. ult.* Hodiè utriusqve sectæ reperiuntur plurimi in Russiis & Magno Ducatu Lithvaniæ. Ne autem Russi non Uniti sive Russi veteres, ut ibi locorum nominantur, in Religione sua turbarentur, cautum est à Serenissimis Regibus non tantùm in diversis Legibus, sed etiam in diversis Pactis Cosacicis, præsertim verò illis, qvæ An. 1658. d. 6. 16. Septembr. Hadiaci, sunt inita, cum Joanne Wyhowski Exercituum Zaporohensium Duce. Ibi enim Archiepiscopus sive Metropolita Kioviensis Græcæ Religionis cum aliis f. Episcopis Græcis sive Russicis in Senatum admissus est, ut seqventi capite fusius docebitur. Constitutum etiam tunc fuit, ut in Palatinatu Kioviensi Dignitates Senatoriæ conferantur tantum Viris Græcæ Religioni, & qvidem non unitæ, addictis: In Palatinatu verò Braclaviensi & Czernichoviensi alternatim, ita ut defuncto Senatore Romano-Catholico substituatur Græcus, & contra. Item promittitur Græcæ Religionis homi-

hominibus aditus ad Magistratus in urbibus, in qvibus templa sua habent. &c. Juraverunt in hæc pacta An. 1659. in Comitiis Regni generalibus ipse Rex suo & Reipubl. nomine; Archiepiscopus Gnesnensis suo & successorum suorum ut & totius Cleri Polonici nomine; Episcopus Cracoviensis suo & Cleri totius in Regno nomine; Episcopus Wilnensis suo & totius Cleri Lithvanci nomine; Duces Exercituum; Cancellarii; Marschalus Ordinis Eqvestris suo & Nunciorum Terrestrium, ut & totius Nobilitatis Polonici Imperii nomine; & tandem Nuncii Exercituum Zaporohensium suo & Exercituum dictorum nomine. Inserta est tota hæc Pacificatio Constitutionibus An. 1659. cum dictis illis juramentis. *Vid. Constit. dicti anni fol. 51. seqq. & fol. 63. & seqq.* Sed & in Pactis Conventis Reges Poloniæ promittunt, se causas ad Græcæ Religionis homines pertinentes qvamprimum composituros secundùm jura & Privilegia ipsorum. *Vid. Pacta Conventa Michaëlis I. & Joannis III. non proc. ab init.* Ad Græcam Religionem etiam pertinet illud, qvod Joannes Casimirus Rex cum Romano-Catholica Ecclesia consociavit POPULUM ARMENICUM, qvi mercaturæ exercendæ gratia in Russia præsertim meridionali consedit. *Vid.* Nicol. Chvvalkovvski *lib. II. Jur. Publ. Polon. cap. 1.* Tandem qvoniam ad conservationem sacrorum pertinent TEMPLA, monasteria, Scholæ, pauca etiam de his addenda sunt Fundationes templorum & monasteriorum, confirmantur ab omnibus Ordinibus in generalibus Comitiis. Confirmationes etiam ipsæ Constitutionibus Regni & Magni Duc. Lithv. inseruntur, ut ex singulis propemodum Constitutionibus apparet. *Academia Cracoviensis* inchoata est à Casimiro M. qvam Vladislaus Jagello ex Hedvigis conjugis suæ testamento absolvit, & à Papa Urbano confirmari curavit. *Vid.* Joan. Januszov. *lib. II. Constit. Part. IV. tit. 2. fol. 216. seq.* Qvod Episcopus Cracoviensis illius Academiæ Cancellarius & Promovendorum Examinator sit, sede autem vacante Officialis ejus seu Vicarius generalis, asserit Chvvalkovvski *lib. II. J. P. P. cap. 1.* Ut Ordo in Academia illa observetur, curare debet Episcopus Cracoviensis. *Const. An. 1635. tit. Acad. Kracov.* Confirmantur hujus Academiæ jura in Pactis Conventis Michaëlis I. & Joannis III. *in fin.* Sic etiam in Constit. *An. 1676.* approbata sunt jura, immunitates & Privilegia *Academiæ Vilnensi* à Regibus Poloniæ data. Habetur illa Confirmatio *inter Constitutiones Lithvanicas ejus anni fol. 12.*

V. Post jus sacrorum primas deferimus juri LEGUM FERENDARUM. Cum enim Regis sit Civitatem sibi subjectam regere, regere

gere autem eandem commodius neqveat, qvàm si ipsi Leges præscribat, secundum qvas illa vitam suam instituat, ideò non immeritò Leges hunc sibi vendicant locum. Et ex hoc principio facultatem, qvæ est circa Leges condendas, Aristoteles vocat ἀρχιτεκτονικὴν *lib. VI. Eth. cap. 8.* De Legibus autem antiqvorum Polonorum seqventia Polonici Scriptores tradunt. Videlicet tempore Lechi jus dari solitum fuisse asserunt non ex præscripto Legum, qvæ nullæ erant, sed ex arbitrio Principis, hoc est ex æqvo & bono. *Vid.* Cromer. *lib. II. Hist. Polon. fol. 419.* & Neugeb. *lib. II. Hist. Pol. pag 40.* Deinde verò circa An. DCC. Gracchum, sive, ut ab aliis vocatur, *Cracum, primum leges promulgâsse* putat Dlugossus *Tom. I. lib. I. fol. 51.* Postea *Boleslaus Chrobri* Reipublicæ *tenorem ad utilitatem Legesqve salutiferas gratia humanæ societatis descriptas condidit, & edicto publico promulgavit.* Dlugossus *Tom. I. lib. II. fol. 164.* Sed hæ Leges videntur fuisse non adeò multæ. Nam idem Dlugossus de Miecislao II. Boleslai illius filio & successore tradit, qvod primus leges cumulaverit. *lib. II. fol. 92.* Circa fin. Sec. XII. dicitur Casimirus justus Boleslai Crivousti filius natu minimus tres tulisse leges (1.) *ne Nobiles in agrestium Bona grassarentur.* (2.) *Ne qvis Legationis necessitate jumenta, eqvos &c. colonis auferret.* (3.) *Ne Eccle-*

siasticis Bonis vis inferretur mortuo Episcopo. Dlugoss. *lib. VI. fol. 484.* Idem Casimirus post mortem audit Lator optimarum Legum. Dlugoss. *fol. 507.* Post Casimirum hunc Boleslaus Dux majoris Poloniæ Proavus Casimiri Magni Regis Poloniæ Leges condidit An. 1264. Calissiæ, qvæ comprehendunt tantum Privilegia qvædam Judæis concessa. Reperiuntur hæ leges apud Januszov. *lib. X. Constit. tit. 1. fol. 115.* Porrò circa An. 1235. cum Henricus Barbatus Cracoviam occupâsset, leges qvasdam improbas & pestilentes, qvæ auxiliatrices, virginales & viduales dicebantur, sustulit, & meliores nonnullas sanxit, teste Cromero *lib. IX. Hist. Pol. fol. 535.* & qvi eum ubiqve ferè exscribit Neugeb. *lib. III. Hist. Pol. pag. 137.* Post hos omnes CASIMIRUS MAGNUS Sec. XIV. partim novas Leges scribi jussit, partim veteres emendavit: *qvibus Palatinorum & Judicum infinita potestas certis cancellis coërcita est, ut non ex Moribus aut libidine sua, sed è scripto jure deinceps judicarent.* ait Cromer. *lib. XII. Hist. Pol. fol. 602. & 598.* Et hunc Casimirum qvidam Polonici Scriptores primum faciunt Legum Polonicarum conditorem. *Vid.* Simon Starovolski *in Polon. pag. 242.* Hoc tamen ita vult intelligi Cromerus, qvod Casimirus condiderit Leges scriptas, cùm antea Poloni Legibus non scriptis usi sint, ut patet ex verbis jam addu-

adductis. Qvamvis neqve hoc ita simpliciter accipi possit cùm & Boleslaus Chrobri Leges scribi jusserit, ut Dlugossum supra audivimus asserentem, & Boleslai Ducis majoris Poloniæ Leges scriptæ adhuc habeantur, apud Januszov. *loc. cit.* Nisi dicere velimus & has primitùs non fuisse scriptas, sed postmodum à Casimiro Magno in tabulas relatas, confirmatasqve, ut videtur colligi posse ex titulo harum Legum apud Januszov. Qvid postea circa Leges in Polonia actum sit, docet nos Cromerus: *Legum scriptarum*, inqviens, *usus fuit nullus apud Polonos vetustioribus temporibus. Nec ullæ extant antiqviores iis, qvas Casimirus Magnus* (non ille de qvo nos supra, sed filius Vladislai Jagellonis, qvi vixit Sec. XV.) *Rex condidit: qvæ sanè pauculæ sunt. Nec multæ iis à filiis ejus Joanne Alberto & Alexandro adjectæ sunt. Extremis demum ferè temporibus Sigismundi Senioris & regnante filio ejus Sigismundo Augusto, magis ac magis exarsit & longiùs progressus est pruritus & libido novarum Legum condendarum & antiqviorum mutandarum. Qvo fit, ut hæ propemodum exolescant, novæ autem vix, ac ne vix qvidem inolescant.* Lib. II. *Descript. Polon. pag. 134.* Prima Cromeri verba manifestè contradicunt aliis Cromeri verbis ex Historia ipsius antehac à nobis adductis, neqve etiam cum rei veritate conveniunt. Præterqvam enim

enim qvod minus usitatum sit Casimirum III. Jagellonidem Magni titulo insignire, cùm alius fuerit Casimirus Sec. XIV. cui titulus Magni, aut ob staturam, aut ob res præclarè gestas fuit attributus. Reperiuntur etiam ante Casimirum Jagellonidem scriptæ leges non tantùm Boleslai, ut supra dictum, sed & Ludovici ipsiusqve Vladislai Jagellonis, ut videre possumus ex Legibus collectis à Joanne Lasko, Jacobo Prilusio & aliis. Rectius itaqve leguntur hæc verba Cromeri in illa editione qvæ Cranzii Wandaliæ adjecta est: *Legum scriptarum nullus fuit usus apud Polonos vetustioribus temporibus, nec ullæ extant antiqviores iis, qvas Casimirus Magnus Rex condidit (ne nunc qvidem vel multæ vel exqvisitæ sunt) sed unica lex erat Rex sive Princeps.* Hæc ibi postrema Cromeri verba antea allegata, rectè se habent. Nam & adhuc hodiè singulis in Comitiis Constitutiones, qvæ antea Statuta communiter dicebantur, scribuntur, & qvidem lingvâ Polonicâ, idqve constitutum est in Comitiis An. 1562. cùm antea Leges scriberentur lingvâ Latinâ. *Vid. Volumen Constitut. Andr. Petricovii fol. 27.* Theod. Zavvacki *Part. I. Const. tit. 1. fol. 4.* Præter Constitutiones has, de qvibus hactenus egimus, est etiam in urbibus Polonicis aliqvis usus Legum Saxonicarum, de cujus rei origine non una est sententia Scriptorum Polonicorum. Simon

Starovolsc. ita hác de re scribit: *Casimirus Magnus primus ipse urbicæ plebis jura à vicinis Saxonibus accipere ex facili permisit, cum assiduis supplicationibus Germanorum, qvi passim tum in Poloniam habitatum lucri causâ veniebant, solicitaretur, ut similem patriæ suæ urbium administrationem haberent, & inter Sarmatas jurium ignaros Consulum & Advocatorum honore advenæ eminerent. Atqve hinc mos invaluit, ut omnes Poloniæ Civitates in hodiernum diem usqve jure Saxonico (qvod vulgò Magdeburgense vocatur) tum plebiscitis qvalibet propriis & Constitutionibus Regiis utantur.* Hæc Starovolsc. *in Descript. Polon. pag. 243.* Eadem habet & Dn. Joach. Pastorius ab Hirtenberg, *in Floro Polonico in Casimiro Magno.* Confirmari hæc posse videntur auctoritate ipsius Sigismundi III. Regis Poloniæ, qvi Casimirum Magnum omnium primum Teutonico jure urbes & oppida uti voluisse, dicit, in tabulis, qvibus speculum Saxonicum jusqve Weichbildicum confirmat, qvas Tabulas citat Herman. Conringius *in lib. de Orig. juris Germanici cap. 31. pag. 194.* Verum hæc non rectè se habere animadvertens Conringius, altius originem hujus juris in Polonia repetit, nempe à Lesco Nigro, qvi hoc jus Cracoviensibus concessisse dicitur, propterea qvod ab illis servatus esset, idqve probat Conring. *ex Philip. Decii Antiqvit. Polon.* Sed & hæc minus rectè se habent. Etenim jam ante tempora Lesci Nigri referunt Polonici Scriptores Boleslaum Pudicum Ducem Poloniæ jure Saxonico sive Magdeburgensi, qvod etiam Sredense & Teutonicum vocant, stabilivisse Cracoviensem urbem. Cromer. *lib. IX. in fin.* Neugebaur. *lib. III. Hist. Polon. pag. 161.* His ita constitutis, jam qværitur, utrum Principes has leges propriâ sanxerint authoritate, an verò ex consilio Procerum? Primis temporibus Principes absolutè jura & Leges populo dedisse, colligitur ex Cromeri *lib. II. Hist. fol. 419.* & Neugeb. *lib. II. in Lecho.* Postqvam verò Reges Poloniæ Christianam religionem suscepissent, leges jam ex Consilio Procerum posuisse memorantur. De Casimiro Justo Boleslai Criviusti filio, qvi vixit sub finem Sec. XII. refert illud Dlugossus *lib. VI. fol. 484. seq.* De Boleslao Pudico idem asserit Neugeb. *lib. III. pag. 137.* Idem observâsse dicuntur & alii Reges, qvi *nonnisi in Comitiis communi Prælatorum, Baronum & Nunciorum Terrestrium consensu leges correxerunt; & novas sanxerunt:* ut testatur ipse Sigismundus I. Rex Polon. An. 1570. Bidgostiæ, apud Herburtum *in Statuto Regni Polon. sub tit. Lex. fol. 263.* Tandem Sigismundus III. Rex, lege An. 1588. Cracoviæ latâ, sanxit, (ut & Joannes Casimirus Rex An. 1661.) ut leges anteqvam publici juris fiant, per-

per Marschalcum Ordinis Eqvestris, & per Deputatos duos vel tres ex Senatoribus, & sex è Nunciis Terrestribus revisæ subscriptæqve in præsentia Regiæ Majestatis legantur, cum interrogatione per Dnn. Cancellarios, an Rex, Senatores & Nuncii Terrestres easdem sigillo muniri jubeant. Item ut sigillo munitæ ad Acta Castrensia Varsaviensia, vel in defectu ejusdem officii ad metricam Regni sub Actu in crastinum post Comitia porrigantur. Deinde sumptibus Thesauri, curante aliqvo Secretario Regio typis mandentur, impressæqve sub sigillis Regni vel Magni Ducatus Lithvaniæ ad Comitia Relationum, ut & ad officia Castrensia Palatinatuum & Terrarum transmittantur. *Vid.* Januszov. *lib. I. Const. Part. IV. tit. 2 fol. 144.* & Nic. Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. 1. num. 3.* Constat itaqve ex dictis Reges Poloniæ leges hoc tempore non nisi cum consensu Senatus & Nunciorum Terrestrium ferre. Hinc etiam non nisi in Comitiis, *Slucensibus* & *Koplilensibus* concessus est usus juris Magdeburgici An. 1653. *Vid. Const. ejus Anni fol. 26.* Item *Vitepscensibus* & *Posielscensibus*. *Vid. Const. An. 1654 fol 35.* Kieydanensibus An. 1661. *Vid. Constit ejus Anni inter Constit. Lithv. fol. 31.* Schadoviensibus. *ibid.*

VI. Legum condendarum potestati subjungimus JUDICIA, sive *Jurisdictionem sine provocatione.* Judicia verò antiqvitus dubio procul exercebantur ex absoluto Principis arbitrio, controversias Privatorum Principe per seipsum dirimente. *Lechus* certè *jus dabat populo æqvabile non ex præscripto legum, qvæ nulla erant, sed ex arbitrio suo h. e. æqvo & bono.* ait Cromer. *lib. II. Hist. Polon. fol. 419.* Cùm verò Princeps tot litibus decidendis solus non sufficeret, dicitur Cracus privatarum Controversiarum judices per loca constituisse. Cromer. *lib. II. Rer. Polon. fol. 421.* & Neugeb. *lib. II. Hist. Pol. pag. 42.* *Sub Boleslao Chrobri jus ex æqvo & bono dicebatur, aliqvando etiam controversiæ singulari certamine dirimebantur.* teste Cromero. *lib. III. fol. 444.* qvod etiam apud antiqvos Sarmatos in usu fuisse auctor est Alexander Gvagvinus (vel Matthias Strykovvski Ossostevicius qvi hos sibi libros vendicat) *in Sarmatia Europæa Tom. I. in Corp. Hist. Polon. fol. 25. fin.* Qvamvis verò plura fuerint privatarum causarum judicia à Rege instituta, reservavit tamen sibi Rex judicia illa, qvæ seqventibus temporibus *Colloqvia generalia* sive *Termini generales* (Polonicè *Wieca*) dicebantur, qvibus judiciis ipse Rex præsidebat. Habebantur autem olim in pratis sub papilionibus secundum morem antiqvum, ut dicit Cromer. *lib. IV. fol. 460.* Neugeb. *lib. III. pag. 68.* In Comitiis qvoqve Judicia exercuerunt Reges, ut

ut patet exemplo Miecislai Senis, qvem Gedeon Episc. Cracoviensis propriâ se sententiâ condemnâsse in Senatu egregiô commentô ostendit. *Vid.* Neugeb. *lib. III. p. 110. seq.* Sed de his fusius infra, qvando de Judiciis Polonorum nobis erit sermo. Jam notâsse sufficiat ea, qvæ ad potestatem Regis judiciariam pertinent. Absolutam olim judiciorum potestatem habuisse Reges ex dictis patet; processu verò temporis multa remiserunt de jure suo, donec tandem Uladislaus Jagello An. 1430. hoc Privilegium Nobilitati dedit: *Ne Nobilitatem prehendere, aut carceri mancipare liceret, nisi jure victum, exceptis qvibusdam gravioribus causis.* Cromer. *lib. XIX. fol. 685. Conf. & Privilegia Regni Polon. à Joanne Januszovio edita fol. 17.* Dabatur autem à judiciis particularibus Provocatio ad judicia Regia, & post tempora Jagellonis. Sed cum Superiori Seculo multis judiciis Reges distinerentur (ita ut etiam aliqvando Henricus I. Rex dixerit: *Per meam fidē Poloni isti faciunt, ut agam Judicem Jurisperitum, in brevi volent, ut agam etiam causidicum,* teste Piasecio *in Chron. fol. 50. fin.*) devolvit hæc judicia ab humeris suis Stephanus Bathori successor Henrici, summis Tribunalibus in Regno & M. Duc. Lithvaniæ constitutis, solasqve lites Fisci Regii, Civitatumqve Regi directè subjectarum Judicio suo Aulico reservavit.

Licet autem in Tribunalibus nomine Regio judicia exerceantur, qvædam etiam causæ ad Comitia rejiciantur; nihilominus cum in Tribunalibus illis non Rex, sed Nobilitas, constituat Assessores, Judiciiqve illius Præsidem, sive, ut vocant, Marschalcum; In Comitiis qvoqve non solus Rex illas causas à Tribunalibus eò rejectas, aliasqve criminum atrociorum solis Comitiis reservatas, decidat, multum jam de potestate judiciaria Reges remisisse videmus. Judicia porrò nova nonnisi ad instantiam Ordinum, vel consentientibus Ordinibus constitui possunt. *Vid.* Januszov. *lib. III. Constit. part. IV. tit. I. fol. 427.* In Pactis Conventis, qvomodo se Rex debeat gerere circa judicia non determinatur exactè, licet qvædam etiam hic reperiantur. Et qvidem in Judiciis Aulicis, sive, ut vocant, post Aulam, promittunt Reges se ex sententia Senatorum & Officialium secum commorantium causas decidere velle certo tempore. *Vid. Pacta Conventa Michaëlis & Joannis III. §. 10. Sadach Zadwornych.* Promittunt etiam, se in judiciis Comitalibus, Aulicis & qvibuscunqve aliis causas secundum Ordinem in Registro per numeros designatum judicaturos, neqve causas extra Ordinem Registri, respectu personarum habito, sese promoturos. *§. Na Sadach.*

VII. JUS ARMORUM sive BELLUM GEREN-

GERENDI JUS habuisse primos Polonorum Duces & Reges, non est, qvod dubitemus. Sed & Sec. XIV. videtur Ludovicus Rex illud jus habuisse integrum. Nam cùm in Privilegio de Anno 1374. multas immunitates Nobilitati concessas enumerâsset, addit postea: *Hoc tamen expresso, qvodsi insultus hostium in dictum Regnum invalesceret, tunc Nobiles ipsius Regni ad repellendam eorum sævitiam occurrant cum omnimoda eorum potestate.* apud Januszov. *inter Privileg. Polon. fol. 5.* Eadem ratione loqvitur aliqvoties Uladislaus Jagello de bello in Privilegiis suis; nullibi tamen consensum Senatus ad hoc reqvirit. Primus itaqve Casimirus III. Jagellonides promisisse videtur An. 1454. *se nullum bellum unqvam indicturum sine consensu Senatus.* Joan. Januszov. *lib. VI. tit. I. fol. 691.* Sufficiebat autem tum Consensus Senatus. Posthæc concessum etiam est à Joanne Alberto Rege An. 1496. *ut Conventus particulares sive Comitiola Nobilitatis haberentur, anteqvam bellum susciperetur.* Hoc confirmat deinceps Sigismundus III. *in Constit. An. 1613. init.* Excipit tamen Sigismundus inopinatas hostium irruptiones & subitaneos impetus, qvos Reges consultis præsentibus tantummodò Senatoribus depellere, & subsidia huic rei necessaria conqvirere posse asserit. *Vid. Constit. An. 1611. & 1613.* Hoc verò jam antea

tea qvoqve exceperat Sigismundus I. An. 1527. *Vid.* Theod. Zawacki *part. I. Constit. tit. I. fol. 2. & tit. V. fol. 37.* Sed & specialia qvædam mos est determinare circa jus Belli in singulorum Regum Pactis Conventis. Promittunt enim Reges, *qvod sine speciali consensu & scitu Reipublicæ externa auxilia in Regnum adducere, exercitum Qvartianorum aliosqve Exercitus augere, privatas copias contrahere nolint, & qvod eos, qvi sine literis Regiis copias contrahere voluerint, pro infamibus habere velint.* Vid. præter multas alias Constitutiones, etiam Pacta Conventa Joannes III. *§. Woysk Cudzoziemskich.* Præterea nemini Reges stipendiarium militem mittere possunt in subsidium, nisi hoc fiat Ordinum permissu, ut habet Capitulatio Stephani Regis, apud Fredr. *in Hist. Henr. I. pag. 235.* Hinc Poloni maximè indignabantur, cum Sigismundus III. Imperatori Germanico An. 1624. auxilia misisset Ordinibus inconsultis, ut auctor est Piasec. *in Chron. fol. 439. & fol. 601.* Porrò promittunt Reges in Pactis Conventis, gubernationem arcium & fortalitiorum Extraneis & plebeis personis se non permissuros; sed solum Nobilibus possessionatis & benè meritis, qvos Exercituum Duces Regi commendaverint. *Vid.* Pacta Conventa Joannis III. *§. Cudzoziemcow.* Adduntur etiam qvædam in Pactis illis, qvæ ad disciplinam militarem,

ut

ut & bonum Ordinem in bellis pertinent, qvæ vid. *§. Powinni & seqq.* Tandem sub Sigismundo III. ex Senatu & Eqvestri Ordine majoris minorisqve Poloniæ, ut & Magni Duc. Lithvaniæ eligi cœperunt plurimi Legati, qvi cum Senatoribus ordinariè lateri Regio adhærentibus & Officialibus majoribus consilium bellicum constituerent, Regiqve in bello ubiqve adessent. Non secus & Ducibus Exercituum multi adjunguntur Legati, iisdem in bello pro consilio futuri. *Vid.* Constit. *An. 1590. fol. 563. An. 1620. fol. 1. An. 1633. fol. 11. An. 1673. tit. Deputati. & An. 1676. f. 20.* Sunt autem inter Deputatos illos non tantum aliqvot ex Spiritualibus & Secularibus Senatoribus, sed etiam plurimi ex Ordine Eqvestri. Eliguntur enim aliqvando ex singulis Palatinatibus & terris qvibusdam singuli Deputati. Electio illorum aut fit in Comitiis; aut etiam aliqvando in singulorum Palatinatuum & terrarum Comitiolis, ut factum est Ann. 1649. *Vid. Const. ejus anni fol. 15. seq.* Determinatur autem in Comitiis generalibus, qvousqve se extendere debeat potestas illorum in fœderibus pangendis & pace tractanda. Licet autem ipsis aliqvando plena concedatur potestas pacem cum hoc vel illo hoste faciendi, hoc tamen expresse cavetur, ne potestatem sibi sumant bellum offensivum decernendi, qvoniam hoc ad sola Comitia generalia pertinet. *Vid. Const. An. 1590. fol. 563. qvæ in aliis qvoqve Constitutionibus reassumitur.* Ex his jam constat, qvæ sit potestas Regum Poloniæ circa jus belli. JUS FOEDERA pangendi conjungimus cum jure Belli. Potest autem Rex ex consilio Senatorum Residentium & Deputatorum, de qvibus hactenus egimus fœdera pangere, ita tamen ut tum demum sint valida, si in Comitiis Regni generalibus ab omnibus Ordinibus confirmentur. Hoc verò jam tempore Casimiri Magni aliqvo modo in usu fuisse colligimus ex eo, qvod Cruciferi, majoris certitudinis gratiâ, confirmationem Pactorum postulabant à Casimiro Magno Rege, Senatu, Nobilitate & Civitatibus. Neugeb. *lib. III. pag. 198.* Conferatur & *Constitut. Joannis Casimiri Regis in Comitiis Coronationis. fol. 14. & Joannis III. An. 1676. fol. 21.* ubi ad renovationem Pactorum cum exteris Principibus reqviritur consensus Residentium Senatorum. Sed *An. 1676. fol. 19.* ad fœdera renovanda pro illa vice tantum fuerunt Residentibus & alii Deputati adjuncti. Ex qvibus iterum patet, ad fœdera antiqva renovanda sufficere consensum Residentium Senatorum, ad nova verò fœdera cum hostibus ineunda plures reqviri Deputatos, & præterea confirmationem totius Reipublicæ.

VIII. TRIBUTA & VECTIGALIA imponendi

ponendi poteſtatem jam Rex Poloniæ Ordinibus communicavit. De antiqvis temporibus seqventia habet Cromerus: *Penſitabant, inqvit, & omnes agreſtis adſcriptitii qvotannis tributum. Poradlne, qvod nos raſtrale dicere poſſumus (Regale etiam vocatur) in jugerum ſeu laneum & manſum, ut vulgò vocant, duodenos groſſos, & qvidem latos, ſeu Pragenſes, qvi dimidio eos, qvi nunc ſunt in uſu groſſos vernaculos excedunt, qvin ſi bonitatem argenti ſpectes qvadruplo. Penſitabant & alias qvasdam cùm nummarias, tùm pecuniarias, frumentarias, avenarias & aliarum rerum penſiones. Nec modo agricolæ, ſed & oppidani. Qvin & Eqvites ſive milites non penitus immunes erant. Nam jumenta hi ei, qvacunqve iter faciebat, alii ſecundum alios ſuppeditabant, & canes cum venatoribus ejus neceſſe habebant. Ne monaſtica qvidem & alia Eccleſiaſtica Bona initio prorſus erant libera ab ejusmodi oneribus ac tributis.* Hæc Cromer. *in Deſcript. Polon. lib. II. pag. 128.* Ab his oneribus liberata ſunt prius Bona Eccleſiaſtica, donec tandem Ludovicus, cùm eſſet à Caſimiro Magno conſenſu Regni Succeſſor deſignatꝰ, omnem Nobilitatem cum ejusdem adſcriptitiis à tributo illo Poradlne, (qvod etiam in antiqvis Privilegiis nominatur *Kroleſtwo* i. e. regale) ſive à penſione duodecim groſſorum liberavit, duos tantum groſſos in ſignum ſummi Dominii & recognitionem coronæ Regni Poloniæ de manſo, ſive laneo, pactus An. 1374. *Vid. Privilegium ipſum apud Januſzovium fol. 4. Conf. Neugeb. lib. III. Hiſt. Polon. p. 204.* A ſolutione illa duorum groſſorum exemit Sigismundus I. An. 1507. Palatinos & Caſtellanos. Jam verò & antea Uladislaus Jagello vectigalia avenæ remiſerat terræ Dobrinenſi & Cujavienſi, itemqve Ruſſiæ An. 1433. *Vid.* Januſzov. *lib. IV. Conſtit. part. I. tit. VII. & ſeq. fol. 319. ſeq.* Nunc omnia Bona Nobilium à ſolutione illa duorum groſſorum libera ſunt. Cromer. *lib. II. Deſcript. Polon. pag. 130.* Ordinarii itaqve Regii Proventus hodiè tantum ſunt ex Bonis, qvæ vocantur Menſæ Regiæ. Hi qvanti ſuperiore Seculo fuerint, cognoſcimus ex præclara illa Adami Konarſcii Epiſcopi Poſnanienſis ad Henricum Valeſium Poloniæ Regem electum oratione in Gallia habita, in qva Regii Reditus ex dictis Bonis ad tertium florenorum millionem aſcendere teſtatur. *Vid.* Fredro *in Hiſt. Henrici I. pag. 96. ſeqq.* Audiamus verò ea de re & Paulum Piaſecium, qvi ita fatur: *Fiſcus Regius abundè ad omnes ſumptus Aulæ Regiæ perqvam Magnificos ſplendori cujusvis opulentiſſimi in Europa Regis æqvales ſufficit, & ad munificentiam qvantumvis excelſi animi Principe dignam. Nec aliunde niſi ex iſto cenſu fiſci proprii Rex Poloniæ liberalitatem exercet propè profu-*

profusam, in tantum, qvod in tam vasto imperio & populorum multitudine pauci sint ex Nobilibus & militantibus melioris notæ, qvi non participent ex gratia Regis aliqva emolumenta Fisci Regii, & pleriqve tam ampla, ut indè opes non mediocres comparent. Integras enim Fisci sui Præfecturas Civitatum & possessiones opulentissimas cum earum fructibus universis Rex concedit, & sæpè uni plures, ut non rari sint, qvi plus qvam ducenta millia florenorum in annuis fructibus, dum vivunt, ex bujusmodi donationibus Regiis percipiunt, ac etiam ad hæredes usumfructum Rege consentiente transmittunt. Hæc & alia Piasec. *in Chron. fol. 58. seq. (50.)* Hos verò Reditus, de qvibus hactenus egimus, Rex non impendit in sumptus bellicos, qvi tantum ad mensam Regiam faciunt sustentandam. Cum autem bellum legitimum gerendum est, sciscuntur in Comitiis Regni generalibus, consensu omnium Ordinum, certæ contributiones, ut ex singulorum ferè Comitiorum Declarationibus patet. Audiamus Illustriss. atqve Reverendissimum Konarscium ea de re loqventem: *Privati tui*, inqvit ille, *reditus, uti nobis mensæ Regiæ Bona vocantur, propè tertium millionem florenorum ascendunt. Ingens sane æs, si præsertim expensarum paucitate metieris: non inde bella providebis, non munificus eris: non publicos curiæ administros (aut aulicos) sustentabis, qvi in aliorum spem præmiorum cum honore aderunt, sed mensam tuam inde instrues, & paucum ministerium providebis. A belli sumptibus liberum te Respubl. fecit, illius est militibus stipendia numerare, armamentaria instruere, tuum verò (at mutuâ tamen potestate cum Republica) bellum indicere, vincere, triumphari.* Hæc Fredro, vel potius Konarscius apud Fredr. *pag. 98. seq.* Sunt verò Reipubl. proventus in stipendia militum impendendi, aut extraordinarii aut ordinarii. Ordinarii sunt: Qvarta; Depositaria Vini; Aqvaticum Fordanense; Capitatio Judaica; Canon Prussicus; Evecta, Inducta; qvartus grossus Majoris Poloniæ & Russiæ, & alia. *Vid. Constit. An. 1647. init.* Extraordinarii sunt Capitatio *(Poglowne)* Agraria *(Lanowe)*. Contributio Ducillorum sive Ducillaris *(Czopowe)* Donativum Mercatorium, & alia. De QVARTA agendum nobis erit infra cap. VIII. AGRARIA est qvando pro laneis & mansis certa pecuniæ summa exsolvitur. CONTRIBUTIO DUCILLORUM est, qvando certa pars pecuniæ pro dolio cerevisiario, vel etiam aliis potûs generibus dari in Comitiis jubetur. Ea verò non est uniusmodi; vetustioribus temporibus legimus unum nummum Polonicum à singulis grossis datum fuisse, nunc ferè est nona pars dolii cerevisiarii, vel aliorum potûs generum. Qvam-

vis hoc ita determinari non poſſit, cum ſingulis ferè in Comitiis in ſpecie determinetur, qvantum qvisqve pendere debeat. Nec ſunt ab hoc contributionis genere immunes Nobilium Subditi, qvi in diverſoriis & Hoſpitiis publicis cereviſiam divendunt. *Vid. Conſtit. An. 1667. fol. 20. An. 1676. fol. 14. ſeq.* CAPITATIO JUDÆORUM itidem pro ratione temporum variat. Conſtitutum qvidem eſt Anno 1643. ut Judæi in Regno Poloniæ qvotannis pendant ſeptuaginta millia florenorum. *Vid. Conſtit. ejus anni fol. 21. Conf. Conſtit. 1652. fol. 16. An. 1654. fol. 19. An. 1658. fol. 56. ſeq.* In Magno Ducatu Lithvaniæ Judæi ordinariè pendunt decem millia florenorum. *Conſt. An. 1652. fol. 22. An. 1658. fol. 57. An. 1659. fol. 19.* Id verò ita intelligendum eſt, qvos Judæos hæc pendere oporteat præter alias omnes contributiones, qvæ aliis incolis Regni & M. Duc. Lithv. imponuntur. Solet etiam non raro Capitatio hæc Judaica augeri. Sic An. 1661. impoſita ſunt Judæis in Regno centum & qvinqve millia florenorum præter alias contributiones. *Vid. Conſtit ejus anni fol. 9.* Eadem pecuniæ ſumma impoſita eſt ipſis An. 1670. qvæ in Donativum Tartaricum impendi poſſet. *Vid. Conſt. fol. 34.* Anno 1659. dederunt Judæi in Regno centum millia florenorum *Vid. Conſtit. fol 17.* Sic etiam Judæis Lithvanicis An. 1661. impoſita ſunt duo-

duodecim millia florenorum. *Vid. Conſt. ejus anni fol. 27.* An. 1670. dederunt Judæi Lithvanici 15000. florenorum. *Vid. Conſt. fol. 48.* An. 1650. dederunt 24000. flor. *Vid. Conſtit. dicti anni fol. 22.* An. 1654. in ſummo Reipubl. periculo dederunt 40000. florenorum. *Vid. Conſtit. fol. 36.* CAPITATIO TARTARICA in Lithvania aliqvando eſt ſex millium florenorum; aliqvando ſinguli Tartari, extra illos, qvi ſtipendia Reipublicæ faciunt, à ſe, uxoribus & liberis ſuis ſolvunt ſingulos florenos; aliqvando etiam binos. *Vid. Conſt. An. 1667. fol. 61. An. 1658. fol. 57. An. 1670. f. 48.* DONATIVUM MERCATORUM etiam pro ratione periculorum Reipublicæ impendentium variare ſolet. In Regno enim An. 1654. contribuerunt qvinqvaginta millia floren. *Vid. Conſt. ejus anni fol. 19.* An. 1670. exſolverunt centum viginti millia florenorum. *Vid. Conſt. Anni 1670. fol. 33.* An. 1650. itidem numerarunt centum & viginti millia flor. *Vid. Conſt. d. an. fol. 7.* In Magno Ducatu Lithvaniæ aliqvando decies mille, aliqvando duodecies mille florenos in commune conferunt. *Vid. Conſt. An. 1658. fol. 35. An. 1667. fol. 60.* An. 1634. contulerunt urbes M. D. Lithv. 30000. floren. *Vid. Conſt. ejus Anni fol. 13. ſeq.* Anno verò 1650. Donativum illud auctum fuit ad 40000. floren. *Vid. Conſtit. d. an. fol. 21.* Porrò Anno 1629. aliud

genus

genus contributionis, nempe FUMALIS COLLECTÆ (Podymne Polonis dicitur) *fuit institutum contra Svecum dimidii florent communis à singulis domibus tam Civitatum qvam pagorum & villarum, curiis Nobilium & Ecclesiasticorum exceptis, qvæ qvadruplum usitati tributi agrarii æqvavit.* ait Paul. Piasec. *in Chron. fol. 484.* Solet hoc genus contributionis duplicari, triplicari, multiplicari, exigentibus id periculis, ut in singulis Palatinatuum Declarationibus deprehendimus. Cum neqve hæc stipendiis militum exsolvendis sufficiunt, solet ad certum tempus institui ACCISA, qvam dant mercatores in civitatibus Regis, Nobilium & Spiritualium. *Vid. Const. An. 1659. fol. 16. An. 1658. fol. 11. seq.* Neqve novum est GENERALIA in Regno VECTIGALIA instituere, qvæ omnium ordinum homines exsolvere necesse habent, ab omnibus evectis & invectis, licet aliàs Nobiles à vectigalibus sint exempti. Exemplum ejusmodi generalium vectigalium habemus *in Constitut. An. 1661. fol. 34.* Alia jam vectigalia aucta & de novo institui solita prætereo. *Vid. Constit. Ann. 1667. fol. 22. seqq.* Tandem qvando dicta illa contributionum genera non sufficiunt, & extremum aliqvod Reipubl. periculum imminet, solet GENERALIS aliqva CAPITATIO in toto Regno Polonico indici, à qva nemo excipitur. Pendunt

dunt enim eandem Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, Castellani, omnes in universum Magistratus, Canonici, Sacerdotes, Monachi, mercatores, opifices, rustici, Judæi, Tartari. Observatur autem proportio geometrica, ita ut Archiepiscopi, Episcopi aliiqve pendant singuli, mille, sexcentos, qvadringentos, &c. florenos, pro ratione redituum, qvos qvisqve ex suis Bonis & Officiis percipit. Exemplum ejusmodi Capitationis, præter vetustiora, habemus in Constitutionibus An. 1673. *sub tit. Subsidium Reipublicæ generalis Contributionis.* Hæc, qvæ enumeravimus, tributorum genera liberâ declaratione Ordinum in Comitiis Regni generalibus sciscuntur, ideoqve non debent haberi pro jure æterno, ut cavetur Constitutione *Anni 1635. tit. Declaratia o Constituciach.* Notandum hic est, Prussos non in Comitiis suas Contributiones declarare, sed immunitate singulari ad referendum Palatinatibus suis gaudere; veluti habet Constitutio *Anni 1637. tit. Czopowe Koronne, & seq.* Ex contributionibus illis à Republica decretis, ut & ordinariis Reipublicæ proventibus, de qvibus paulò antè egimus, nihil cedit in privatum Regis commodum, teste Piasecio *in Chron. fol. 59.* (50.) Qvarta enim Ravam defertur, qvo semper qvatuor Deputati in Comitiis designati ad eam recipiendam mittuntur. Ex his duo (qvorum alter est ex

Senatu, alter ex Eqveſtri ordine) ſunt ex majori, & duo ex minori Polonia, qvi cum Theſaurario Regni & Capitaneo Ravenſi, (*ex Conſt. An. 1658. fol. 470. ſeq.* Ravæ circa Feſtum Pentecoſtes convenientes, rationes ineunt, & qvæ ad eam rem faciunt, expediunt. *Videatur prolixa Qvartæ Ordinatio An. 1569. edita fol. 183. ſeqq.* Vectigalia & Contributiones ducillorum Theſaurarius aut per ſuos miniſtros exigit, aut eas plus offerenti locat. *Conſtit. An. 1653. fol. 30. An. 1655. f. 17. ſeq. An. 1658. fol. 12. 13. An. 1667. fol. 60.* Acciſam colligunt Theſaurarii, per certos Qvæſtores in Comitiolis ad hoc negotium electos. *Conſt. An. 1658. fol. 16. & 1659. fol. 16.* Alias qvoqve Contributiones extraordinarias. Exactores à Nobilitate in Palatinatibus, Terris & Diſtrictibus electi, & coram officio caſtrenſi jurejurando certo obſtricti, exigunt, inqve Theſaurum inferunt. *Conſt. An. 1591. fol. 630. qvæ legatur.* Spirituales itidem ſuos habent exactores, per qvos contributiones Theſauro inferunt: Judæi verò per ſuos Scholarchas ab omnibus Judæis, ubicunqve illi habitent, pecuniam exigunt, qvo injunctam ſibi ſummam theſauro juſto tempore inferant. *Vid. Conſtit. An. 1652. fol. 22.* Qvomodo deinde contributiones theſauro illatæ in id, ad qvod indictæ ſunt, impendantur, poſtea Deo annuente nobis dicendum erit. Ex his jam manifeſtum

feſtum eſt, qvænam ſit Regum Poloniæ, circa jus Tributorum & Vectigalium poteſtas.

IX. Pergimus ad jus MONETÆ CUDENDÆ. Olim dubio procul Poloni permutatione rerum utebantur, ſicut & aliæ gentes, apud Ariſtotelem *lib. I. Polit. cap. VI. & lib. V. Ethicorum cap. 8.* Teſtatur id de Polonis Alex. Gvagvinus in Venceslao Rege. *Vid. Corp. Hiſt. Polon. Tom. II. fol 354.* Refert idem Gvagvinus Polonos poſthæc fruſtulis qvibusdam argenti, pellibusqve aſpreolorum ſibi res neceſſarias comparare ſolitos. Inde etiam originem traxiſſe puto Leges illas antiqvas, qvæ, qvando pœnam irrogant, pelles harmelinas & muſtelinas dare jubent judici. Sed audiamus ipſum Regem Caſimirum Magnum hâc de re loqventem apud Joannem Januszovium: *Cum aliqvis*, inqvit ille, *arguit ſententiam Caſtellani Cracovienſis, tunc pelliceam harmelinam, aliàs Gronoſtaiowy, Caſtellanis autem Sendomirienſi & Lublinenſi pelliceas muſtelinas. Judicibus autem Cracovienſi & Sendomirienſi pelliceas mardurinas, ſubjudicibus vulpinas dare teneatur.* Hæc ille An. 1368. apud Januszov. *lib. V. Conſtit. Part. III. tit. 1. fol. 425.* Sic etiam in Lithvania nullam olim fuiſſe pecuniam inde colligere licet, qvod cum Vladislai Laſconogi tempore ſub fin. Sec. XI. Lithvani Ruſſorum agros infeſtarent, & poſtea à Ruſſis victi eſſent,

 juſſi

juſſi ſunt ſubera, reſtes & faſces frondeos, qvibus in balneis gens ea ſudorem provocare ſolebat, tributi nomine deinceps pendere. Neugeb. *lib. III. Hiſt. Polon. in Vladislao Laſconogo.* Primus autem, qvi argenteam monetam, groſſos videlicet Bohemicos in Poloniam invexiſſe dicitur, eſt Wenceslaus Bohem. Rex. *Vid.* Gvagvin. *loc. cit.* Ex Polonis autem Caſimirus Magnus primus more Bohemorum æs & argentum ſignari juſſiſſe; aureos verò nummos Sigismundus I. demum ſignaſſe fertur; tametſi Alexandri Regis etiam aureus nummus viſus ſit, ut ſcribunt Neugeb. *lib. I. Hiſt. Polon. pag. 17.* & Simon Starovolſcius *in Polon. pag. 270.* Verùm hæc non conveniunt cum illis, qvæ ante tempora Caſimiri Magni & Wenceslai Regum feruntur, de Vladislao Sputatore, qvi circa An. 1232. Archiepiſcopo Gneſnenſi & Epiſcopo Poſnanienſi poteſtatem fecit monetam cudendi, ut auctor eſt Cromer. *lib. VIII. non procul ab init. fol. 533.* & Neugeb. *lib. III. in Boleslao Pudico pag. 135.* Ante Cromerum & Neugebauerum eadem ſcripſerat & Joh. Dlugoſſus *ad dict. An. Tom. I. lib. VI. fol. 581.* Qvicqvid autem hujus rei ſit, hoc certum eſt, ſi pecuniam habuerunt antiqvitus Poloni, fuit eam cudendi poteſtas penes Regem, & cui eam poteſtatem Rex ſpeciali privilegio concedebat, ut ex ll. cc. apparet. Poſthæc Vladislaus Jagello pro-

miſit

miſit An. 1422. in Privilegio (qvod habetur apud Januszovium *in lib. Privilegiorum & Interregnorum fol. 8.*) ſe nullam pecuniam ſignari juſſurum, niſi de conſenſu Conſiliariorum. Eadem habentur & in alio Privilegio, ubi hæc verba reperiuntur: *Item promittimus pro inclytis filiis noſtris prædictis, qvod poſtqvam dante Domino unus illorum in Regem electus, ſceptra Regni Poloniæ amplecteretur, monetam ex qvocunqve genere metalli absqve Conſilio & conſenſu ſpeciali Prælatorum & Baronum in Regno Poloniæ cudere non permittet, qvemadmodum nos ſine ipſorum conſenſu & conſilio hujusmodi monetam cudere noluimus neqve cudimus.* In Privilegio III. Vladislai Jagell. apud Januszov. *loc. cit. fol. 15.* Confirmavit hoc Sigismundus Auguſtus An. 1550. apud Januszov. *lib. IV. Conſtit. Part. 1. tit. 12. fol. 371.* Sed hoc non fuiſſe ſeqventibus temporibus obſervatum, conſtat ex Oratione ſupra laudata Adami Konarſcii Epiſcopi Plocenſis ad Henricum I. Regem, in qva *jus cudendæ monetæ ab unius Regis voluntate dependere*, dicit apud Fredr. *in Hiſt. Henrici I. pag. 97.* Donec tandem antiqva illa lex à Sigismundo III. renovata eſt An. 1632. *Vid. Pacta Conventa Vladislai III. fol. 13.* Hæc lex in ſingulorum jam Regum Pactis Conventis repetitur. *Vid. Pacta Conventa Joannis III. §. In Provent.* Cauſam hujus legis à Sigismun-

do

do III. latæ reperimus seqventem: Cum Respubl. Sigismundi III. Regis liberis liberaliter prospexisset, ideò gratitudinis ergò Rex cessit Reipubl. jus cudendæ monetæ, ut habetur apud Stanislaum Kobierzycki Castellanum Gedanensem *lib. XI. de Rebus gestis Vladislai Principis pag. 940.* & Piasec. *ad An. 1632. fol. 525.* Porrò abrogatio monetæ peregrinæ & adulterinæ competit Regi simul cum tota Republica. Jam verò & sub Sigismundo I. illud fuisse observatum, ut nonnisi cum consensu Senatus proscribi posset moneta, discimus ex Januszov. *loc. cit. fol. 372.* Conf. Herburti *Constit. Polon. fol. 78. seqq.* Tandem concessio Juris cudendæ monetæ licet antiqvitus fuerit in solius Principis potestate, Casimirus tamen Jagellonides, cum ad ipsum Prussia transiisset, jam nonnisi cum consensu Senatus concessit jus illud monetæ cum imagine Regia cudendæ Thorunienſibus, Elbingensibus, Gedanensibus & Regiomontanis bello manente. Finito verò Bello, ut Thorunii tantùm & Gedani nomine Regio sumptuqve ea signaretur. Sam. Neugebaur. *lib. VI. Hist. Polon. pag. 339.* Hodiè jure cudendæ monetæ utuntur omnes tres Civitates Prussiæ Regiæ majores, nempè Thorunium, Elbinga, & Gedanum. Et qvamvis de Elbingensibus dubium ex Historia illa Casimiri Jagellonidis moveri posset; videntur tamen illi jus hoc & bello finito, consensu Regis & Reipubl. cum aliis Civitatibus retinuisse. Vidi enim aliqvot nummos, jam An. 1536. & 1540. Elbingæ cusos; attamen Sigismundus I. Rex Poloniæ in Constitutione sua de An. 1539. non facit discrimen Civitatum Prussicarum monetam cudentium, sed omnibus simul injungit, ut, qvoniam in Polonia per aliqvot jam annos nulla moneta est cusa, & Prussicæ Civitates eandem cudere intermittant; aut si eandem secundum Privilegia sua cudere velint, ut antiqva signa eidem imprimant. *Vid.* Herburt. *in Constitut. Polonico idiomate editis. fol. 84. seq.* Probari idem potest & ex Jure Culmensi Reviso, qvo Gedanenses hodiè utuntur. *lib. I. tit. 5. c. 1.* Sed hanc materiam iis, qvibus ad publica tabularia datur aditus, relinqvo tractandam.

X. Qvod ad jus conferendorum Magistratuum attinet, illud Regibus Poloniæ adhuc hodiè integrum ferè competit. *Rex,* ait Piasecius, *supremus meritorum & virtutum cujusqve arbiter, omnes in Republica Magistratuum Officiorum titulos, qvi sunt innumeri, ac plurimi potestatis eminentiâ sublimes, solus confert: Ecclesiastici qvoqve Episcopatus, qvi in illo Regno sunt opulentiores, Abbatias & alios dignitatum in Ecclesiis Pontificalibus potiores gradus non nisi favore Regis adeunt.* Hæc Piasecius *in Chron. fol. 59.* Conf. Cromer.

mer. *in Descript. Poloniæ lib. II. p. 171.* Fredro *in Hist. Henrici I. pag. 97.* Præsertim verò Stanislaus Lubienski *in Monitis de Episcopatu rectè gerendo num. LIII. seqq. & num. LXIV. seq. & alii.* Conf. Pacta Conventa Joannis III. *§. jura Majestatis.* Antiqvitus qvidem plerumqve Episcopi à Pontifice Romano in Poloniam fuerunt missi, qvos è vestigio Rex in Senatum etiam admisisse dicitur, ut supra cap. III. jam dictum est: Sed postqvam Religio Christiana jam esset longè lateqve per hoc Regnum propagata & homines haberi possent è Polonia ad hæc munia obeunda satis idonei, nolebant Capitula extraneum aliqvem sibi à Romano Pontifice obtrudi, ideoqve cum consensu Regum è Capitulo suo Episcopum eligebant. Consensus verò Principum in Episcopis eligendis idcircò reqvirebatur, qvia Princeps in Senatum qvosvis recipere nolebat, qvi ipsi non placebant. Præsertim verò sub Casimiro Jagellonide auctoritas Capitulorum decrevisse memoratur. Hic enim Sacerdotibus iniqvior visus est, adeò ut tum primum vim liberæ Episcoporum Electioni illatam fuisse referant Historici. *Vid.* Neugeb. *lib. VI. pag. 368.* Jam vix umbra Electionis penes Capitula conspicitur. Qvæ turbæ in Prussia propter electionem Episcoporum fuerint sub Casimiro Jagellonide exortæ, testari potest Bellum Sacerdotale Nicolai de Tungen Episcopi Varmiensis, de qvo fusè Schuz. *lib. VIII. Chron. Pruss.* Conf. Thomæ Treteri, vel potius Joannis Crezmeri *Vitæ Episcoporum Varmiensium, qvas Thomas Treterus in Latinum idioma transtulit.* Posthæc certa transactio ea de re inita est inter Sigismundum I. Regem Polon. & Capitulum Varmiense. Privilegium ipsum An. 1512. datum habetur *in juribus Municipalibus Prussiæ lit. E. 3.* Sub finem Seculi superioris cum à Sigismundo III. Andreas Bathoreus Cardinalis esset Episcopus Varmiensis constitutus, reclamavit qvidem Capitulum, sed frustra. *Hujus enim liberæ Electioni opponebantur Regis jura assumendi in Senatum, qvem ex dignitate magis idoneum judicaret,* ait Piasecius *ad An. 1589. fol. 91.* Sic etiam cum & hodiè nonnulli monachorum Conventus sibi jus eligendi Abbates vendicare non vereantur, reperti sunt, qvi hoc jus Regi in Polonia semper competiisse, & adhuc jure competere ostenderunt. *Vid. Auctor qvinqvaginta Singularium circa jura Patronatus.* Qvin & in Conventu qvodam Antecomitiali de An. 1677. Nobilitas Nunciis suis hoc in Instructione injunxit, ut articulum de Monachis, qvi in jus hoc Regium involare audent, in ordinem redigendis, urgeant. Tentarunt qvidem non ita pridem nonnulli hanc Regis potestatem imminuere, sed prorsus irrito conatu. Cum enim Michaël Dux Visniovvieci-

vviecius in Regem Poloniæ eligeretur, voluerunt qvidam, *ut Palatinatus cujusqve Nobilitas in Conventibus qvatuor Candidatos nominaret, Senatorum in Comitiis Regni generalibus pluralitas votorum definiret, cui Princeps dignitatem satrapiæ, aut qvamcunqve aliam conferre deberet.* ait Casimirus Zavvacki in Diario Elect. Michaëlis Regis, cui titulum fecit: *Gloria orti Sarmatico consensu monstrata. lit. E. 3.* Sed addit ibidem: *Utile id in publicum, honestum qva privatim firmandæ liberæ Reipubl. eximium Aristocratiæ arcanum paucorum dissensu, aut malevolentia, seu potius libidine assentationis, dum præsentia conducerent modica imposterum aut nulla asserendæ libertatis cura irritum fuit.* Et postea refert idem Zavvacki, qvosdam voluisse *ne Rex suprema officia Sigillorum Regni, Præfecturarum Exercitus cuicunqve conferre, sine expresso in Comitiis Regni Generalibus Reipubl. judicio & assensu.* Sed addit: *Contraventione* (status hic) *nimio aulæ favori litantium suppressus est, non sine dolore bonorum civium nullis affectibus obnoxiorum. lit. F.* Ex qvibus manifestum est, Regem Poloniæ Magistratus adhuc hodiè creare etiam sine consensu Ordinum, qvamvis de CANCELLARIIS Piasecius referat, Regem eos solum creare non posse, nisi id fiat de consilio Ordinum. Piasec. *in Chron. ad An. 1617. fol. 438.* Idem habet Auctor *Vitæ Petri Kmitæ, qvæ adjecta est Annalibus Stanislai Orichovii pag. 226.* Similia occurrunt & *in Theatro Europæo Tom. IV. fol. 66.* ubi refertur Polonos Illustrissimum Principem Georgium Ossolinium noluisse Cancellarium salutare, qvod, ut dicebant, seipsum insciis Nunciis Provincialibus in Cancellarium elegerat. Idem dicendum esse videtur de PALATINO POLOCENSI cujus liberè eligendi potestatem Nobilitati ejus Palatinatus dederunt antiqviores Reges. Confirmavit hoc privilegium Vladislaus IV. An. 1647. *Vid. Constitut. ejus anni fol. 37.* Idem Privilegium sibi à Michaële Rege confirmari postulabat Nobilitas Palatinatus Polocensis, *Vid. Constit. An. 1670. fol. 57. inter Constitutiones Lithvanicas.* Excipiuntur porrò qvodammodo Succamerarii, ut & Judices, Subjudices, & Notarii Terrestres, qvos Nobilitas in qvovis districtu sibi eligit, ita, ut Rex ex qvatuor electis unum, qvem vult, confirmet. *Constit. An. 1550. fol. 7. & Constit. An. 1588. fol. 460.* In Prussia tamen Succamerarios, ut Consiliarios Prussiæ, solus Rex creat. Excipiuntur deniqve Assessores Summorum Tribunalium, de qvibus agemus, qvando de Judiciis Regni Poloniæ nobis erit sermo. Qvamvis verò in Polonia jus conferendorum Magistratuum sit penes Regem solum; est tamen hæc potestas in qvibusdam limitata. Et qvidem primo in eo, qvod Magistra-

gistratum non possit Rex conferre, nisi Nobilibus Indigenis, & qvidem bona terrestria sive agros possidentibus in illo districtu, ubi Magistratu suo fungi debent. Prius illud, de plebeis & extraneis ad dignitates sive Magistratus Regni non admittendis urgetur etiam in omnibus Pactis Conventis. Posterius illud de iis tantum ad dignitates promovendis, qvi bona terrestria possident in eo districtu, ubi suo officio fungi debent, extenditur ad omnes Magistratus, ut Episcopatus, Palatinatus, Castellanatus, Capitaneatus, aliasqve dignitates Succamerariorum, Vexilliferorum, Judicum, Subjudicum Notariorum tam Terrestrium qvam Castrensium aliorumqve. Marschalcos verò, Cancellarios, Thesaurarios, Duces Belli, aliosqve Magistratus totius alicujus gentis, sufficit habere Bona terrestria in gente ea, in qva funguntur suo Magistratu, qvoniam ipsorum Officia non sunt restricta ad unum vel alterum totius gentis territorium sive districtum. Extant hâc de re Constitutiones Jagellonis, Casimiri Jagellonidis aliorumqve Regum apud Januszovium *lib. III. Constit. Part. V. tit. 1.* Imò jam tempore Ludovici Regis Ottonem Pilecium volebat Nobilitas Præfecturâ Majoris Poloniæ privari propterea, qvod nullas possessiones in majori Polonia haberet, atqve ita contra leges Præfecturam obtineret. Cromer. *lib. XIII. fol. 615.* Neugeb. *lib.*

lib. IV. pag. 214. Propter eandem causam Lithvani noluerunt Bernhardum Maciejovvski admittere ad Episcopatum Vilnensem, qvia non fuit Lithvanus, nec habuit in Lithvania possessiones suas, sed fuit Polonus. Et cum ipsis objiceretur, qvod paulò antè Georgius Radzivilius Lithvanus ad Episcopatum Cracoviensem in Polonia minore vocatus esset, Lithvani se suo jure non aliorum exemplis niti responderunt, qvo etiam approbato Sigismundus III. constituit, *ne similes dignitates in Lithvania nisi nativis Lithvanis conferrentur h.e. qvi jam in Lithvania sua bona terrestria possidebant, anteqvam dignitatem illam adipiscerentur.* apud Piasec. *ad An. 1598. fol. 186. seq.* In Prussia qvoqve ad Dignitates non datur accessus, nisi solis Prussis veris Indigenis *ut habet Privileg. Incorporationis An. 1454. à Casimiro Jagellonide datum, ut & aliud Privileg. eodem anno hac super re concessum inter Jura Municipalia Prussiæ.* Secundo potestas Regia circa magistratus conferendos est etiam qvadantenus limitata in eo, qvod Rex non possit officia Regni vel aulæ suæ vel Districtuum minuere, nec augere, ut habet Constitutio Sigismundi Augusti *de An. 1550. fol. 4.* Et Stephani Regis *de An. 1576. fol. 227.* Idem volunt Pacta Conventa Michaëlis & Joannis III. *§. Dignitarstwa.* Imo jam Sec. XIV. videlicet An. 1374. Ludovicus Rex Poloniæ &

 Unga-

Ungariæ juravit, ſe omnes Dignitates & omnia officia velle in ſuis juribus, prout antea fuerunt, conſervare. Confirmavit hoc deinde Wladislaus Jagello, apud Januszovium *lib. III. Conſtit. Part. V. tit. 1. fol. 298.* Et cum hoc Seculo An. 1616. Sigismundus III. Rex *mortuô Andreâ Bobolâ Cubiculi Regii Præfecto nollet alium in ejus locum officio ſurrogare; (Præſtat hoc cæteris majoribus Magiſtratibus familiaritate Regis) lege demum adactus, quæ ejusmodi officia ſupprimi vetat, tandem alium ſuffecit.* Piaſec. *ad dict. An. fol. 359.* Tertiò in hoc qvoqve Regis poteſtas eſt aliqvantulum reſtricta, qvod omnia officia vacantia intra ſex hebdomadas à die notitiæ promiſerit in alios transferre, & hoc extra tempus Comitiorum. Si verò paulò ante Comitia vel etiam tempore Comitiorum aliqvis Dignitariorum moriatur, tunc Marſchalcus Nunciorum Terreſtrium ſtatim poſt factam in Comitiis Propoſitionem, & deinceps, Regem ſolicitare legibus adigitur, ut Rex dignitates vacantes aliis conferat. *Sic habent Pacta Conventa Vladislai IV. Joannis Caſimiri, Michaëlis & Joannis III. §. Wakancie.* Ante Vladislaum verò Rex extra tempus Comitiorum, intra dimidii anni decurſum hoc facere ſolebat. *Vid. Conſtit. Sigismundi III. de An. 1588. 1607. 1631.* Qvartò Rex etiam lege latâ promiſit, ſe nunqvam Dignitates v. g. Epiſcopatus, Palatinatus, Caſtellanatus, Capitaneatus Filiis aut Nepotibus ſuis, aliisqve ex ſtirpe Regia oriundis collaturum. *Vid. Conſtit. Vladislai Jagellonis An. 1433.* qvod & ante ipſum jam promiſerat Ludovicus Rex An. 1374. *Conf.* Paul. Piaſec. *fol. 524. fin.* Fredro *in Hiſt. Henr. I. pag. 230. & alii.* Si verò contingat, ut conſenſu omnium Ordinum Regis filio vel fratri Epiſcopatus aliqvis conferatur, jurat ille beneficiarius, ſe Epiſcopatum (vel etiam aliam dignitatem) eodem jure poſſeſſurum, qvo illum poſſederant Anteceſſores. Promittit inſuper, ſe munia Regis ſibi non vendicaturum i. e. ſe jus & poteſtatem Regis nominandi, inaugurandi, coronandiqve non uſurpaturum, nec deniqve ſibi prærogativam qvandam præ Archiepiſcopo Gnesnenſi qvæſiturum. *Vid. Conſtit. An. 1633. fol. 17. & An. 1641. fol. 5.* Alia qvoqve Bona terreſtria ſi à Republ. conferuntur Regum agnatis, eodem illa jure poſſident, qvo alii Nobiles. *Vid. Conſtit. An. 1641. fol. 6.* Qvintò reſtricta etiam eſt Regis poteſtas in eo, qvod non liceat ipſi in unam perſonam cumulare plures Dignitates majoris momenti. *Vid. infra cap. III. num. 16. & 17. ubi pluſcula de Incompatibilibus occurrunt. Conf. Pacta Conventa Sereniſſ. Joannis III. §. Wtym ſi e.* Sextò hoc ſe obſervaturum promiſit Joannes Caſimirus Rex circa collationem Magiſtratuum, qvod per qvatuor menſes, videlicet Se-

ptembrem, Octobrem, Novembrem & Decembrem vacantes Capitaneatus & alia officia terreſtria militibus iisqve Nobilibus, benè de Republica meritis habita ratione commendationis à Ducibus exercituum factâ, diſtribuere velit, non præjudicando tamen Electioni terreſtrium Officialium in Comitiolis ſingulorum Palatinatuum & Terrarum. *Conſtit. An.1662. fol.10.* Obligat ſe ſeptimò idem Rex Joannes Caſimirus, qvod Advocatias (Polonicè *Woytoſtwa*) in Urbibus jure advitalitio non niſi benè meritis militibus iisqve Nobilibus, non plebeis, conferre velit. Excipiuntur tamen hic Advocatiæ in Bonis Oeconomicis Regiis ſitæ. Item qvæ ſunt Civitatibus incorporatæ (ut ſunt Lublinenſis, Wſchovvienſis & Sredenſis.) Item qvas Capitanei cum Jurisdictione poſſident. Ut & 10. Advocatiæ, qvas ſibi Rex reſervavit Servitoribus ſuis etiam plebeis conferendas. *Vid. Conſtit. An. 1589. 1607. 1620. 1647. & An. 1662. fol. 15.* Octavo promittit etiam Rex in Pactis Conventis, in Collatione honorum & Dignitatum ſe neminem ſibi privatim jurejurando obſtricturum, neqve ſubmiſſiones ſubſcriptas ab iis exacturum; & ſi cuipiam Dignitatem aliqvam, aliudve præmium propter promotionem ad Regnum promiſerit, ut hoc ſit invalidum & nullum. *Vid.* Pacta Conventa Joannis III. *§. Zeby juſtitia.* Ad extremum

hoc

hoc etiam de Magiſtratibus notandum eſt, qvod alter alteri Dignitatem vel officium ſuum vendere poſſit, ſi Rex conſentiat, ut factum eſt An.1668. cum Illuſtriſſ. Dn. Kraſinius Theſaurarius Regni officium ſuum venderet Illuſtriſſ. Dno. Andreæ in Racibor Morſtinio Referendario Regni nongentis aureis. *Vid.* Diar. Europ. *Continuat. XVIII. pag. 428.* Militibus etiam permiſſum eſt, Advocatias à Rege ſibi collatas aliis Nobilibus vendere, ut habet Conſtitutio *An.1662. fol. 15.*

XI. Ex his ſatis ſuperqve conſtat, magnam eſſe Regis Poloniæ poteſtatem in conferendis Magiſtratibus tam Secularibus qvam Eccleſiaſticis. Qvamvis autem ille Dignitatis benè meritis conferat; non poteſt tamen eas jam collatas auferre pro lubitu malè meritis, niſi ut fiat ex ſententia omnium Ordinum. Probant hoc variæ proſcriptiones Magnatum, qvæ nonniſi conſentientibus Ordinibus omnibus fiunt; Hinc etiam ejusmodi Proſcriptionibus ſubjiciuntur omnium Senatorum & Nunciorum Terreſtrium nomina. Poſſunt autem Reges cum Conſenſu Ordinum Dignitatibus privare non tantum Seculares, ſed etiam Eccleſiaſticas perſonas, ut patuit exemplo cujusdam magni nominis Antiſtitis, qvi non ita pridem per publicum Rotæ Eqveſtris Decretum privatus eſt, loco, dignitate, voce activâ & paſſivâ in Senatu. Bona

Diœceſeos ſeqveſtrata ſunt, deſignatiqve, qvi proventus colligerent, in redemptionemqve captivorum impenderent. Ipſe autem Antiſtes cuſtodiri juſſus eſt in Monaſterio usqve ad Declarationem Pontificis Romani. Sed receptus eſt ille Antiſtes poſtea in gratiam. *Conf. & Conſtit. An. 1635. tit. Forum.*

XII. Qvod alias etiam Dignitates, ſive titulos DUCUM, COMITUM & BARONUM poſſit conferre Rex Poloniæ, de ſententia tamen Ordinum, non videtur eſſe dubium. Exempla horum ſunt in promptu. Ut enim de Alberto Marchione Brandeburgico nihil dicam, qvi Dux Pruſſiæ à Sigismundo I. renunciatus eſt An. 1525. Thuan. *lib. I. Hiſt. poſt med. fol. 19.* Neugeb. *lib. VII. pag. 580.* Certè Sigismundus Auguſtus Rex Gothardum Ketlerum primum Curlandiæ Ducem creavit. Alb. Wijuk Kojalovvicz *Part. II. Hiſt. Lithvan. lib. VIII. ad An. 1561. pag. 449.* Verum qvod jam Rex Poloniæ inter ſuos Subditos nullos creet Duces, Comites & Barones, obſtat Polonicæ Nobilitatis æqvalitas, qva freti Poloni, præſertim Nuncii Terreſtres nunqvam Regi concederent tales Dignitates hæreditarias in qvasdam familias conferre. *Vid. Pacta Conventa Joan. III. ſ. Krewnych.* ubi de æqvalitate Nobilitatis Polonicæ. Sed dabitur infra alius ea de re agendi locus. JURA NOBILITATIS Rex hodiè confert nonniſi cum conſenſu omnium Ordinum, qvod etiam intelligendum eſt de conceſſione JURIS INDIGENATUS. Imò cum antea ſuffecerit jura Nobilitatis & Indigenatûs in ipſis Comitiis generalibus petere conſtituit Sigismundus III. ne qvis impoſterum Indigenatum acciperet, niſi qvi eum petierit in Comitiis particularibus Comitia generalia præcedentibus. *Vid.* Zavvacki *part. I. Conſtit. tit. 8. fol. 49. ſeqq.* Sed hactenus illa non fuerunt obſervata. Elucet illud ex Conſtitutionibus de An. 1673. ubi qvamplures jura Nobilitatis & Indigenatus conſecuti ſunt in Comitiis tantum generalibus partim Nunciis Terreſtribus ipſos commendantibus, partim etiam Ducibus Exercituum, partim etiam Rege ipſo illud urgente. Sereniſſimus etiam Joannes III. illud tantum promittit in Pactis Conventis ſe nemini Jura Nobilitatis vel Indigenatus conceſſurum, niſi fuerit ab Ordinibus Regni & Magni Duc. Lithvaniæ vel etiam à Ducibus Exercituum utriusqve gentis commendatus. *Vid. Pacta Conv. ſ. Cudzoziemcow.* Sed An. 1676. in Comitiis Regni poſt Coronationem Cracoviæ habitis conſtitutum eſt, ut eos, qvi jura Nobilitatis conſeqvi volunt, Rex vel Duces Exercituum utriusqve gentis commendent prius Nobilitati in Comitiolis congregatæ, & in qvem illa conſenſerit, ut ad jura Nobilitatis in Comitiis gene-

generalibus admittatur. *Vid. Conſt. An. 1676. fol. 65.* In Pruſſia verò id à principio ſtrictè fuit obſervatum, ut nemini jura Indigenatus concederētur, niſi qvi ea in Comitiis Pruſſicis ab Ordinibus petierit. *ſecundum Privilegium Incorporationis An. 1454. datum. Conf. & aliud Privil. eod. anno conceſſum inter jura Municip. Pruſſiæ.*

XIII. Porrò jus LEGATOS MITTENDI habuiſſe Reges Poloniæ primis temporibus non eſt, qvod dubitemus; poſterioribus demum temporibus hic ſibi poteſtatem aliqvam arrogare cœperunt Ordines Regni Polonici. Colligere id poſſumus ex Invectivâ Petri Tomitii Epiſcopi Cracovienſis ſub Sigismundo I. Cancellarii Regni, in Nuncios Terreſtres, qvi de mittendis ad exteros Legatis eorumqve mandatis volebant ſibi neſcio qvam arrogare poteſtatem: *Quid*, ait ille, *in Cancellariorum munera vos ingeritis? & cur, qvod non amplius, qvam ne qvid in Republ. ſine vobis decernatur novi, veſtræ ſe extendunt partes, non meminiſtis?* apud Chriſtoph. Varſevicium *in tract. de Opt. Statu Libertatis p. 82.* Tempore Henrici I. Reges poteſtatem Legatos mittendi adhuc habuiſſe integram, docet nos Fredro *in Hiſt. Henr. pag. 97.* Hodiè penes Regem idem jus eſt, niſi de fœderibus, bello aut pace aliisqve rebus ad Rempubl. pertinentibus tractandum ſit, teſte Nicol. Chvvalkovvski *lib. II. cap. 7. pag. 147.* Per Conſtitutionem tamen *An. 1588. fol. 457.* conceditur, ut Rex etiam publicas Legationes mittere poſſit cum conſilio Senatorum in Aula Regis ex lege degentium. Electio autem Legati ſemper fuit penes Regem, qvi eum eligit ex Nobilibus Polonis vel Lithvanis iisqve poſſeſſionatis. Inſtructio Legatis data inter SenatusConſulta ſcribitur, publicèqve in Comitiis generalibus à Cancellariis legitur. Reverſi ab exteris oris Legati Relationem Ordinibus in Comitiis ſcriptam reddunt. Poſtulantibus etiam Ordinibus Legatum oportet jurare, qvod cum exteris Principibus nihil extra ſuam egerit Inſtructionem. *Vid.* Pacta Conventa Joannis III. *§. Totez Waruiemy.* JUS LEGATORUM RECIPIENDORUM, Rex etiam habet. Nam Legatos licet in rebus ad Rempubl. ſpectantibus miſſi ſint, recipit & audit. Chvvalkovvski l. c. In Conſtitutione tamen *An. 1588. fol. 457.* reqviritur, ut cum Senatorum in Aula Regis reſidentium ſcitu illud fiat. Tandem & illud obſervari meretur, qvod poſtqvam An. 1673. Lithvania tertia Comitia Grodnæ celebranda impetravit (qvod etiam confirmatum eſt in Pactis Conventis Sereniſſ. Joannis III. *circa fin. §. Privilegia.*) deinceps ſumptibus etiam ad Legatos Moſcoviticos, Turcicos, Scythicos & Coſacicos tempore Comi-

Comitiorum advenientes, Thesaurus Lithvanicus suppeditare cogatur, qvemadmodum in Regno Thesaurus Regni tempore Comitiorum Warsaviensium impensas hactenus procuravit. *Vid.* Constit. *An. 1673. Conf. &* Chvvalkovvski l. c.

XIV. Verum, ne multi simus in his enumerandis, reliqva breviter percurremus. *De Jure* COMITIORUM *indicendorum* infra dabitur commodior agendi locus. *Jus* VENATIONUM olim penes solos Reges erat, teste Cromero *lib. VIII. in Miecislao Sene fol. 504.* Neugeb. *lib. III. pag. 110.* Et qvidem ne in proprio qvidem fundo qvispiam habuit hoc jus, præter solum Regem, si fides est Cromero *lib. II. Descript. Polon. pag. 129.* Uladislaus verò Sputator Dux Poloniæ primus esse dicitur, qvi jus venandi in sylvis & in Bonis Ecclesiarum suarum concessit Archiepiscopo Gnesnensi & Episcopo Posnaniensi Cromer. *lib. VIII. in Boleslao Pudico fol. 533.* Postea aliis etiam hoc jus communicatum esse videtur, adeò ut tempore Uladislai Jagellonis licitæ fuerint venationes omnibus, ut ex illius Regis Constitutionibus hac de re An. 1423. latis colligere licet. Qvamvis circa Catulos vulpecularum aliud postea constituerit Sigismundus Augustus An. 1557. nempe ut catulos vulpium nemo ex nidis tollere audeat, apud qvem reperti fuerint, pœnæ decem mar-

marcarum puniatur. Itemqve catuli liberè in sylvam dimittantur. *Vid.* Janiszov. *lib. IX. Const. part. III. tit. IV. fol. 1109.* & Theod. Zavvacki *part. IV. Constit. tit. XXII.* Conf. Statut. Lithvan. *cap. 10. art. I. & ult.* Hodiè venationes cuilibet in proprio fundo licitæ sunt. Porrò Rex Poloniæ Sigillum Camerale penes se non habet, sed literis suis ad exteros Reges scriptis publicum Regni sigillum apponit, qvod semper penes Cancellarios manet. Et hæc est una ex Conditionibus, qvæ jam Henrico Valesio fuit proposita, apud Fredr. *in Hist. Henr. pag. 66.* Repetitur eadem in seqventium Regum Pactis Conventis §. *Pieczeci talize.* Præterea Rex Poloniæ terras ad Regnum pertinentes se non alienaturum, sed potius à Regno abstractos recuperaturum promittit in Pactis Conventis. *Vid. Pacta Conv. Michaëlis & Joannis III. §. Pacta & Fœdera.* Terras ad Regnum pertinentes se non alienaturum jam Uladislaus Jagello promiserat, apud Janiszov. *lib. I. part. III. tit. I.* Imò ne de BONIS qvidem MENSÆ REGIÆ, ut vocant, Rex pro lubitu disponit. Nam neqve ea diminuere neqve augere potest. *Vid. Pacta Conv. Joannis III. §. Oeconomicy nad.* Conf. *Const. Ann. 1633. fol. 30.* Eapropter Respublica Henrico Valesio Regi id maximè vitio vertebat, qvod multa de Bonis Regiis contra Statuta Regni Senatoribus con-

concessisset. Fredro *in Hist. Henr. pag. 114.* Qvando itaqve Bona alicui ob magna in Rempubl. ex bonis mensæ Regiæ donantur, fit hoc ex consensu omnium Ordinum. Exempla Vid. in Constit. *An. 1588. fol. 486. An. 1633. fol. 19. An. 1661. fol. 12. An. 1659. f. 58. seq. & alia plurima.* Notum etiam est, legibus cautum esse, ne Rex Bona ad Fiscum Regium jure caducitatis devoluta sibi retineat, sed aliis benè meritis Nobilibus conferat. Piasec. *ad An. 1624. fol. 438.* Licet autem Regi Bona ejusmodi caduca donare cuicunqve voluerit, dummodo sit Nobilis Polonus vel Lithvanus. Sigismundus III. insuper constituit, ne Bona Nobilium devolvantur ad Fiscum Regium, dum adsunt Consangvinei usqve ad octavum gradum inclusivè, sive illi sint masculi, sive fœminæ An. 1588. *Vid.* de his omnibus Janušzov. *lib. I. part. I. tit. 10. fol. 130. seq.* Si verò Regi vel Reginæ condigni desunt proventus ex Bonis mensæ Regiæ vel Reginalis, solent Ordines in Comitiis concedere, ut ex bonis vacantibus, vel caducis sumptus addantur ad tempus. *Vid. Constit. an. 1649. fol. 7.* Tandem Rex Poloniæ nemini FEUDUM confert inconsultis Ordinibus. Hinc expostulationes Ordinum cum Rege Uladislao IV. An. 1639. qvod inscüs Ordinibus tale qvid ausus sit. *Vid.* Theatr. Europ. *ad dict. an.*

XV.

XV. Consideratis juribus Majestatis jam progredimur ad ea, qvæ Privatorum etiam Libertatem non excedunt, Reges tamen Poloniæ & bonum publicum in illis secundum Leges & Statuta Regni sese omnia suscepturos in Pactis Conventis aliisqve Constitutionibus promittunt. Non potest Rex per leges & Constitutiones Regni Conjugium contrahere inconsulto Senatu. *Vid.* Stanisl. Lubienski *lib. I. de motu Civili fol. 23. Operum.* Olim qvidem Duces Poloniæ sine dubio conjugia contrahebant pro lubitu, nisi qvod aliqvando svasu & rogatu Senatus cum finitimis Principibus affinitatem contraxisse dicantur, ut de Casimiro I. refert Cromerus *lib. IV. fol. 451.* Neugeb. *lib. III. pag. 59.* De Boleslao II. Audace, Cromer. *lib. IV. fol. 456.* Neugeb. *lib. III. pag. 63.* De Uladislao Hermanno Cromer. *lib. V. fol. 462.* De Boleslao Crivousto Cromer. *lib. V. fol. 470.* Neugeb. *lib. III. pag. 78.* De Wenceslao Cromer. *lib. XI. fol. 578.* Neugeb. *lib. III. pag. 175.* Hæc exempla propterea adducimus, ut ostendamus falsum esse, qvod Franciscus Marinus prodidit, Uladislaum Jagellonem primum de amplissimi Senatus sententia uxorem sibi adscivisse. *lib. de scopo Reipubl. Pol. cap. 12. pag. 275.* Allegat qvidem pro sua sententia lib. V. Cromeri; sed ibidem in principio libri loqvitur Cromerus de Uladislao Herman-

manno, de qvo tamen non dicit, qvod primus hoc fecerit, aliàs sibi ipsi non constaret, ut ex locis allegatis patet. Uladislaus autem Jagello primus eâ lege admissus est ad Regnum, ut Hedvvigem Ludovici Regis filiam uxorem duceret. Cromer. *lib.XIV*. Neugeb. *lib.V. pag.229*. Et cum defuncta Hedvige Jagello Elisabetham Pileciam Ottonis qvondam Palatini Sendomiriensis filiam, complurium virorum thoros expertam, à qvodam Moravo prius raptam, ab alio deinde Moravo huic ereptam, tandem Vincentio Granovio Castellano Naclensi nuptam, uxorem duxisset; tùm reclamari cœptum est à qvibusdam Magnatibus huic conjugio Regis. Neugeb. *lib. V. pag. 265. & 271.* Tandem superiori Seculo cùm Sigismundus Augustus inconsulto, imò etiam reclamante Senatu Barbaram Radziviliam matrimonio sibi junxisset, coactus est An. 1548. lege cavere: *Ne Regibus postea liceret, conjugium contrahere inconsulto Senatu.* Vid. Janusżov. *lib. I. Const. part. I. tit. 6. fol. 20.* Repetitur ea lex in singulorum Regum Pactis Conventis, *§. Strony Malzenstwa.* In Serenniss. Joannis III. Regis Pactis Conventis, qvoniam ante Electionem jam conjugem habebat, omissus est hic articulus. Ob neglectam hanc legem magni aliqvando tumultus orti sunt in Polonia. *Vid.* Piasec. *ad An. 1592. fol. 113. seq. & fol. 588.* Stanisl. Lubienski *lib. I. de motu Civili.* Ex qvibus jam patet Regem Poloniæ verè posse sibi applicare illa verba personati Meleandri Regis apud Barclajum: *Privatorum est*, ait ille, *ex amicitiæ affectu vel morum concordia eligere matrimonia. Nobis ea svavitas exuenda est. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexuum jura, omnisqve sangvinis charitatem inhumana necessitas negligat. Charissimus esse solet, qvi utilitate præcipuâ potentiam nostram alit & affinitatis pulcherrimæ censentur, qvæcunqve Regnum stabiliunt.* Hæc ille apud Barclajum *lib. III. Argent. cap. 15.*

XVI. Præterea Regibus Poloniæ non conceditur *Agros proprios*, sive Bona hæreditaria in Regno possidere, qva de re non ineleganter differit Illustriss. Fredro, cujus verba hic adscribemus: *Antiqvis*, ait ille, *institutis Reges nobis sunt summi honorum & munerum arbitri. Providit vero Respubl. ne honores utriusqve Status, tùm Beneficia agrorum in Regiam prolem præterqvam ab Auctoritate Reipubl. distribuantur. Ne si fœcundior regnantis thori accidat genitura & optimi qviqve census publici Regum Natis asserventur, tantis impingvati proventibus potentiam qværant intra Rempubl. qvâ commodissima ambitioso ad purpuram sternitur via. Verum adest alter metus* excre-

excretura in Regia civili domo formidabilis potentia, si liceat Regi Bona Civium trahere in hæreditatem domus. Ea enim qvâ valent Reges opulentiâ, emptis in possessionem opportunioribus instaurandæ potentiæ castris, qvod Electionis viâ modo qværitant regnum, emptione haberent hæreditarium. Idqve suspicabatur Respubl. cum Constantia Regina posterior conjux Sigismundi III. Regis agrum Ziwiecensem ad fines Silesiæ & Hungariæ situm DC. millibus florenorum nostratium à Joanne Konarskio emerat. Cavit enim inposterum, ne esset potestatis regiæ Domus qværere intra Regnum hæreditatis terras. Hæc & alia Fredro *in Hist. Henr. pag. 230.* Ex ea causa Sigismundus III. constituit in Comitiis, ut Zivviecensem illum Comitatum à Regina cuivis Nobili redimere liceret. Piasec. *ad An. 1624. fol. 438. & An. 1631. fol. 502.* Ob eandem causam & jam ante Anna Sigismundi I. filia & Stephani Regis conjux anteqvam coronaretur, & uxor Regis esse declaretur, juribus matris suæ Bonæ in qvibusdam Regni Poloniæ, Lithvaniæ & Masoviæ fundis renunciavit, apud Joan. Demetr. Solikovium *in Commentar. pag. 66.* Qvi hodie vivit Rex Sereniss. Joannes III. Capitaneatus suos hæreditarios consensu Ordinum omnium retinet ad dies vitæ suæ & Sereniss. Reginæ, ita tamen, ut eos Nobilibus æqvalitate juris & pœnæ gaudentibus tradat gubernandos.

Post fata verò Regis & Reginæ, ne eosdem Capitaneatus seqventes Reges adjungant Oeconomiæ, sed ut eósdem, non secus atqve alios Capitaneatus benè meritis conferant. *Constit. An. 1676. fol. 24.*

XVII. Sed & in hoc potestas Regum Poloniæ restricta est, qvod ipsis ne pedem qvidem liceat extra limites Regni sui efferre, sine consensu Ordinum. Et hæc qvoqve causa est, cur Henricus Valesius Rex clam è Polonia discesserit in Galliam nemine ex Polonis consulto. *Ocyus enim ipsum adesse in Gallia res reqvirebat, ut verò inde abiret obstabant Leges, qvæ vetant Regem fines egredi præterqvam à Consensu Ordinum,* ut ait Fredro *in Hist. Henrici I. pag. 116.* Et Sigismundus III. Discessum in Sveciam ægrè impetravit, idqve nonnisi cautione de reditu intra annum interpositâ, & qvod semper in Polonia post reditum residere vellet apud Piasec. *in Chron. ad An. 1593. fol. 118.* Qvid actum sit in Senatu Regni Poloniæ ob profectionem Uladislai IV. in Prussiam Ducalem, qvæ tamen tunc temporis feudum erat Poloniæ. *Vid.* Theatr. Europ. *ad An. 1639.* Hinc An. 1641. Rex Uladislaus lege cavere voluit, neqve se, neqve suos successores, sine consensu omnium Ordinum extra fines Regni profecturos. Videatur Const. *An. 1641. fol. 4. seq.*

XVIII. Qvod ad ministros Aulæ Regiæ

 attinet,

attinet, id Poloni summo studio curant, ne Rex exteros sibi ministros adjungat; sed ut omnes Aulæ Regiæ ministri sint Poloni, vel Lithvani. Cavetur idem in Capitulationibus singulorum Regum. Primus etiam Minister Aulæ Regiæ jurat non Regi tantùm, sed & Reipubl. coram Senatoribus, ut & coram Officialibus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ. Omnes etiam Ministri Aulæ Regiæ subsunt Jurisdictione Marschalci Regni. *Vid. Pacta Conventa Joannis III. §. Dworstanowi Nasszemu.* Summum qvoqve Præsidiariorum Regiorum Præfectum, sub Jurisdictione Marschalcorum utriusqve gentis fore promisit Uladislaus IV. *in Const. An. 1646. fol. 3.*

XIX. In CONSULTATIONIBUS qvomodo sese Reges in Aula sua, & in Comitiis Regni Generalibus gerant, alibi dicendi erit locus. Nunc tantum notâsse sufficiat Reges Poloniæ in Pactis Conventis promittere, id se curaturos, ne Serenissimæ Reginæ sese negotiis Status Reipubl. immisceant. *Vid. Pacta Conventa Sereniss. Michaëlis & Joannis III. §. Warujemy za.*

XX. Tandem ut tribus, qvod ajunt, verbis eorum etiam mentionem faciamus, qvæ singuli Reges Ordinibus pro ratione Circumstantiarum promittunt. Illa sunt ferè ejusmodi: Qvod velit Rex unum vel plura Fortalitia condere: Scholam Eqvestrem Craco-viæ, vel alibi, instituere: Podoliam, vel etiam alia loca ab hostibus erepta recuperare: ut Cosaci in Obseqvio Reipubl. conserventur curare; Aliqvando etiam prætensiones suas, qvas habent in Regnum, remittunt Reges, & qvæ sunt reliqva talia.

XXI. Hæc omnia, qvæ hactenus enumeravimus, Poloniæ Reges jurant sanctissimè sese observaturos. Et si illa non observaverint, eo ipso solvunt Incolas juramento sibi præstito. Sic enim habent ultima verba jurisjurandi Regii. *Et si (qvod absit) in aliqvibus juramentum meum violavero, nullam mihi incolæ Regni, omniumqve Dominiorum uniuscujusqve gentis obedientiam præstare debent. Imo ipso facto eos ab omni fide & obedientia Regi debita liberos facio, absolutionemqve nullam ab hoc meo juramento à qvoqvam petam, nec ultrò oblatam accipiam, sic me Deus adjuvet.* Hoc jusjurandum non tantùm singulis Actis Electionis Regum inseritur, sed etiam in Pactis Conventis Michaëlis & Joannis III. Regum constituitur, ut in singulis Regni Comitiis jusjurandum Regium, ut & Pacta Conventa summariè collecta in Senatu primo statim die legantur. *§. Przysiega nasza.* De hoc jurejurando, utpote qvod licentiæ frena laxare videtur, conqveritur Senator qvidam magni nominis, apud Fredr. *in Hist. Henrici I. pag. 110.* qvæ omninò legi digna sunt.

ſunt. Viderunt hoc & alii Regni Polonici Proceres, ideoqve Declarationem hujus jurisjurandi aliqvoties ediderunt. *Vid.* Januſzov. *lib. Privileg. fol. 108.* Tandem An. 1607. & 1609. Declaratio illius articuli de obedientia non præſtanda prodiit, qvæ in hunc ferè modum ſe habet: *Si qvis Nobilis, ſive ſit ex Ordine Senatorio, ſive non, viderit aliqvid violenter Regem egiſſe, vel adhuc aliqvid committere velle contra jura & Privilegia Regni, debebit hoc indicare ſive Archiepiſcopo, ut Primati, ſive Senatoribus ex Conſtitutione in Aula Regis degentibus* (vid. cap. de Comitiis) *ſive etiam aliis Senatoribus. Tùm Senatores, ſive omnes, ſive aliqvis ex ipſis ſeorſim Regem monere debebit. Si Rex hoc flocci fecerit, licitum erit unicuiqve ex Senatoribus, imò etiam illi Nobili qvi hoc primus indicavit, illud ad Comitiola deferre, & Nunciis hoc injungere, ut Rex nomine Nobilitatis moneatur, ut deſiſtat à propoſito legibus patriis adverſo. Qvod ſi Rex ad ſecundam Admonitionem ſententiam non mutet, licebit rem ad omnes Ordines deferre. Si neqve poſt tertiam admonitionem Rex reſipiſcat (ſufficienter tamen illi demonſtrari debet, qvod hac ratione vis inferatur à Rege Privilegiis) tùm demum debent Ordines ſeſe gerere ſecundum articulum de non præſtanda obedientia.* Vid. Theod. Zavvacki *part. I. Conſtit. fol. 16. ſeq.* Cum itaqve Rex dicto modo in devium Legis abit, tùm *Primas Regni* poteſtatem habet Senatum convocandi, & cum Ordinibus Regem in viam revocandi. *Vid.* Fredro *in Hiſt. Henr. I. pag. 3.* Exemplum ejus rei vide apud Piaſecium *ad An. 1590. fol. 95.*

CAP. III.

De Senatu Regni Poloniæ.

I.

QVos primi Regni Polonici Conditores Conſiliarios habuerint, ignotum eſt, niſi qvod ſuſpicari liceat, forſan XII. Palatinos (Polonicè Palatinus dicitur *Woiewoda*) ab initio fuiſſe conſtitutos, ut non ſolum Poloniæ, tùm temporis in XII. forſan Provincias diſtributæ, præſiderent, eamqve contra hoſtes defenderent (unde etiam *Woie-*

Woiewoda Polonis dicitur qvasi *Woiny Wodz* i. e. Belli Dux) sed etiam ut Principis essent Consiliarii. Nam extincto Lecho Principe ad XII. Palatinos devolutum fuit Imperium, usitato forsan sub Principe Consiliariorum numero; aut ad minimum postea electo Craco Principe, idem numerus Palatinorum mansit, qvi antea fuerat in Statu Aristocratico, ut qvidam opinantur. Cum autem non iidem perpetuo fines Poloniæ fuerint, sed accisi aliqvando, rursusqve prolati sint, non eadem regionum distinctio, nec idem Palatinorum numerus mansit. Joan. Dlugossus *lib. I. f. 57.* Cromer. *lib. II. de Ort. & Reb. gest. Polon. fol. 420.* Neugeb. *lib. II. Hist. Pol. pag. 42.* Conf. Illustriss. Andreas de Pilca Corycinius Castellan. Vislicens. *in Perspectiva Politica cap. I. pag. 16.*

II. Cum verò Sec. X. post Christum natum dispulsis Ethnicismi tenebris Princeps Polonorum MIECISLAUS Christianam Religionem suscepisset, ut eandem per totum suum Principatum felicius propagaret, instituisse dicitur, ut volunt recentiores Polonicæ Historiæ Scriptores, *duos Archiepiscopatus*, videlicet Gnesnensem, & Cracoviensem, qvi postea in Episcopatum conversus est. Et *septem alios Episcopatus*, nimirum Posnaniensem, Plocensem, Smorogoviensem (qvi postea Bycinam, & tandem Vratislaviam à Casimiro

ro I. Rege Sec. XI. translatus est) Crusviciensem, qvi An. 1173. à Boleslao Crispo Vladislaviam sive in Pomerelliam translatus est; Culmensem in Prussia; Lubussensem in hodierna nova Marchia; & Caminensem in Pomerania. *Vid.* Joan. Dlugossus *Tom. I. lib. II. fol. 92.* & in Tractatu *de Episcopis Posnaniensibus.* Consentit cum Dlugosso, qvoad cæteros Episcopatus Cromerus, solum Episcopatum Culmensem excipit, qvem à Conrado demùm Masoviæ Duce circa An. 1226. conditum esse probat. *lib. II. Hist. Pol. fol. 434.* Nos de Caminensi etiam non immeritò dubitamus. Nam in seqventium temporum Historia ejus fieri mentionem non invenimus. Error hic inde forsan fluxit, qvia Dlugossus audiverat, aliqvando Pomeranicum Episcopum in ditione Polonorum fuisse, nullum autem alium suo tempore in Pomerania reperiri viderat, qvam Caminensem, ideò putavit hunc ipsum Episcopatum à Miecislao esse institutum. Nos autem à Dithmaro Mersburgensi aliud edocemur. Tradit ille Episcopum Cholbergensem ab Ottone III. Imp. fuisse Gnesnensi Archiepiscopo, ut Metropolitano subjectum. *lib. IV. Chron. pag. 83. & lib. VII. pag. 228.* Qvi tamen Episcopatus ad breve tempus duravit, Pomeranis tunc temporis adhuc gentilibus Christiana sacra respuentibus. Neqve illud dubio caret, qvod de duobus Archiepisco-

ſcopatibus, Gneſnenſi videlicet & Cracovienſi, dicitur. Nam ipſe Cromerus teſtatur antiqvum qvendam rerum Polonicarum Annotatorem magis qvam Scriptorem tradere, non Archiepiſcopum, ſed Epiſcopum tantum Cracoviæ fuiſſe inſtitutum. *Vid.* Cromer. *lib. II. fol. 434.* Eſt hic Annotator ſine dubio Basko Cuſtos Poſnanienſis (cujus Hiſtoria nondum typis exſcripta eſt, licet ejus editionem promiſerit Editor Vincentii Kadlubkonis) ex qvo idem referunt alii. Non minus etiam de tempore Inſtitutionis horum Epiſcopatuum diſceptatur. Nam Dithmarus Merſburgenſis, qvi circa eadem tempora vixit, dicit Archiepiſcopatum Gneſnenſem non tempore Miecislai, ſed Boleslai I. ab Ottone III. Imp. Poloniam ingreſſo conditum, eiqve Cholbergenſem, Cracovienſem, Vratislavienſem Epiſcopatus eſſe ſubjectos, excepto Epiſcopatu Poſnanienſi *lib. IV. pag. 84.* Neqve prorſus ab his diſſentit Vincentius Kadlubko Scriptor Polonicus, qvi Sec. XII. ſub Caſimiro juſto floruit. Hinc enim de Boleslao I. refert, *qvod geminam metropolin* (ubi forſan Gneſnenſem intelligit, & Poſnanienſem, qvam Dithmarus dixerat non fuiſſe ſubjectam metropolitano) *inſtituerit, & debitas ſuffraganeorum Diœceſes utriqve deputaverit.* Vid. *lib. II. Chron. Polon. epiſt. 11.* Et Commentator Kadlubkonis, qvi circa An. 1440. ante Dlugoſſum

goſſum vixit, qvamvis dicat ſub Miecislao *Jordanum qvendam in Epiſcopum Poloniæ & Epiſcopum Cracovienſem fuiſſe inſtitutum, cæterosqve Epiſcopatus in Polonia per Dambrowkam Miecislai conjugem diſpoſitos.* Vid. *in lib. II. epiſt. 9.* Poſtea tamen ſupradictorum oblitus, dicit *de Boleslao I.* qvod ſeqventes Cathedrales Eccleſias inſtituerit. *Poſnanienſem, qvam primo fundaverat, in cujus medio Eccleſiæ tumulatus qvieſcit. Gneſnenſem, poſt Maſovienſem, qvæ nunc Plocenſis dicitur, Cracovienſem, Wratislavienſem, Lubuſſenſem & Kujavienſem, qvæ nunc Vladislavienſis nuncupatur.* Hæc ille in *lib. II. epiſt. 11.* Ex his jam qvatuor concludi poſſe videntur. I. qvod Poſnaniæ, non Cracoviæ fuerit metropolis conſtituta. Hoc enim non tantum Dithmarus Auctor σύγχρονος aſſerit, ſed idem etiam ex Commentatore Kadlubkonis elicitur. Qvoniam enim Boleslaus hanc Eccleſiam primo condidit, in eaqve ſepeliri voluit, admodum veriſimile eſt, eandem fuiſſe metropolin conſtitutam. Ex hac etiam ratione eam primo loco ante Gneſnenſem nominat. II. Qvod Archiepiſcopatus Gneſnenſis ſub Boleslao I. demum ſit erectus, ut cum Dithmaro aſſerunt Kadlubko & Commentator ejus, qvamvis hic poſterior ſibi non conſtet, niſi dextrè explicetur. III. Qvod illud ſit dubium, qvod Dlugoſſus, & cum eo Cromerus, de translatione

ne Episcopatus Smorogoviensis Bycinam, & Bycinensis Vratislaviam refert. Nam Dithmarus, qvi eodem illo tempore vixit, jam suo tempore, adeoqve ante Casimirum I. sub qvo translatio illa facta esse dicitur, Vratislaviensem Episcopatum fuisse dicit, cum qvo etiam Kadlubko consentit. Possumus forsan dicere, Episcopum Vratislaviensem primis illis temporibus sedem suam habuisse Smorogoviæ & deinde Bycinæ, Ecclesiam verò Cathedralem statim ab initio Vratislaviæ habuisse. IV. Qvod Culmensis & Caminensis Episcopatus neqve à Miecislao neqve à Boleslao I. Chrobri sint conditi, cùm horum nemo veterum faciat mentionem, notum etiam sit aliàs ex Historiis, qvinam illorum Episcopatuum sint Conditores. Non est igitur, cur Illustriss. atqve Reverendiss. Dn. Stanisl. Lubienski Episcopus qvondam Plocensis Dithmarum Mersburgensem hac de causa adeò insectetur, prout facit *in Præfatione ad lib. de Episcopis Plocensibus.* Qvicqvid tamen ejus rei sit, Episcopos illos à primis Principibus Christianis statim fuisse ad Consilium Principis admissos, contendit laudatus Stanisl. Lubienski. *Ut Episcopi,* inqviens, *in Polonia, majori cum dignitate rem Ecclesiasticam gerere & Reipubl. consulere possent, amplissimas unicuiqve possessiones una cum Ducalibus juribus, ac primo supra omnes Principes, qvi tum in Polonia reperiebantur in publico Consilio & consessu Comitiali locum jure perpetuo contulit.* Lib. *de Vitis Episcoporum Plocensium sub Angelotto I. fol. 310. Operum.* Alibi Lubienscius longius progressus, primis temporibus solos Episcopos ad Consilium Regis fuisse adhibitos testatur; postea verò Seculares qvoqve accessisse refert. *In Tractatu de recte gerendo Episcopatu num. 122. seqq. fol. 289. seqq.* Licet verò hoc non repugnet moribus eorum temporum, qvibus soli ferè Episcopi erant eruditi, & hinc ad Consilia maximè apti; nec intentioni Pontificis Romani, qvi iis temporibus ex Italia Polonis mittebat Episcopos; ex Historicis tamen Polonicis facilius probare possemus, primos illos Episcopos ad Consilium Regis planè non fuisse admissos, solis Secularibus hoc dignitate fulgentibus. Nam Boleslaus I. Chrobri duodecim usus est Consiliariis (qvod nos de Palatinis intelligimus) uti testatur Vincent. Kadlubko *lib. II. epist. 10.* Addit his Cromerus *qvos eosdem Consiliarios, qvoties animum remittere volebat, una cum uxoribus ipsorum mensæ suæ & convivio adhibuerit. lib. III. fol. 444.* Neugeb. *lib. III. pag. 54.* Qvæ certè Episcopis non conveniunt, qvorum tantum, ut Lubienscius cum aliis recentioribus vult, fuerunt novem, iiqve cœlibes. Et qvamvis multa Cromerus habeat de honore Episcoporum, qvo ipsos Boleslaus ille affecit, nullum tamen

tamen verbum habet de eo, qvod ad Consilium ipsos adhibuerit, qvod certè, ut Episcopus ipse, non omisisset, si qvid hac de re in antiqvis monumentis reperisset. Objicit tamen sibi Lubienscius l. c. nomen Palatinorum vetustius esse qvàm Episcoporum, adeoqve Palatinos videri prius adhibitos esse ad Consilium Regis, & respondet sibi, Palatinos tum fuisse Duces Belli, non Senatores Regni. Sed hic facilis est responsio. Si enim antea Palatini non tantum fuere Duces Belli cum Aristocraticè Respubl. Polonica ab iis administraretur, dici vix potest, qvod postea tantum fuerint Duces Belli sub Ducibus ipsis. *Mansit enim deinceps etiam sub Principibus & Regibus manetqve in hanc diem is sive honor, sive Magistratus.* ait Cromer. *lib. II. fol. 420.* Licet autem facilius nostra qvam Lubienscii sententia possit ex Polonicis Scriptoribus probari, non negamus tamen præfractè, Episcopos in Consilio Regio Secularibus Senatoribus, vel statim ab initio receptæ Religionis Christianæ, vel etiam paulo post, forsan post occisum S. Stanislaum Episcopum Cracoviensem, fuisse adjunctos, dummodo hoc obtineamus, non solos Episcopos illis temporibus Senatum Regni constituisse, qvod Lubienscius asserebat.

III. Post interfectum à Boleslao II. Audace Stanislaum, & *post abrogatum Boleslao Regnum,* ut vult iterum Lubienski, *Proceres Regni obtinuerunt, ut cum olim soli Episcopi Senatoriâ dignitate fulgerent, paucique alii ad id muneris arbitrio Regum adsciscerentur, deinceps per omnes districtus & Regiones Senatores majores & minores, qvi & in Provinciis jus dicerent, & Regi judicanti, ne omnia arbitratu suo faceret, qvasi libertatis custodes & Conservatores adhiberentur.* Hæc Lubienski *in Vita Stephani Episcopi Plocensis fol. 324. fin.* Sed de Senatoribus majoribus per qvos sine dubio intelligit Palatinos jam contrarium probavimus; De Castellanis, qvos minores Senatores hic appellat, fidem ipsi facilè haberemus, si sententiam suam ex aliqvo antiqviorum probasset. Aliàs probabile esse dicimus, Boleslaum Chrobri, cum militandi rationem per regiones descripsisset, Palatinisqve hoc munus commisisset, ut Cromerus *lib. III. Hist. fol. 445.* testatur, statim etiam Vicarios Palatinorum, nempe Castellanos, qvibus tum cura Castellorum fuit commissa, constituisse. Non tamen iterum negamus exacto Boleslao Audace, Senatores hos majorem sibi potentiam acqvisivisse. Ex eo etiam tempore jam crebra fit mentio Palatinorum CRACOVIENSIS, SENDOMIRIENSIS, PLOCENSIS, POSNANIENSIS, SIRADICENSIS &c. ut & Castellanorum plurium. Per eadem tempora in Cujaviensi tractu, unum tantum fuisse Pala-

Palatinum, nempe GNIEWKOVIENSEM, qvi post tempora Vladislai Jagellonis divisus est in BRESTENSEM & INOWLADISLAVIENSEM testatur Bartholomæus Paprocki *lib. de Insign. Nobilitatis Polonicæ fol.708.* Anno deinde 1264. Boleslaus Pudicus devictis Jazygibus EPISCOPAM LUCENSEM sive Lucæoriensem condidit, aut aliqvanto post. Cromer. *lib. IX. fol.556.* Neugebauerus verò dicit conditum esse hunc Episcopatum sub Ludovico Rege *lib.III. pag.155.* Qvæ sic conciliantur. Antea à Pontifice Romano Regi fuit injunctum, ut Jazygibus daretur Episcopus, qvæ Episcopa postmodum fuit à Ludovico condita. Circa eadem tempora in Pomerellia duos fuisse Palatinos nempe GEDANENSEM & SVECENSEM, docemur à Neugebauero *lib. III. Hist. Polon. pag. 108.* Eodem illo tempore Silesiâ à Regno Poloniæ abstractâ, Senatores etiam Silesiaci fuerunt abstracti, ut EPISCOPUS VRATISLAVIENSIS. Item VRATISLAVIENSIS, GLOGOVIENSIS, CROSNENSIS Palatini & Castellani. Fuisse namqve dictis in locis antea Palatinos & Castellanos, patet ex Lubienscio *fol.166. fin.* Cromer. *lib. VIII. fol. 548. &* *lib.II. Descript. Polon. pag. 136.* Neugeb. *lib. III. pag.142. & pag. 128.*

IV. Circa An.1340. Casimirus cognomento Magnus Rex Poloniæ Leopolim, totamqve Russi-

Russiam Imperio suo subjecit, ibidemqve Palatinos, Castellanos &c. Polonico more instituit. Neugeb. *lib. III. pag. 200.* Et tum sine dubio creati sunt RUSSIÆ, LEOPOLIENSIS, SANOCENSIS aliiqve Russiæ meridionalis Palatini & Castellani. *Vid.* Neugeb. *lib.III. pag.203.* Cromer. *lib. XII. fol.599. seqq.* Idem Casimirus Magnus subactâ Russiâ ARCHIEPISCOPATUM LEOPOLIENSEM condidit. Circa eadem tempora Olgierdus Magnus Dux Lithvaniæ PODOLIAM Tartaris eripuit, ibiqve postea, si fides est Kojalowicio, Palatinatum condidit. *Vid. supra qvæ diximus lib. I. cap. 9. num.10.* Si verò tunc nondum fuit Palatinatus ille conditus, non longè tamen post ea tempora illud factum esse à Magnis Ducibus Lithvaniæ necesse est. In fine Sec. XIV. instituit Ludovicus Rex Poloniæ & Hungariæ duos Episcopatus in Russia, nempe PRÆMISLIÆ & VLADIMIRIÆ: HALICIÆ verò Archiepiscopatum, ut vult Dlugossus. Sed si prius Leopoli metropolis fuit constituta, qvemadmodum ipse Dlugossus refert, Episcopalem sedem Haliciæ constitutam fuisse oportet, ut Cromerus concludit hac de re ita scribens: *Ego initio Leopoli Episcopalem Cathedram regnante Casimiro institutam fuisse dixerim. Neqve enim Archiepiscopus unqvam instituitur, qvi nullum in ditione sua Episcopum habeat, sicut tunc in Russia*

sia nullus fuit. Sed cum Ludovici opera plures Episcopi fierent, Metropolim Haliciæ constitutam esse, quæ postea Leopolim translata sit, Episcopatu Cameneciam translato. Hæc Cromer. *lib. XIII. de Ort. & Reb. gest. Polon. fol. 619. & seq.*

V. In fine Sec. XIV. circa An. 1384. magna ad Senatum Polonicum facta est accessio, cum Jagello Magnus Dux Lithvaniæ, susceptâ Religione Christianâ, factus esset Rex Poloniæ. Tunc enim Nobilitatem Lithvanicam, ut eam facilius ad Christianam Religionem suscipiendam alliceret, iisdem donavit Privilegiis, qvibus gaudebant Poloni. Instituit etiam EPISCOPATUM VILNENSEM cui præposuit Andream Vasilonem. *Vid.* Alb. Wijuk Kojalovvicz *Part. II. Hist. Lithvan. lib. II. pag. 91. & 94.* Instituit etiam alios in Magno Ducatu Lithvaniæ Senatores more Polonico, ut VILNENSES & TROCENSES Palatinos & Castellanos. Neugeb. *lib. V. pag. 263.* Successu temporis & plures Palatini Castellaniqve videntur in Lithvanico imperio fuisse constituti. Id enim facturum se promiserat Jagello, apud Januszov. *lib. X. Constit. Part. I. tit. 1. pag. 747.* qvo forsan pertinent BRESCIANENSIS, MINSCENSIS, NOVOGRODENSIS *Palatinatus*, ut & CAPITANEATUS SAMOGITIÆ. Posthæc augescente in dies in Lithvania & Samogitia credentium cœtu,

cœtu, constitutus est à Vitoldo Jagellonis Patruele (in jurejurando Regio appellatur frater Jagellonis) EPISCOPUS MEDNICENSIS sive *Samogitiæ*. Primus Episcopus fuit, nomine Matthias, natione Lithvanus, cui Pontificatus à toto Senatu Lithvanico confirmatus est in Comitiis An. 1420. Kojalovvicz *Part. 2. lib. II. pag. 111. seqq.* Eodem tempore Vitoldus Magnus Dux Lithvaniæ SMOLENSCUM, VITEPSCUM, POLOCKUM, PLESCOVIAM, NOVOGARDIAM MAGNAM subegit, ubi sine dubio, præsertim in tribus prioribus locis Palatinos & Castellanos instituit. In posterioribus duobus locis Præfectos fuisse legimus: an verò illi ad Senatum pertinuerint, mihi non liqvet. Verum etiamsi tunc Lithvanicus Senatus cum Polonico esset conjunctus; ob litem tamen Polonorum Lithvanorumqve de Volhynia & Podolia, aliaqve Russiæ meridionalis loca, (qvas Provincias utraqve gens sibi vendicabat) raro, & tantùm ferè per Legatos interesse solebant Comitiis Polonicis Lithvani. Imò Anno 1451. Lithvani planè renunciarunt fœderi, cum Poloni nollent dictas Provincias Lithvanis restituere. Kojalovvicz *Part. 2. lib. V. pag. 211.* Seorsim itaqve Senatum Lithvanicum constituebant *Vilnensis* & *Samogitiæ Episcopi* (subscribit An. 1413. inter Lithvanos etiam *Luceoriensis* Episcopus & An. 1563. *Kiovien-*

viensis Episcopus) *Vilnenses* & *Trocenses Palatini* & *Castellani*; *Gubernator* sive *Capitaneus Samogitiæ*. Item *Vitepscenses*, *Smolenscenses*, *Polocenses*, *Novogrodecenses Palatini* & *Castellani*, qvorum crebra fit mentio apud Historicos.

VI. Sec. XV. cum Casimirus III. Jagellonides Prussiæ partem sibi acqvisivisset, creavit in Prussia tres Palatinos, ut & tres Castellanos. *Palatini* fuere CULMENSIS, MARIÆBURGENSIS & POMERANIÆ. *Castellani* fuere CULMENSIS, ELBINGENSIS & GEDANENSIS. *Vid.* Cromer. *lib. XXVII. in pr.* Neugeb. *lib. VI. pag. 387.* & Schuz *in Chron. Prussicæ passim.* Præter Palatinos & Castellanos accesserunt etiam ad Senatum Polonicum *duo Episcopi*, nimirum VARMIENSIS & CULMENSIS. Qvamvis verò hos Senatores Prussicos Rex Poloniæ conatus sit statim cum Senatu Polonico conjungere, Seculares tamen hoc recusarunt, donec tandem, forsan sub Sigismundo Augusto, in conjunctionem cum Senatu Polonico & Lithvanico consenserint. Sub eodem Casimiro Jagellonide per Pacta An. 1466. inita, ipse Magister Ordinis Teutonici in Prussia factus est Senator Regni Poloniæ, primumqve in Senatu à sinistra Regis locum adeptus est. Commendatores etiam præcipui, qvos Magister pro tempore duxisset deputandos, in Senatum Regni

Regni admitti debebant. Hinc etiam jusjurandum Magistri Prussiæ, qvod præstare solebat Regi Poloniæ, his verbis erat conceptum: *Ego* NN. *Magister generalis Ordinis S. Mariæ Teutonicorum Princeps & Consiliarius Regni Poloniæ fidelis ero* &c. apud Joan. Januszov. *lib. VII. Constit. Polon. Part. 3. tit. 1. fol. 872. seqq.* Neugeb. *lib. VI. p. 385.* Hoc etiam confirmatum est à Sigismundo I. Rege An. 1525. cum jam Albertus Marchio Brandeb. positis Ordinis Teutonici habitu, nomine & insignibus, factus esset Dux Prussiæ hæreditarius. Tunc enim ipsi primus in Senatu Regni locus assignatus est in Comitiis aliisqve congressibus publicis. Neugeb. *lib. VII. pag. 507.* Januszov. *lib. VII. Part. 3. tit. 1. fol. 913. seq.* Privileg. Pruss. *fol. 34.* Licet postea in Comitiis Electionis Duci locus à Republ. sit denegatus. *Vid.* Fredro *in Hist. Henr. pag. 212.* Piasec. *in Chron. fol. 529.* Theatr. Europ. *ad An. 1632. fol. 580.* Vid. qvæ supra diximus *lib. II. cap. 1. num. 15.*

VII. Tempore ejusdem Casimiri IV. Jagellonidis An. 1471. commendavit Simon Olelkovius Dux filium suum Basilium Casimiro Regi, qvi eum volebat Ducem Kioviæ renunciare; sed, reclamante Senatu, Kioviam in formam Provinciæ redegit, primumqve KIOVIÆ PALATINUM Martinum Gastoldum, ex puncto Ducis titulo, creavit. Kojalo-

vvicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. V. pag. 238.* Per eadem etiam tempora institutus est Palatinatus Lublinensis, detractâ parte de Sendomiriensi, cujus jurisdictio amplior esse visa est, qvam ut ejus moles commodè ab uno Palatino sustineri posset. Neugeb. *lib. VI. pag. 408.* Nec dubium mihi esse alibi scripsi, qvin in fine Sec. XV. aut in principio Sec. XVI. institutus sit PALATINATUS RAVENSIS. Hujus enim ante illa tempora non deprehenderam ullam fieri mentionem apud Historicos. Imò Joannem Laski Cancellarium Regni & postea Archiepiscopum Gnesnensem, qvi tempore Alexandri Regis Constitutiones Regni Poloniæ scripsit, nullam fecisse mentionem Palatini Ravensis observaram. Sed hoc argumentum à silentio Laski deprehendo esse nullum. Nam An. 1501, Decreto Electionis Alexandri Regis subscripsit Andreas de Kutno Palatinus Ravensis. Vid. Decretum illud apud Stanislaum Karnkovvski *in Tract. de Primatu Senatorio Regni Poloniæ.* Ante illa verò tempora ejus factam mentionem, etiamsi solicitè inqvisiverim, non reperi. Cur ipsum Joan. Laski omiserit, conjectura asseqvi non possum.

VIII. Sub Sigismundo Augusto An. 1569. tandem junctus est LITHVANICUS SENATUS cum Polonico perpetuo nexu, ut *lib. I.* ostensum est. Additos tum qvosdam Senatores in Lithvania fuisse de novo, testatur Cromerus *lib. II. Descript. Polon. pag. 140.* Qvinam autem illi fuerint, non addit. Qvantum suspicari licet ex Ordine Senatorum hodierno, & ex antiqviore Historia, puto additos fuisse, MSCISLAVIENSES, BRACLAVIENSES, MINSCENSES *Palatinos* & *Castellanos*, aut saltem horum aliqvos. Eodem anno assignatus est locus in Senatu Senatoribus VOLHYNIÆ, ut & Senatoribus PODLACHIÆ. *Vid. Constit. ejus anni.* Post fœdus hoc Lithvaniæ cum Polonia initum admissos esse in Senatum Officiales Regni, ut MARSCHALCOS, CANCELLARIOS & THESAURARIOS, tradit Piasecius. Addit etiam ejus rei causam: *Olim*, inqviens, *Officiales Regni non habuerunt locum in Senatu, nisi etiam aliam dignitatem Senatoriam obtinuissent. v. g. Palatinatum vel Castellanatum. Sed cum An. 1569. Lithvania uniretur Poloniæ & Officialibus in Ducatu Lithvaniæ assignaretur locus in Senatu, qvem antea in Lithvania habuerunt, tum ne Officiales Regni minores esse viderentur, assumpti etiam sunt in Senatum.* Hæc Piasec. *in Chron. fol. 65. (55.)* Mihi tamen hæc dubia sunt. Nam Cromerus *lib. II. Descript. Polon. pag. 139.* de Officialibus his agens, nulla mentione facta, qvod suo tantum tempore sint in Senatum admissi, scribit, hos Magistratus ad Senatum pertinere, & qvidem ulti-

ultimo loco eosdem post Castellanos censeri, nisi si qvo alio eminentiori honore ii cohonestentur, qvod suo tempore plerumqve factum esse ibidem testatur. Et hoc etiam Piasecium fefellit. Qvia enim in veteribus subscriptionibus nunqvam fortè reperiebat, subscripsisse hos officiales separatim post Castellanos, putavit eos non pertinuisse ad Senatum: Sed meminisse poterat, etiam in Magno Ducatu Lithvaniæ hæc Officia plerumqve, forsan etiam semper, fuisse connexa cum aliis superioribus Dignitatibus, ut ex variis subscriptionibus probatur. Si tamen, hoc non obstante, officiales hi ad Senatum Lithvanicum pertinebant, ut concedit Piasecius, qvomodo igitur hoc negare potuit de Officialibus Regni? Auctum tamen eo tempore Senatum fuisse concedimus, additis his Officialibus, sed alia ratione. Scilicet Magistratus hi cœperunt ex hoc tempore magis magisqve distingvi, ita ut Officium Marschalci, Cancellarii, Thesaurarii, non potuerit postea conferri aliis Palatinis & Castellanis. Jam enim antea, nimirum An. 1565. in Comitiis Petricoviensibus rogarunt Nuncii Terrestres, ut Rex Dignitates Marschalcorum & Thesaurariorum distingveret à reliqvis Dignitatibus, & hoc ex ea ratione, *qvia jam absqve aliis dignitatibus Marschalci & Thesaurarii habent locum & votum in Senatu; duo autẽ vota in Senatu habere in-conveniens est.* Vid. Constit. ejus anni *init.* Concessit autem eo tempore Rex, ut hæ dignitates à præsentibus possessoribus retinerentur, postea verò ab invicem separarentur. Conf. & Januszov. *lib. III. Const. part. V. tit. I. fol. 304.* Ex qvibus jam manifestum est, non posse nos sententiæ Piasecii calculum nostrum adjicere.

IX. Livonia licet fuerit cum Magno Ducatu Lithvaniæ jam An. 1567. conjuncta, ut habet Kojalovvicz *ad dict. an. part. II. lib. VIII. pag. 279. seqq.* & rursus An. 1569. licet fuerit societas illa renovata, Senatores tamen Livonici non statim fuerunt constituti. Nam Stephanus Rex An. 1582. instituit EPISCOPATUM VENDENSEM. Vid. Januszov. *lib. VII. Const. part. V. tit. III. fol. 996.* Hujus Episcopatus Antistiti, nomine Ottoni Szenking Sigismundus III. demùm An. 1593. assignavit locum in Senatu post Episcopum Camenecensem. Januszov. *lib. III. Const. part. I. tit. II. fol. 274.* Idem ille Sigismundus III. Rex instituit An. 1598. in Livonia *tres Palatinos* nempe WENDENSEM, DERPATENSEM, & PERNAVIENSEM. Item *tres Castellanos* iisdem in locis, hisqve omnibus locum in Senatu assignavit. *Vid.* Constit. dicti Anni §. *Ordinacya Ziemie. fol. 708. seq. in Volum. Legum.* Porrò Wladislaus IV. Rex, cum satrapiam Czernichoviensem ultra Bo-

 risthe-

risthenem sitam Moscis ademptam regno Poloniæ adjunxisset, instituit ibi, præter Civitatum Præfectos, duos in ea regione Senatores, *Palatinum & Castellanum* CZERNICHOVIENSES, *teste* Sim. Starovolscio *in Descriptione Poloniæ. Edit. Dantiscanæ pag. 149.* Conf. Const. *An. 1635. ante med. & An. 1641. fol. 16.* Idem Vladislaus IV. EPISCOPATUM SMOLENSCENSEM erexit, eodem Starovolscio teste loco citato, pag. 250. In Constitutione tamen Anni 1638. fol. 34. Wladislaus Rex institutionem Episcopatus illius ad Patrem suum Sigismundum III. refert, dicitqve eum institutum esse An. 1613. Ipse verò Wladislaus eidem Episcopo locum assignat in Senatu, aliaqve ad eam Diœcesin pertinentia ordinat. Tandem sub Joanne Casimiro Rege, cum An. 1649. pax Cosacis fuisset concessa, constitutum etiam esse Cluverus dicit, ut ARCHIEPISCOPUS KIOVIENSIS Græcæ Religionis in Senatum admitteretur. *Vid.* Joan. Cluver. *in Epit. Hist. Univ. lib. XIII. pag. 784.* Sed an eo anno hac in re aliqvid sit constitutum, in Polonicis Scriptoribus inqvirere non licuit. Hoc tamen certum est in Pactis An. 1658. d. 6. 16. Sept. cum Joanne Wyhowski Exercitus Kosakorum Zaporohensium Duce initis & in Comitiis An. 1659. approbatis, sic ea de re dispositum esse: ut METROPOLITA sive ARCHIEPISCOPUS KIOVIENSIS Græcæ Religionis, cum aliis 5. Episcopis Religionis ejusdem (Russis Wladyki nominantur) nempe LUCEORIENSI, LEOPOLIENSI, PREMISLIENSI, CHELMENSI & MSCISLAVIENSI in Senatum Regni admitteretur; ita ut Archiepiscopus Kioviensis habeat locum statim post Archiepiscopum Leopoliensem; Episcopi verò Græci post omnes Episcopos Romanæ Religionis. Licet verò hæc Pacta juramentis Regis, Archiepiscopi Gnesnensis, Cracoviensis & Vilnensis Episcoporum, Marschalcorum & Cancellariorum utriusqve gentis, ut & Marschalci Nunciorum Eqvestrium nomine totius Reipubl. sint confirmata, & Constitutionibus Regni inserta, non videntur tamen Græci hactenus jus hoc suum esse prosecuti. Hinc eos Nic. Chwalkowski in numero Senatorum non ponit. Vidi tamen indicem Senatorum MS. in qvo ex dictis illis Archiepiscopi Kioviensis tantum facta est mentio. In eo verò Catalogo præter Archiepiscopum Kioviensem Græcæ Religionis non Unitorum, ponitur adhuc alius Archiepiscopus Kioviensis Græcæ Religionis Unitorum, nomine Gabriel Kolenda. Subscripsit idem Gabriel Kolenda Articulis Pactorum Conventorum Serenissimi Michaëlis Regis, sed post omnes Episcopos Polonicos & Lithvanicos.

X. Præ-

X. Præter dictos Senatores an etiam Duces & Principes ex sangvine Regum & Principum Regni Poloniæ oriundi freqventarint Senatum, qværi potest. De Ducibus Masoviæ dicit Stanislaus Lubienski, ipsos in Senatu locum non habuisse, ad actus tamen solennes eosdem fuisse admissos. *in lib. de rectè gerendo Episcopatu num. 127. fol. 290.* Sed contradicit sibi ipsi *in lib. de Rebus Silesiacis fol. 166. Operum.* Nos existimamus ipsos maximè locum in Senatu habuisse, licet rarò iisdem interfuerint, illudqve iisdem cum Lubienscio probamus argumentis. Nam cum An. 1180. Casimirus Boleslai Crivousti filius monarcha Poloniæ Comitia indixisset, ad, erant fiduciarii Principes, ac inter alios Boleslaus Procerus Vratislaviensis Dux. Lubienski *fol. 166.* De Comitiis Gansaviensibus, qvibus Principes sangvinis freqventes interfuerunt, *Vid.* Cromer. *lib. VII. Hist. circa fin. fol. 530.* Neugeb. *lib. III. pag. 132.* Postea qvoqve devictis Prussiæ Ducibus, & junctâ cum Regno Poloniæ sub Vladislao Jagellone Lithvaniâ, sine ullo dubio Duces Lithvaniæ ex progenie Magnorum Ducum oriundi, item Duces Russiæ ad Actus publicos vocabantur, ut patet ex variis subscriptionibus, apud Januszov. *lib. VII. Constit.* Qvod verò in Senatu Lithvanico fuerint, itidem ex variis subscriptionibus Lithvanorum Procerum probari

bari potest. Porrò Stephanum Valachiæ Palatinum in Senatum Regni fuisse adscitum à Sigismundo I. ut Vasallum Regni, testis est Cromer. *in Orat. super obitu Sigism. I. in Corp. Hist. Polon. Tom. III. fol. 18.* Qvamvis autem Principes sangvinis aliiqve Duces ad Consilium Regni Poloniæ fuerint vocati, excipiebantur tamen posterioribus Seculis Comitia Electionis, ad qvæ, ne liberæ electioni vim facerent, non fuerunt admissi. Ex eadem ratione denegatus est locus Ducibus Prussiæ & Curlandiæ. Vide Joan. Januszovium *lib. VII. Constit. part. III. tit. II. fol. 930. & alii.*

XI. Hactenus ruditer Originem plerorumqve Senatorum Regni Poloniæ investigavimus. Nunc placet ulterius progredi, & qvoad fieri potest, indicare, qvem ORDINEM Senatores illi & antiqvitus observaverint, & nunc adhuc observent, & qvæ sint ipsorum Officia. Antiqvitus proximum à Rege in Senatu locum obtinuerunt Duces & Principes sangvinis. *Vid.* de Comitiis Gandaviensibus Neugeb. *lib. III. pag. 132.* Posthæc cum M. Ducatus Lithvaniæ & Russia ad Poloniam accessissent, seqvens Ordo observatus esse videtur, ut post Regem seqveretur Magnus Dux Lithvaniæ. Deinde seqverentur Duces Masoviæ. Dehinc Duces Stolpenses in Pomerania. Inde alii Duces in Magno Ducatu Lithvaniæ. Post hos Archiepiscopi & Episcopi.

Hos

Hos exciperent Duces Russiæ; Agmen clauderent Palatini, Castellani, ut & Officiales, ut patet ex subscriptione Pactorum inter Vladislaum Jagellonem & Paulum de Rusdorff Magistrum Ord. Teuton. in Prussia. An. 1436. initis. *Vid. Privilegia Ducatûs Prussiæ fol. 6. seqq.* ut & Janusżov. *lib. VII. Constit. part. III. tit. I. fol. 842. & 861.* Posthæc cum Vladislaus III. Jagellonides coronaretur, controversia orta est inter Duces Masoviæ & Episcopos, qvod proximum à Rege locum sibi utriqve vendicabant. Cromer. *lib. XXI. fol. 700.* Neugeb. *lib. V. pag. 299.* Recruduit hæc controversia tempore Casimiri IV. Jagellonidis, qvi cum jam coronatus in forum vellet progredi, ad accipiendum à Civibus Cracoviensibus jusjurandum, acriter inter se certarunt Episcopi & Duces Masoviorum, utri dextrum Regis latus clauderent, adeò ut Regem oportuerit in arcem re infectâ reverti. Cessere tandem Duces Episcopis, ut refert Cromer. *lib. XXII. fol. 721.* & Neugeb. *lib. VI. in pr.* In Privilegio Pacis Brestensis inter Casimirum Regem & Ludovicum ab Erlichshausen, qvod renovavit Rex Alexander, eo ordine sigilla sunt appensa. Primò est Regis sigillum. Deinde Magni Ducis Lithvaniæ. Hinc Ducis Masoviæ. Inde aliorum qvatuor Ducum Lithv. Postea Ducis Stolpensis. Tandem Archiepiscoporum, Episcorum, aliorum-

rumqve Senatorum Secularium. Janusżov. *lib. VII. part. III. tit. I. fol. 891. ad 899.* Verum post Alexandri Regis tempora cum sub Sigismundo I. jam nullus esset Magnus Dux Lithvaniæ, stirps qvoqve Ducum Masoviæ plane defecisset, videntur Duces ex antiqva Ducum Lithvaniæ stirpe oriundi, & alii Russiæ Duces Senatoribus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ cessisse, aut etiam multis contentionibus è Senatu moti, & ad privatorum Nobilium æqvalitatem esse redacti, qvod de Duce Slucensi asserit Matthias Dargocki *in tract. Polonico, de titulata Nobilitate num XXIII.* Jam itaqve omnes Duces & Principes Poloniæ pari cum reliqva Nobilitate Polonica & Lithvanica jure gaudent.

XII. Hodiè itaqve primum in Senatu à dextra Regis locum occupat ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS, perpetuus Regni Poloniæ Interrex. Huic jam olim Lescus Albus Dux Poloniæ initio Sec. XIII. à Papa perpetuæ Legationis munus obtinuit, qva de causa hodiè adhuc titulum habet *Legati Nati.* Neugebaur. *lib. III. pag. 129.* Sed Stephanus Damalevitius dicit, titulum Legati Nati primùm pro se obtinuisse Henricum Kietliz ab Innocentio III. pro se duntaxat, dum Legatus abesset. Usum verò tituli hujus perpetuum Joannem Laski sibi & successoribus suis attulisse à Leone X. An. 1515. Privilegium videatur apud

apud Damalevicium *in Serie Archiepiscoporum Gnesnensium in princ. ubi agitur de titulis Archiepiscopi.* & *in vita Joannis Laski.* Et cum Vladislai Jagellonis tertia conjux Elisabetha Pilecia ab Archiepiscopo Leopoliensi Joanne Ressovio esset coronata, tum Archiepiscopus Gnesnensis Nicolaus Traba, qvi tunc Concilio Constantiensi intererat, ne sibi successoribusqve suis ea prærogativa Reges & Reginas coronandi præriperetur, obtinuit apud Concilium, ut Archiepiscopus Gnesnensis deinceps esset *Primas Poloniæ.* Cromer. *lib. XVIII. fol. 672.* Damalevic. *pag. 12.* Neugeb. *lib. V. pag. 266.* Qvanta Gnesnensis Archiepiscopus polleat auctoritate, præcipuè sub Interregni tempus, jam supra dictum est. Nunc alia paucis perseqvemur. Habet Archiepiscopus in aula sua *Marschalcum*, qvi est simul Senator Regni, ex Ordine Castellanorum. Hic currum Archiepiscopi eqves antecedit; ad curiam eunti Archiepiscopo baculum præfert erectum, qvem tamen in conclavi Regis submissè habere, sive versus terram demittere, cogitur. *Vid.* Fredro *in Hist. Henr. pag. 16.* Qvin Marschalcus Archiepiscopi tantâ pollet authoritate, ut absentibus aliis Marschalcis fas sit ei levato baculo regiminis insigni Regem in Comitiis prodeuntem anteire, ut Bielscius *lib. VI.* refert, apud qvem Uchanski suâ ætate hanc præ-

prærogativam in usu fuisse graviter asseverat. Deinde præfertur etiam Archiepiscopo crux, qvam in Senatu Cruciger sellæ adstans tenet, & qvidem semper erectam. Fredro *pag. 16.* Chvvalkovvski *lib. I. cap. 5. pag. 72.* Sunt & alii in aula Archiepiscopali Officiales præter Marschalcum, ut *Cancellarius*, qvi publicis negotiis & Consiliis Ecclesiæ & Reipubl. trutinandis & expediendis invigilat; *Præfectus Cameræ*; *Referendarius*; *Cruciger*; *mensæ Archiepiscopalis Oeconomus* seu *Vicedominus*; *Thesaurarius*; *Sacrorum Præfectus*; *Bibliothecarius*; *Stabuli* & *Culinæ Magister*, & alii. Porrò Archiepiscopo soli tanqvam primo Principi, anteqvam ferculis instruatur mensa, tympana domi forisqve pulsantur. Præterea Archiepiscopo soli adeundi Regem, qvamprimum ad Regni Comitia venerit, facultas est, neqve exspectat tempus salutationi colloqvioqve Regis præfigendum. Ad palatium tendenti Rex salutandus obviam mittit Succamerarium Regni, vel aliqvem ex præcipuis Aulæ officialibus usqve ad inferiora graduum, Marschalcus Curiæ ad caput eorundem ipsum præstolatur, tandem jam vicino sibi Rex aliqvot passus it obviam: ut hæc totidem ferè verbis referunt Fredro, Steph. Damalevicius Varta, & Nicol. Chvvalkovvski *ll. cc.* In sacris ab Episcopis vel eorum Officialibus provocatio est ad Archiepiscopum, & ab ipso

etiam Leopolienſi Archiepiſcopo. Privilegium *monetæ cudendæ* conceſſit olim Archiepiſcopo Gneſnenſi Boleslaus Pudicus circa An. 1232. ut auctor eſt Cromerus *lib. VIII. non procul ab init. fol. 533.* ex Joanne Dlugoſſo *ad dict. An. Tom. I. lib. VI. fol. 581.* Qvod adhuc Archiepiſcopi jus illud habeant, aſſerit Damalevicius *pag. 18.* De qvo tamen meritò dubitatur. Habet Archiepiſcopus ſedem ſuam in Civitate *Lowicz*, & eſt ſimul *Canonicus Natus Eccleſiæ Plocenſis.* Nam An. 1240. Conradus Dux Maſoviæ ſatisfactionis ergò ob cædem in Cancellarium patratam Archiepiſcopo donavit villam Lovvicz, cum ſylvis nemoribusqve adjacentibus, conceſſitqve, ut Archiepiſcopus Gneſnenſis Canonicus eſſet Eccleſiæ Plocenſis. Dlugoſſ. *lib. VI. fol. 596.* Cromer. *lib. VIII. fol. 537.* Lubienski *lib. de Vit. Epiſc. Plocenſium fol. 368. ante med.* Titulus qvem Archiepiſcopus à Rege accipit eſt hic: *Reverendiſſimo in Chriſto Patri.* A privatis Archiepiſcopo Gneſnenſi ſcribitur: *Celſiſſimo ac Reverendiſſimo Domino Domino* N. N. *Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primati, primoqve Principi.* Hodierni Archiepiſcopi nomen eſt *Andreas Olſzowski.*

XIII. Tantæ ſunt Archiepiſcoporum Gneſnenſium Prærogativæ, qvibus olim ſub Caſimiro III. Jagellonide fretus Gneſnenſis Archiepiſcopus, noluit prærogativam loci concedere Sbigneo Oleſnicio Cardinali & Epiſcopo Cracovienſi, *licet Cardinalis etiam Presbyter & Diaconus majori aliàs ſit dignatione qvam Epiſcopus & Archiepiſcopus, atqve etiam Patriarcha.* Adeò verò exarſit illa Controverſia, ut ex Comitiis illis, in qvibus controverſia illa fuerat orta, Archiepiſcopus diſceſſerit. Et jam authoritas Primatis periclitabatur, niſi majores Poloni poſtulaſſent à Rege, ut Archiepiſcopus principem in Senatu locum retineret. Tandem An. 1451. controverſia hæc eo modo finita eſt, ut Cardinalis qvidem ille in Senatu primum locum retineret, deinceps verò, ne qvis eum atqve etiam legationis Apoſtolicæ perpetuæ honorem Rege & Senatu inconſultis peteret aut uſurparet, ut volunt Cromerus *lib. XXII. fol. 523. & 525.* & Neugeb. *lib. VI. pag. 327.* Eodem etiam anno Statutum de Salinis primo loco ſubſcribit Sbigneus Cardinalis & Epiſcopus Cracovienſis, poſt ipſum verò Vladislaus Archiepiſcopus Gneſnenſis. *Vide* Januſzov. *lib. I. Conſtit. part. II. tit. II.* Hæc tamen prærogativa non fuit ſimpliciter eo tempore Cardinali conceſſa, ut voluit Cromerus, & ex eo Neugebauerus, ſed conſtitutum eſſe in ipſis Regni Conſtitutionibus legimus, *ut Eccleſia Metropolitana Gneſnenſis, Dominus qvoqve Archiepiſcopus & Primas Sedis ejusdem pro tem-*

tempore existens in omni jure, auctoritate & potestate, prærogativâ, jurisdictione & consvetudine, qvas aliàs Ecclesia Gnesnensis ab antiqvo supra Ecclesiam Cracoviensem habuit & habet, conservarentur in æternum. Decretum etiam est illo tempore. *Ne uterqve Prælatorum simul unâ die in Senatum veniret, sed alternatim, alter unâ die, & alius alterâ die, qvem Rex vocandum duxerit. Non vocatus verò in hospitio maneret, daturus nihilominus ab inde Consilia opportuna super qvibus fuerit reqvisitus.* Hoc Privilegium Sedis Gnesnensis, postulante Archiepiscopo, approbavit & Alexander Rex, ut est apud Januszov. *lib. II. Constit. part. II. tit. II. fol. 192. seq.* Posthæc orta est inter eosdem Prælatos controversia de ceremonia nuptiali, uter eorum desponsationem Regum & benedictionem conferre deberet, cumqve inter eos convenire non posset, datum est negotium Joanni Capistrano Sedis Apostolicæ Legato. Cum autem ille nec Germanicam nec Polonicam lingvam sciret, datum qvidem est hoc negotium Cardinali, qvi utriusq; lingvæ gnarus erat, Archiepiscopus tamen celebravit missam. *Vid.* Matth. à Michov. *lib. IV. cap. 59.* Cromer. *lib. XXII. fol. 531.* Seqventibus temporibus habuit qvidem Polonia qvosdam Cardinales, sub Sigismundo Augusto Stanislaum Hosium Episcopum Varmiensem. Sub Stephano Rege

Rege Georgium Radivilium Episcopum Cracoviensem, item Bernhardum Maciejovium Episcopum Cracoviensem aliosqve, sed subscriptiones eorum non reperio, unde colligere licet, ipsos in Senatum nunqvam venisse, ne prærogativam Archiepiscopis concedere cogerentur. Imò cum Joannes Albertus Regis Vladislai IV. frater ad Episcopatum Cracoviensem esset evectus, cautum fuit in Comitiis Regni generalibus, ne sibi, etiamsi Cardinalitiâ dignitate fulgeret, aliqvam præ Archiepiscopo vendicaret prærogativam. *Constit. An. 1633. §. Consens na. fol. 17. seq.* Archiepiscopum Gnesnensem seqvitur ARCHIEPISCOPUS LEOPOLIENSIS. Nomen hodierni Archiepiscopi Leopoliensis est N. *Oborski.*

XIV. Post duos illos Archiepiscopos Gnesnensem & Leopoliensem seqvuntur in Senatu EPISCOPI, qvorum hic est Ordo:

Cracoviensis in minore Polonia.
Cujaviensis, qvi & *Vladislaviensis* & *Pomeraniæ* Episcopus dicitur. in majore Polonia.
Vilnensis in Lithvania. } alternant.
Posnaniensis in Polon. majore. } alternant.
Plocensis in Masovia.
Varniensis in Prussia. } alternant.
Luceoriensis in Volhynia. } alternant.
Præmisliensis in Russia Rubra.

Samogitiæ ſive *Mednicenſis.*
Culmenſis in Pruſſia.
Chelmenſis in Ruſſia Rubra.
Kiovienſis & *Czernichovienſis* ad Boriſthenem.
Camenecenſis in Podolia.
Smolenſcenſis in Ruſſia Alba.

De his Epiſcopis in genere notandum eſt, qvod in Senatu utrumqve Regis claudant latus. Videlicet ad dextram Regis ſedet Archiepiſcopus Gneſnenſis; ad ſiniſtram Archiepiſcopus Leopolienſis. & ſic alii qvoqve Epiſcopi proximum ab his ab utroqve Regis latere locum habent, qvos tandem ſeqvuntur Senatores,Seculares. *Vid.* Alex. Gvagvinus *Tom. I. in Corp. Hiſt. Pol. fol. 36.* Certatum qvidem eſt in Comitiis Lublinenſibus An. 1506. inter Proceres Eccleſiaſtici & Politici Ordinis hac de re. Contendebant qvippe Proceres Seculares,ut Epiſcopi alterum Regis latus ſibi concederent, alterum vel dextrum ſanè ipſi tenerent. Sed Epiſcopi jus utriqve lateri Regio aſſidendi, qvod antiqvitus habebant, etiam tunc retinuerunt. *Vid.* Cromer. *lib. XXX. fol. 830.* Poſthæc cum Sigismundi I. tempore Senatus jam majore ex parte Reformatis conſtaret, parum abfuit,qvin Senatores Eccleſiaſtici Senatu moverentur,imò & hi ipſi jam nutare cœperant. Piaſec. *fol. 48. ſeq.* Sed & in ſpecie de qvibusdam Epiſcopis,qvædam

notanda veniunt. EPISCOPUS CRACOVIENSIS octodecim urbium Dominus eſt & Ducatus Severienſis in finibus Sileſiæ ſupremus Dominus, *teſte* Starovolſcio *in Polonia pag. 47.* Hinc etiam Ducem Severienſem ſe ſcribit. Emit hunc Ducatum Sbigneus Oleſnicius Cardinalis & Epiſcopus Cracovienſis eâ lege,ut penes ſucceſſores ſuos ſemper eſſet ſupremum hujus Ducatus Dominium. Epiſcopi Cracovienſes ſacris operantes utuntur pallio margaritis diſtincto. *Vid.* Damalevicius *in Serie Archiepiſcoporum Gneſn. pag. 11.* Sunt etiam Epiſcopi Cracovienſes Academiæ ejusdem loci Cancellarii, teſte Starovolſcio *in Polonia.* Fuit etiam hic Epiſcopatus aliqvando cum Gneſnenſi Archiepiſcopatu conjunctus. Tenuerunt enim cum Archiepiſcopatu Gneſnenſi Epiſcopatum Cracovienſem Fridericus Princeps, Alexandro VI. Papâ; Et Petrus Gamratus,Paulo III; ac Bernhardus Maciejovvski,Paulo V. indulgente. Nic. Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. V. num. XIII.* Epiſcopo Cracovienſi Cancellaria Regia (referente *l. c.* Chvvalkovio,) titulum inſcribit: *Admodum Reverendo* (Polonicè *Przewielebnemu)* reliqvis verò Epiſcopis titulum inſcribit *Reverendo* (Polonicè *Wielebnemu*) Qvamvis in Conſtitutionibus hæc non ſemper obſerventur. In illis enim etiam Cracovienſis Epiſco-

pus appellatur tantùm *Reverendus*. A privatis verò omnes Episcopi appellantur Illustrissimi atqve Reverendissimi. EPISCOPUS CUJAVIENSIS absente, vel prorsus non existente Archiepiscopo Gnesnensi, Interregis Officio fungitur, ut jam supra ostensum est. POSNANIENSIS EPISCOPUS à Wladislao Sputarore, simul cum Archiepiscopo Gnesnensi, accepit jus monetæ cudendæ. *Vid.* Joan. Dlugoss. *ad an. 1232. lib. VI. f. 581.* Illo tamen jure hodiè non utitur. De VILNENSI EPISCOPO refert Starovolscius, qvod se *Ducem Ivanum* scribat: Unde verò hæc hauserit, ignoro; Nisi qvod suspicari liceat, errorem hic commisisse Starovolscium ex malè intellecto pvivilegio qvodam. Etenim An. 1401. Fœderi Lithvaniæ cum Regno Poloniæ inito subscribunt: *Jacobus, Divinâ Providentiâ Vilnensis Ecclesiæ Episcopus, Dux Ivanus Olgimundi cum filiis suis* &c. apud Joan. Janusżov. *lib. VII. Constit. part. I. tit. III. fol. 750.* ubi forsan Starovolscius conjunxit, qvæ erant dividenda. Porro PLOCENSIS EPISCOPUS in Masovia Pultoviensis Territorii supremus est Princeps, nec ab illo datur Provocatio ad Regem, sed ita Nobiles illi sunt subditi, sicut & Nobiles in Ducatu Severiensi Episcopo Cracoviensi: Præpositus qvoqve Capituli Plocensis integrum Territorium possidet eodem jure. Porrò Archiepiscopus

scopus Gnesnensis simul est Canonicus Natus Ecclesiæ Plocensis. *Vid.* Starovolsc. *in Polonia, ubi agit de Masovia.* Præterea EPISCOPUS VARMIENSIS in Provincia sive Episcopatu Varmiensi sub se habet Nobilitatem à jurisdictione Regiorum Magistratuum exemptam. *Vide tamen qvæ habet* Paulus Szerbic *Part. VI. Constit. cap. 3. fol. 323. & 324.* Episcopo Kioviensi subjecta est An. 1638. Diœcesis Czernichoviensis & Novogrodensis Severiæ ultra Boristhenem. *Vid. Constit. dicti anni fol. 35.* Tandem EPISCOPATUS VENDENSIS in Livonia, cujus mentionem supra fecimus, jam per pacta An. 1660. cum Rege Sveciæ in monasterio Olivensi inita, sublatus est. De reditibus & splendore Episcoporum Poloniæ *Vid.* Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 177.* & Stanisl. Lubienski *in Vita Angelotti I. fol. 310. Operum.* Tandem de Episcopis notetur, qvod per legem de An. 1627. non possint cum Episcopatu simul Abbatias, sine speciali Reipublicæ consensu tenere. *Vid. & Constit. An. 1667. fol. 15.* Ob crebras tamen Tartarorum incursiones, & Bonorum Ecclesiasticorum in Russia, Podolia &c. devastationes, concessum est An. 1633. ut Archiepiscopo Leopoliensi, item Præmisliensi, Samogitiæ, Chelmensi, Kioviensi, Camenecensi & Wendensi Episcopis liceret simul cum Episcopatu singulas Abbatias possidere. *Vid. Con-*

stitutiones ejus anni fol. 26. Unde etiam hoc Anno 1677. postqvam Archiepiscopus Leopoliensis fatis concessisset, traditus est dictus Archiepiscopatus cum Abbatia Tremesnensi, Reverendissimo Domino Oborski Suffraganeo Cracoviensi. *Vid. Diar. Comitiorum ad 18. Februar.*

XV. Episcopos excipiunt Senatores Seculares, nempè PALATINI & CASTELLANI, qvibus immixtus est unus GUBERNATOR, sive, ut vulgò vocatur CAPITANEUS sive PRÆFECTUS (Polonicè *Starosta* dicitur) SAMOGITIÆ. Ordo verò Palatinorum & qvorundam Castellanorum talis est:

Castellanus *Cracoviensis*
Palatini *Cracoviensis* } alternatio inter
Posnaniensis } hos obtinet.
Vilnensis.
Sendomiriensis.
Castellanus *Vilnensis.*
Palatini *Calissiensis.*
Trocensis.
Siradicensis.
Castellanus *Trocensis.*
Palatinus *Lenciciensis.*
Capitaneus *Samogitiæ,*
Palatini *Brestensis.*
Kioviensis.
Inowladislaviensis. (poliensis.
Russiæ, qvi antea dicebatur Leo-
Volbyniæ.
Podoliæ, qvi antea dicebatur Ca-
Smolenscensis. (menecensis.
Lublinensis.
Polocensis.
Belzensis.
Novogrodensis.
Plocensis.
Vitepscensis.
Masoviæ, qvi antea vocabatur
Podlachiæ. (Czirnensis.
Ravensis.
Brzesciensis.
Culmensis.
Mscislaviensis.
Mariæburgensis.
Braclaviensis.
Pomeraniæ.
Minscensis.
Czernichoviensis.

In hoc Ordine Palatinorum primum locum habet CASTELLANUS CRACOVIENSIS, licet aliàs, ut ex infra dicendis apparebit, alii Castellani majores atqve minores, exceptis Vilnensi & Trocensi, omnes demum Palatinos subseqvantur. Causa, cur Castellanus Cracoviensis Palatino Cracoviensi præponatur, hæc esse perhibetur: Cum circa An. 1130. Scarbimirus Palatinus Cracoviensis Boleslao III. Principi Poloniæ, cognomine Cri-

vousto

vousto rebellasset, prælatus est in perpetuam facti detestationem Palatino Castellanus, *ut testatur* Joannes Dlugossus *lib.IV.Annal. Polon.fol.369. & ex Dlugosso Cromerus, Neugebauerus & alii.* Qvod verò VILNENSIS & TROCENSIS CASTELLANI aliis multis Palatinis præferantur, causam non puto esse aliam, qvam qvod hi Castellanatus sint aliis Palatinatibus antiqviores. Statim enim ab initio cum Lithvania juncta esset Poloniæ, instituti fuerunt Palatini & Castellani Vilnenses & Trocenses, ut ex variis subscriptionibus liqvet. Cum itaqve post ea tempora, aucto per Vitoldum Magno Ducatu Lithvaniæ, alii Palatini & Castellani crearentur, concesserunt dictis illis Castellanis, ut antiqvioribus locum honoratiorem. Idem dicendum est de GUBERNATORE sive CAPITANEO SAMOGITIÆ, qvi in Constitutionibus aliqvando GENERALIS DUCATUS SAMOGITIÆ CAPITANEUS vocatur. ut in *Const. de An.1641.fol. 28.* Diversum verò prorsus Ordinem in Senatu Lithvanico olim ante fœdus (An.1569. demum consummatum) fuisse, cognoscimus ex Legatis, qvi dicto illo anno ad Comitia Lublinensia missi sunt. Ordo ille talis est.

Ex

Ex Pontificibus tunc lecti fuerunt:

Valerianus Vilnensis Episcopus.
Nicolaus Pac Kioviensis Episcopus.

Senatores Seculares in duas divisi fuere classes;

Ex prima fuerunt:

Nicolaus Radzivvil Dux in Olyka, Palatinus Vilnensis, Marschalcus & Cancellarius Lithvaniæ.
Stephanus Koributh in Zbaras Palatinus Kioviensis.

Ex altera:

Nicolaus Kiszka Pincerna Lithvaniæ, Præfectus Drohicensis.

Ex Ordine Ducum & Baronum:

Nicolaus Radzivil Palatinides.
Hieronymus Chodkievvicz Castellanides Vilnensis.
Jvanus Dux in Czartoryisk.
Jaroslaus Sanguszko Dux in Niesvviesz.

Ex Marschalcorum Ordine:

Petrus Zaorski.
Michaël Lozinski.

Ex

Ex Patriciis:

Melchior Szemet.
Melchior Snovvski.
Ladislaus Dux in Zbaras.

Ex Vexilliferorum Ordine.

Paulus Ostrovvicki Osmianensis } Signiferi.
Nicolaus Janovvicz Upitensis }

Ex universo Eqvestri ordine.

Qvælibet Provincia suos misit Delegatos. *Vid.* Albert. Wijuk Kojalovvicz *Part. II. Hist. Lithvan. lib. VIII. p. 487. seqq.* Paulò aliter hi Legati dividuntur apud Joan. Januszovium *lib. VII. Constit. fol. 761.* Ibi enim duæ classes Senatorum Ecclesiastici, duæ itidem classes Senatorum Secularis Ordinis numerantur. Reliqvi Ordines eodem modo, ut à nobis factum est, recensentur. In Livonia tres Palatinos, & tres Castellanos fuisse, supra dictum est; Illi verò per Pacta Olivensia An. 1660. sublati sunt, ita ut qvidem tunc viventes Senatores Livonici Dignitates suas retinerent: post mortem autem ipsorum nulli alii crearentur; qvam ob causam nos etiam in Catalogo hoc nostro eos omisimus. Sunt autem PALATINI Principes creati, primarii in ordine Secularium Senatores, & Duces Exercituum in suis Palatinatibus, qvo tamen officio militari non nisi tempore Generalis expeditionis (Polonis *Pospolite Ruszenie* dicitur) funguntur. Pacis tempore non una est eorum ubiqve functio. Nam in Magno Ducatu Lithvaniæ sunt Palatini, qvi in suis Palatinatibus exercent judicia Castrensia, qvæ aliàs in Polonia Capitaneis competunt. In Districtibus verò Lithvanicis, qvi Palatinatibus adjunguntur, ut Lidensi, Osmianensi &c. ubiqve alii habentur Capitanei cum jurisdictione. Habentur hæc, qvamvis obscurè, in Statuto Lithvanico *cap. IV. art. 30.* In Prussia qvoqve judicia illa Castrensia appellantur Palatinalia, qvia à Palatinis exercentur. Ast in Regno, licet aliis in locis possint esse Capitanei, si ipsis à Rege conferantur, in suis tamen Palatinatibus nonnisi hæc ipsis incumbunt munia, ut qvisqve Palatinus (qvod etiam Palatinis in M. Duc. Lithv. competit.) in suo Palatinatu extra Comitiorum & belli tempus pretia rebus venalibus constituat; curam gerat ponderum & mensurarum; Judæorum etiam judicia exerceat. Sed de his postea. Habent verò singuli Palatini suos Vicepalatinos juratos, ad qvorum officium pertinet, præter alia, & mensurarum exæqvatio, *Const. An. 1635. tit. O Korcach. Conf.* Nic. Chvvalkovvski *lib. I. cap. 5. n. 17. pag. 75.* Stan. Krzistanovvicz *in De-*

Descript. Polon. pag. 7. Titulum primo Senatorum Secularium Castellano Cracoviensi ut & Palatino Vilnensi ordinariè Rex in literis tribuit: *Illustris* (Polonicè *Jasnie wielmozny*) Reliqvis Palatinis *Magnifici* (*wielmozny*) A privatis verò omnibus his inscribitur titulus: *Illustrissimi*. Nisi qvod Principibus tribuatur titulus: *Illustrissimi* & *Celsissimi* (Polonicè *Jasnie Oswieceni.*)

XVI. Palatinis succedunt CASTELLANI, qvi distingvuntur in Majores, & Minores. CASTELLANI MAJORES sunt seqventes:

Posnaniensis.
Sendomiriensis.
Calissiensis.
Voynicensis.
Gnesnensis.
Siradicensis.
Lenciciensis.
Samogitiæ.
Brestensis.
Kioviensis.
Inowlodislaviensis.
Leopoliensis.
Wolbyniæ.
Camenecensis.
Smolenscensis.

Lub-

Lublinensis.
Polocensis.
Belzensis.
Novogrodensis.
Plocensis.
Witepscensis.
Cernensis.
Podlachiæ.
Ravensis.
Brzesciensis.
Culmensis.
Mscislaviensis.
Elbingensis.
Braclaviensis.
Gedanensis.
Miriscensis.
Czernichoviensis.

Castellani minores, qvi tantum in Majori Minoriq; Polonia, Masovia & Palatinatu Russiæ reperiuntur sunt seqventes:

Sandecensis.
Medirecensis.
Vislicensis.
Biecensis.
Rogosnensis.
Radonicensis.

 Zawi-

Zawichoſtenſis.
Lendenſis.
Sremenſis.
Zarnovienſis.
Malogoſtenſis.
Vielunenſis.
Præmyslienſis.
Halicienſis.
Sanocenſis.
Chelmenſis.
Dobrinenſis.
Polanicenſis.
Præmetenſis.
Krivinenſis.
Czechovienſis.
Naclenſis.
Roſpirienſis.
Biechovienſis.
Bidgoſtienſis.
Bræſinenſis.
Kruſvicienſis.
Oſwiecimenſis.
Camenenſes.
Spicimirienſis.
Inovlodenſis.

Ko-

Kovalienſis.
Santocenſis.
Sochaczovienſis.
Varſavienſis.
Goſtinenſis.
Viſnenſis.
Raciecenſis.
Sierpcenſis.
Wyſogrogendis.
Ripinenſis.
Zakocimenſis.
Ciechanovienſis.
Livenſis.
Slonſcenſis.
Lubaczovienſis.
Konarienſis Terræ Siradiæ.
Konarienſis Terræ Lencitiæ.
Konarienſis Terræ Cujaviæ.

Diſtingvuntur Caſtellani in Majores & Minores, qvod hi non niſi poſtremis temporibus ad conſilium admitti cœperunt, nec ſtatim ad ſecretiora Conſilia admiſſi ſunt. Cromer. *lib. II. Deſcript. Polon. pag. 140.* Sigismundus Auguſtus Rex tentaſſe etiam dicitur, ut Palatini à Caſtellanis, & hi à Nunciis Terreſtribus veſtibus etiam ipſis diſtingverentur, teſte Philippo Padnievio, apud Chriſtophorum Varſe-

 vicium

vicium *lib. I. de Opt. Statu. Libert. pag. 104.* Agitatum hoc eſt propterea, qvoniam Caſtellani Minores tum in Nuncios Terreſtres ſe eligi & ad Comitia mitti patiebantur, ut habet Varſevicius *loc. cit.* Nicolaus Chvvalkovvski inter Caſtellanos majores & minores hanc differentiam notat, qvod illi (paucis exceptis) à Palatinatibus; hi verò à terris & Diſtrictibus denominentur, uti ex ipſo Catalogo patet. (Hinc in Conſtit. An. 1641. Caſtellani minores nominantur *Caſtellani Diſtrictuum, Caſztellani Powiatowi.* fol. 16. tit. *Caſztellania.*) Aliàs uſum hodiè minores Caſtellanos cum Majoribus exæqvaſſe refert. *lib. I. cap. 5. n. 18. pag. 77.* Patet hujus aſſertionis veritas ex eo, qvoniam & minores Caſtellani ſemper ad Comitia vocantur, admittuntur etiam ad Reſidentiam in Aula Regis, ut poſtea cap. VI. dicemus. Hoc tamen diſcriminis inter illos intercedit, qvod minores non in ſellis eodem ordine diſpoſitis cum Epiſcopis, Palatinis & Caſtellanis majoribus, ſed in ſcamnis ponè alios Senatores conſideant; Ob qvam etiam cauſam in Conſtitutionibus aliqvando Caſtellani Majores dicuntur *Kaſztellani Krzeslowi*, & minores, *Kaſztellani nie Krzeslowi*, ut in Subſidio generali, qvod annexum eſt Conſtitutionibus *de An. 1673. fol. 2. in fin.* Porro notandum eſt, Palatinum non poſſe ſimul eſſe Caſtellanum ejusdem loci. Item neqve Palatinum neqve Caſtellanum poſſe eſſe Capitaneum, vel etiam Officialem Terreſtrem in eodem Palatinatu, in qvo eſt Palatinus vel Caſtellanus, exceptis Palatinatu, Caſtellanatu & Capitaneatu Cracovienſi, ut habet Conſtit. *Caſimiri* III. *Jagellonidis An. 1454.* & Conſtit. *Sigismundi Augusti An. 1562.* apud Januszov. *lib. III. Part. V. fol. 303. ſeq.* Item Palatinus Czernichovienſis, ut (exemplo Palatini Kiovienſis) ſemper ſit etiam Capitaneus Czernichovienſis, conſtitutum eſt An. 1635. *Vid. Conſtit. dicti An. ante med.* In Lithvania qvoqve aliud qvidpiam obtinet, ut jam ſupra dictum eſt. Porro nullus Caſtellanus poteſt eſſe Burggrabius Arcis Cracovienſis, vel etiam aliorum caſtrorum per Conſtit. *An. 1562. & 1563. fol. 42. in Volumine Petrikovii.* Additur in Conſtitutionibus illis ratio, cur hæc ſint incompatibilia. Videlicet Caſtellanorum in bello præſentia reqviritur; Burggrabius verò cuſtodire & defendere arcem debet. De Caſtellanis porro ſciendum eſt, qvod præter munus Senatorium pacis tempore nullam habeant jurisdictionem; in Bello verò, qvando Expeditio Generalis indicitur, qvod vices Palatini ſui obtineant. Titulus ex Cancellaria Regia Caſtellanis majoribus tribuitur: *Magnifici (Wielmozni)* Minoribus verò *Generoſi (Vrodzeni)* à privatis verò omnes Caſtellani nominantur *Illuſtriſſimi (Jaśnie Wielmozni)*

mozni) Vernaculo etiam ſermone Caſtellani dicuntur κατ' ἐξοχὴν *Domini*, appellatione loci, cujus ſunt Caſtellani, deflexâ in *ki* vel *ſki*. ut *Pan Poznanski* i. e. Dominus Poſnanienſis, qvi non eſt alius qvam Caſtellanus Poſnanienſis. *Vid.* Cromer. *lib. II. Deſcript. Polon. pag.* 143.

XVII. Ultimi in Senatu ſunt OFFICIALES, ut vocantur, Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, qvi hoc ordine ſeſe ſubſeqvuntur:

Marſchalcus Regni ſupremus.
Marſchalcus M. Duc Lithvaniæ.
Cancellarius Regni ſupremus.
Cancellarius M. Duc. Lithvaniæ.
ProCancellarius Regni.
ProCancellarius M. Duc. Lithv.
Theſaurarius Regni.
Theſaurarius M. Duc. Lithv.
Marſchalcus Curiæ Regni.
Marſchalcus Curiæ M. Duc. Lithv.

Agitata eſt multo tempore controverſia de prærogativa loci inter Cancellarios & Marſchalcos Curiæ, qvæ demum An. 1635. ad inſtantiam Rotæ Nunciorum à Vladiſlao IV. Rege ſopita eſt eo modo, ut Marſchalci Curiæ ultimo loco cenſerentur. *Vid.* Conſtit. *dicti Anni tit. O Mieyſcu vv Senacie fol.* 18. Hinc Starovolſcius in Poloniæ ſuæ Editione Coloníenſi ponit Marſchalcos Curiæ immediatè poſt Marſchalcos ſupremos ante Cancellarios, qvod tamen poſtea in Editione Dantiſcana mutatum eſt. Marſchalci & Theſaurarii non poſſunt ſimul eſſe Palatini vel Caſtellani, ex Conſtit. *Sigismundi Auguſti An.* 1565. *tit. O ſpolnoſci. fol.* 84. Hactenus etiam permiſſum fuit, ut Marſchalci & Cancellarii poſſent ſimul eſſe Duces Belli, ut exempla teſtantur (Nam Joannes Samoſcius ſub Sigiſmundo III. Rege fuit Cancellarius Regni ſupremus, & ſimul ſupremus Exercituum Regni Dux: Hodiè qvoqve Illuſtriſſ. atqve Celſiſſ. Princeps Radzivilius eſt ProCancellarius Magni Ducatus Lithvaniæ & ſimul Exercituum M. Duc. Lithvaniæ Dux Campeſtris. De Marſchalcis, qvod potuerint ſimul eſſe Duces belli, teſtatur exemplum moderni Regis Sereniſſimi Joannis III. qvi anteqvam ad Regale ſolium eveheretur, fuit Marſchalcus Regni ſupremus & ſupremus Exercituum Regni Dux.) Sed poſtqvam eâ de re multæ controverſiæ fuerunt ortæ, inſertus eſt Pactis Conventis Michaëlis & Joannis III. Regum articulus, ne impoſterum Marſchalcis, Cancellariis & Theſaurariis dignitas Ducum Belli conferatur. §. *Wtym ſie.* Cavetur & hoc in Conſtitutionibus Regni, ne Cancellarii & Vice-Cancellarii, ſi conſecuti fuerint Archiepiſcopatum Gneſnenſem, vel Epiſcopatum Cracovienſem, Vladiſlavienſem, Poſnanienſem, Varmienſem & Plocenſem, vel etiam Palatinatum aut Caſtellanatum,

natum, ne, inqvam, retineant officium Cancellarii ex Constit. *Alexandri Regis An. 1504. Vid.* Januszov. *lib. III. Constit. Part. 3. tit. 1. fol. 287.* Cons. Piasec. *ad An. 1613. fol. 338. & ad An. 1617. fol. 368. seq. Ad An. 1624. fol. 439. Ad An. 1627. fol. 469. Ad An. 1635. fol. 570. & 574.* De Palatinatu & Castellanatu non erat, ut lex poneretur, cum vix, aut ne vix qvicem, aliqvis Cancellariatum dimissurus sit, ut conseqvatur Palatinatum vel Castellanatum, cum potius multi etiam supremos Palatinatus & Castellanatus dimittant, ut Cancellariatu potiantur. Sic Illustrissimus ac Celsissimus Princeps Georgius Ossolinius dimisso Palatinatu Sendomiriensi factus est Vice-Cancellarius Regni. *Vid.* Piasec. *f. 599. (503.)* Similiter etiam Illustriss. atqve Celsiss. Princeps Michaël Radivilius ex Palatino Vilnensi factus est ProCancellarius Magni Ducatus Lithvaniæ. Tantæ enim Marschalci supremi, & Cancellarii supremi sunt dignationis, ut præter Castellanum Cracoviensem, & Palatinatum Vilnensem, his solis ex Senatoribus Secularibus Rex tribuat titulum *Illustris.* Vid. Piasec. *ad An. 1587. fol. 65. (55.)* Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. 5. num. 18.* Cum verò alter Cancellariorum in Regno debeat esse ex Ordine Ecclesiastico, ut habet Constit. *Sigismundi I. An. 1507.* (Hinc Cromerus eam vocat legem non antiqvam, cum antea soli Sacerdotes hoc munere fungerentur. *in Descript. Polon. lib. II. pag. 186.*) ideò Cancellariatus confertur uni ex postremis Regni Episcopis ut Culmensi, Præmisliensi &c. Hoc vero propterea fit, qvia tenuiores sunt horum Episcoporum proventus. Extraordinarium autem est, qvod nuper Illustrissimo atqve Reverendissimo Stanislao Widzgæ Episcopo Varmiensi cum consensu omnium Ordinum collatus est Vice-Cancellariatus Regni. Id enim extraordinariæ magni Viri Virtutes, & singularia in Rempubl. merita postulabant. Ne verò id in conseqventiam trahatur, cavetur Constitutione *Anni 1676. fol. 29.*

XVIII. Jam de muniis Magistratuum horum qvædam addenda sunt. MARSCHALCI Regni supremi munus est, cùm aliàs, tùm præcipuè in Interregno, ut locum Comitiis agendis præparet; stativa circumqvaqve Senatoribus & Ordini Eqvestri assignet; Legatis diversoria provideat. Simulac ad Comitia confluunt Senatores & Nuncii Terrestres, statim omnia administranda suscipit; imponit precia rebus venalibus; moderatur pompas publicas; præstat silentium in Consessu senatus; copiam dat sententiæ dicendæ. Si qvis etiam Senatorum extra ordinem, vel qvispiam alius ex Eqvestri Ordine in Senatum veniens perorare voluerit, nonnisi petitâ à Marschalco Regni dicendi facultate prolo-

qvitur. Hæc autem Marſchalco maximè incumbit cura, ut in Comitiorum loco & aulà Regia, tam ſub Rege, qvam ſub Interregno, omnia ſint ſecura. Habet itaqve poteſtatem coërcendi & puniendi facinoroſos etiam ultimo ſupplicio, eſtqve eorum forum ultimæ inſtantiæ; & cum aliqva eſt cauſa majoris momenti, non per viam appellationis, ſed informationis ſententia Regia expoſcitur. Chvvalkovvski *lib. I. cap. 5. n. XIX. pag. 78.* Limitata tamen eſt eorum poteſtas tempore Interregni in Electione Regum. Tum enim ad judicia Capturalia præter Marſchalcos adduntur alii judices ex Senatorio pariter, atqve Eqveſtri ordine, ut ſupra dictum eſt. Hæc itaqve ſunt Marſchalci Regni ſupremi munia, qvæ cum conſilio Marſchalci Curiæ exeqvitur, qvando in Regno Comitia celebrantur. Rege verò in Lithvania degente & Comitia celebrante (qvod ut inpoſterum fiat, legibus definitum eſt, ut de Comitiis acturi monebimus) iisdem muniis fungitur Marſchalcus Magni Ducatus Lithvaniæ ſupremus cum conſilio Marſchalci Curiæ Magni Ducatus Lithvaniæ; In abſentia Marſchalci Regni ſupremi, fungitur eodem officio in Regno Marſchalcus Curiæ Regni; & ſi hic qvoqve abeſt, tum demum munus hoc in Regno incumbit Marſchalco Magni Duc. Lithvaniæ, vel in hujus abſentia Marſchalco Curiæ Magni Ducatus

tus Lithv. Qvin omnibus Marſchalcis abſentibus, obeunt etiam hæc munia Cancellarii & Theſaurarii. CANCELLARIORUM in Regno alter eſt Secularis, alter ex Ordine Eccleſiaſtico; Conſvetudine enim longâ introductum eſt, ut mortuo Cancellario Seculari, ſuccedat ViceCancellarius ſpiritualis; & vice verſâ defuncto Cancellario ſpirituali, ſuccedat in Officium Cancellariatus ſupremi ViceCancellarius Secularis. In Lithvania utut antea admiſſi qvoqve fuerint ad munera Cancellariorum & Epiſcopi; ut conſtat exemplo Euſtachii Wolovvicz, qvi ſub initium hujus ſeculi fuit Epiſcopus Vilnenſis, & ViceCancellarius Magni Ducatûs Lithvaniæ: Hodiè tamen uterqve Cancellariorum eſt Secularis. Eſt autem Cancellarii & ViceCancellarii par auctoritas & poteſtas, excepto, qvod ſupremus ſit majoris, Procancellarius minoris Sigilli cuſtos, & hic nonniſi illo abſente Aſſeſſorialia exerceat judicia, de qvibus poſtea. Alia, qvæ Cancellariis incumbunt, ſatis nota ſunt. Verbo, Cancellarii ſunt os & manus Regis, qvibus in expediendis negotiis utitur. *Vid.* Krzyſtanovvicz *in Deſcript. Polon. pag. 14.* Chvvalkovvski *loc. cit. pag. 82.* THESAURARII ſunt Promi & Condi Theſauri Reipubl. & Magiſtri rei monetariæ. *Vid. Conſtit. An. 1611. fol. 12.* In Conſtit. *An. 1654. fol. 14.* vocatur Theſaurarius ſupremus rei monetariæ

riæ præfectus. Qvando Rex alicui tradit Officium Thesaurarii Regni, designantur qvatuor ex Ordine Senatorio (ubi duo sunt ex majore, duo ex minore Polonia) qvi omnia ex Registro Thesaurario tradant, deinde unum Registrum Regi, alterum Thesaurario insinuent, tertium ipsi sibi servent. ex Constit. *Sigismundi Augusti An. 1563. fol. 43.* Conf. Janusz zov. *lib. IV. part. I. tit. III. fol. 309.* Juramenta horum Officialium, ut & reliqvorum Senatorum dabimus in fine hujus capitis.

XIX. Præter Episcopos, Palatinos, Castellanos, & Magistratus enumeratos, sunt adhuc alii, qvi Cromero visi sunt ad Consilium Regium pertinere, ut duo PRÆFECTI sive CAPITANEI, nempe MAJORIS & MINORIS POLONIÆ, sed perrarò usu venire dicit, ut illi non alio aliqvo honore Senatorio fulgeant. *lib. II. Descript. Polon. pag. 139.* Addit ibidem : *Secretarii admittuntur qvidem & ipsi jurati in Senatum, sed ut Auditores modò & qvasi Seminarium Senatus. Neqve locum habent in Consilio, neqve dictionem sententiæ. Ex his autem unus Major Secretarius dicitur: Duo Referendarii, sive supplicum libellorum Magistri sunt. Putantur & Succamerarii aditum habere ad locum habendi Senatus, claudendi & aperiendi ostia, idqve in suo tantum qvisqve territorio. Jam & Senatorum primariorum præsertim filios adolescentes admitti in Senatum non inusitatum est. Qvanqvam soleant & ii sacramento adigi in numero Secretariorum, qvo liberius intersint Consiliis.* Hæc Cromer. *loc. cit. pag. 140. seq.* In Volumine tamen Legum *ab Andrea Petricovio edito fol. 180.* Postqvam ordo Senatorum tàm Spiritualium, qvàm secularium descriptus esset, additur: *Referendarios qvoqve habere potestatem, in Senatu sententiam suam dicendi.* De omnibus Senatoribus id notandum est, qvod sine peculiari Reipublicæ indultu, ad curandam valetudinem, vel ad alia negotia expedienda non possint limites Regni egredi. Exempla *vid.* in Constit. *An. 1676. fol. 57.*

XX. Tandem cum singulorum SENATORUM OFFICIA eò melius ex jurejurando cujusqve nobis innotescere possint, placet tandem juramenta illa subnectere. Jusjurandum SENATORUM, qvi non sunt Officiales, seqvens est: *Ego N. juro, qvia Serenissimo Principi ac Domino N. Regi Poloniæ fidelis ero; pro ejusqve Majestate & Reipubl. Regni sui fideliter consulam & in judicio justè sententiam dicam: secreta, qvæ mihi per suam Majestatem & Consiliarios ejus dicentur, contingentia vel Majestatem Regiam vel Rempublicam aut utrumqve nemini in jacturam Regiam & Reipubl.*

pan-

pandam, & pro posse meo, utilitates suæ Majestatis Regiæ, Regni & Reipubl. augmentabo: qvicqvid verò scivero, intellexero aut sensero suæ Majestati Regiæ, Regno & Reipublicæ nocibile & damnosum, præcustodiam; & ne fiat, me opponam, & illud avertam. Sic me Deus adjuvet, & hoc sacrum Evangelium, aut hæc sancta Crux. Vid. Conft. *An. 1588. f. 469.* & Januszov. *lib. III. Const. init. f. 269.* MARSCHALCORUM jusjurandum hujus est tenoris: *Ego N. juro, qvod Serenissimo Principi & Domino, Domino N. Regi Poloniæ & ejus successoribus & Regno Poloniæ in hoc Officio Marschalcatus mihi commisso fidelis ero, illudqve tàm in Conventibus publicis, qvàm etiam in aliis locis in Aula Majestatis Regiæ, summâ fide & diligentiâ administrabo, non privati mei alicujus qvæstus, sed dignitatis & utilitatis tantum Maj. Regiæ & Regni Poloniæ gratiâ. In Consilium Regiæ Majestatis adhibitus, illud ego fidele Majestati ejus & Regno Poloniæ præstabo. Nulla secreta, qvæ mihi aliqvando à Majestate Regia vel Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatem vel in præjudicium Majestatis ejus & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, qvæ imminere Regno & Regi Poloniæ scivero aut opinabor, Majestati ejus, & cæteris Senatoribus indicabo, & pro posse meo avertam. Personæ cujusqve dignitatis rationem pro loco & tempore habebo. Seditiones, contentiones, rixas, scandala, excessus, maleficia, ne fiant in aula Regia & in Conventibus publicis, omni meâ operâ & diligentiâ providebo. Qvodsi fortè aliqva ejusmodi acciderint, ea, qvantum in me erit, sedabo aut animadversione justâ vindicabo idqve consensu, jussu & auctoritate Majestatis Regiæ: cæteraqve officii mei munera & onera, juxta præscriptum Statutorum Regni fideliter observabo: idqve non sine mutuo consilio & consensu cæterorum Regni Consiliariorum & Officialium, qvi præsentes in aula fuerint. Sic me Deus adjuvet & sancta Dei Crux.* Vid. Januszov. *lib. III. Constit. part. IV. tit. I. fol. 293.* CANCELLARIORUM jusjurandum his verbis est conceptum. *Ego N. Regni Poloniæ Cancellarius*

rius (vel Vicecancellarius) *juro, qvod Serenissimo Principi Domino, Domino N. Poloniæ Regi & Majestatis ejus Successoribus ac Regno Poloniæ, in hoc Officio Cancellariatus* (vel Vicecancellariatus) *mihi commisso fidelis ero. Nullas literas Pergamenas sine scitu & expressâ voluntate Regiæ Majestatis tradam. Papyreas verò nullas tàm in Regno, qvàm extra Regnum, qvæ vel Regiæ dignitati vel honestati derogent, vel ex qvibus damnum aliqvod ad Majestatem ejus vel Regnum pervenire possit, & qvæ juri communi & libertatibus adversentur, aut literis ex Cancellaria datis contrarias esse scivero. Membranas item nullas unqvam tradam præterqvam papyreas, idqve sciente tantùm aut jubente Regiæ Majestate. Consilium fidele Majestati suæ & Reipublicæ præstabo, neqve ulla unqvam secreta, qvæ mihi communicata fuerint, præter suæ Majestatis voluntatem & mandatum revelabo: & pericula omnia qvæ imminere vel ejus Majestati vel Regno undecunqve scivero & cognovero, Majestati ejus deferam, & pro posse meo avertam.* *Sic*

Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Evangelia. Vid. Januszov. *lib. III. part. III. tit. I. fol. 286.* Tandem THESAURARII hoc sese Regi sacramento obstringunt: *Ego N. juro, qvod Serenissimo Principi ac Domino, Domino N. Regi Poloniæ & Majestatis ejus Successoribus, ac Regno Poloniæ, in hoc Officio Thesaurariatus mihi commisso fidelis ero, illudqve summâ fide & diligentiâ administrabo, non privati mei qvæstus, sed dignitatis tantum & utilitatis Majestatis Regiæ & Regni Poloniæ gratiâ, coronam & alia insignia Regni, Privilegia & Thesauros omnes Regni diligenter conservabo. Reditus omnes & singulos Regni, & omnia, qvæ ad fiscum Regni pertinent, summâ curâ & fidelitate exigam & dispensabo. Curam monetæ cudendæ, qvando usus postulaverit, rationes ærarii, expeditiones militum, Aulicorum, Legatorum, & omnium eorum negotiorum, qvæ ad usus privatos & publicos Majestatis Regiæ & Regni Poloniæ pertinent, cæteraqve omnia mei officii munia & onera fideliter & secundum præscriptum Statutorum Regni procurabo: idqve non*

 sine

sine mandato Majestatis Regiæ & Consilio Consiliariorum & Officialium Regni. In Consilio Majestatis Regiæ & Regni Poloniæ fidele consilium dabo. Nulla secreta, qvæ mihi à Majestate Regia vel à Senatoribus Regni communicata fuerint, præter voluntatem & in præjudicium Majestatis Regiæ & Regni Poloniæ revelabo. Pericula omnia, qvæ imminere Regno & Regi Poloniæ putavero, Majestati suæ & Senatoribus Regni indicabo, & pro posse meo avertam. Sic me Deus adjuvet & sancta Dei crux. Vid. Januszov. *lib. IV. Const. part. I. init. fol. 307.* & Paulus Szerbic *in Promptuario Statutorum omnium & Constitutionum Regni Poloniæ part. I. cap. 16.*

CAP. IV.

De Magistratibus, qvi sunt extra Ordinem Senatorium.

I.

EGimus superiori capite de Magistratibus Ordinis Senatorii, jam Ordine postulante pauca qvædam de Magistratibus extra Senatum existentibus addemus. Sunt verò illi trifariam divisi. Vel enim sunt totius Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ: Vel sunt Aulæ Regiæ: vel tandem singulorum Districtuum. Totius Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ aliter recensentur à vetustioribus, ut à Stanislao Krzystanovicio & aliis, aliter à modernis. Nos, qvoniam hoc tempori est accommodatius, posteriores seqvemur. Est verò ordo seqvens Magistratuum Regni & M. Duc. Lithvaniæ, ut & Aulæ Regiæ.

Secretarius Regni Major.
Secretarius Major Magni Ducatus Lithvaniæ.
Referendarius Regni spiritualis.

Referendarius Magni Ducatus Lithvaniæ ſpiritualis.
Referendarius Regni ſecularis.
Referendarius M. D. Lithv. ſecularis.
Exercituum Regni Dux generalis.
Exercituum M. Duc. Lithv. Dux generalis.
Exercituum Regni Dux Campeſtris.
Exercituum M. Duc. Lithv. Dux Campeſtris.
Succamerarius Regni.
Succamerarius M. Duc. Lithv.
Theſaurarius Curiæ Regni.
Theſaurarius Curiæ M. Duc. Lithv.
Theſaurarius Terrarum Pruſſiæ.
Vexillifer Regni.
Vexillifer Magni Duc. Lithvaniæ.
Enſifer Regni.
Enſifer Magni Ducatus Lithvaniæ.
Præfectus Stabuli Regni.
Præfectus Stabuli Magni Duc. Lithv.
Culinæ Regni Præfectus.
Culinæ M. Duc. Lithv. Præfectus.
Pocillator Regni.
Pocillator Magni Duc. Lithv.
Inciſor Regni.
Inciſor M. Duc. Lithvaniæ.
Dapifer Regni.
Dapifer M. Duc. Lithvaniæ.
Subdapifer Regni.
Subdapifer M. Duc. Lithv.
Pincerna Regni.

Pincerna M. Duc. Lithvan.
Notarius Campeſtris Regni.
Notarius Campeſtris M. Duc. Lithv.
Magiſter Artilleriæ Regni.
Magiſter Artilleriæ M. Duc. Lithv.
Caſtrorum Regni Præfectus.
Caſtrorum M. Duc. Lithv. Præfectus.
Præfectus Vigilium Regni.
Præfectus Vigilium M. Duc. Lithv.
Regens Cancellariæ Majoris Regni.
Regens Cancellariæ Majoris M. D. L.
Regens Cancellariæ Minoris Regni.
Regens Cancellariæ Minoris M. D. L.
Notarii 4. duo Regni & duo M. D. Lithv.
Inſtigator Regni.
Inſtigator M. D. Lithvaniæ
Notarius Decretorum Cancellariæ Regni. } qvi habent ſuos *Regẽtes.*
Notarius Decretor. Cancellariæ M.D.L. }
Vice Inſtigator Regni.
Vice Inſtigator M. D. Lithv.
Venator Regni primarius.
Venator M. D. Lithv. primarius.
Notarius Theſauri Regni ſupremus.
Vexillifer Curiæ Regni.
Vexillifer Curiæ M. D. Lithv.
Præfectus Curruum Regni.
Præfectus Curruum M. D. L.

Vice Præfectus Stabuli Regni.
Vice Præfectus Stabuli M. D. L.

Hunc Ordinem tradit Nicol. Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. 6.* Solos Curruum Præfectos omittit, qvos additos reperi in recentissimo horum Magistratuum Indice, ab amico mihi communicato, licet Auctor Indicis nomina eorum, qvi his Magistratibus funguntur, nulla addiderit, qvod tamen in omnibus aliis fecit. Hinc colligere licet, hos jam Magistratus vacare. Addit his Krzystanovvicz Præfectos Teloneorum, Fodinarum argenti, plumbi, salis.

II. De DUCIBUS EXERCITUUM acturi sumus infra cap. VIII. num. XXI. nunc tantum notamus, Krzystanovicium aliosqve vetustiores, eos præponere Secretariis majoribus & Referendariis: Sed utrum illi Secretarios majores de jure præcedant, an verò seqvantur, forsan hodiè non opus est qværere, cum Dignitates hæ Ducum Belli, hodiè non nisi Senatoriâ Dignitate jam fulgentibus conferantur. Unicum forsan hoc Seculo tantum reperitur exemplum Christophori Radzivilii Ducis, cui circa An. 1630. collata est Ducis exercituum Dignitas, licet non fuerit Senator. SECRETARII MAJORES sunt spirituales. Admittuntur ad secretiora consilia, expeditionesqve publicas. Supplent vices Cancellariorum, ideoqve proximum habent accessum ad Episcopales Dignitates, ut & ad dignitatem Procancellariatus. REFERENDARII sunt supplicum libellorum Magistri. Qvin etiam litibus urbanis ad judicium Regium devolutis disceptandis adsunt: Exponunt Regi causas & Controversias litigantium. Habent & hi proximum aditum ad dignitates Senatorias. Reliqvorum Magistratuum nomina partim ex ipsis nominibus nota sunt, partim etiam ex seqventibus cognoscentur.

III. Magistratus tertii Ordinis, sive Districtuum singulorum dividuntur in duas classes. Alii enim sunt MAGISTRATUS TERRESTRES: Alii MAGISTRATUS CASTRENSES, à castris sive arcibus ita dicti. MAGISTRATUS TERRESTRES sunt seqventes:

***Succamerarius*, sive, Finium regundorum Prætor.**
Vexillifer.
Judex Terrestris.
Dapifer.
Pocillator.
Subjudex Terrestris.
Subdapifer.
Pocillator.
Venator.
Tribunus.
Notarius Terrestris.

Gladifer.

Tribuni alii minores.

Custodes Thesauri.

Hic ordo Officialium Terrestrium in singulis Regni Districtibus constitutus est in Comitiis An. 1611. *Vid. Constit. ejus Anni fol. 26.* Confirmatusqve est Anno 1647. *Vid. Constit. fol. 18.* Ultimi tantùm illi Custodes Thesauri (*Skarbnici*) additi sunt per Constitutionem *Anni 1635. circa fin. tit. O Skarbnikach* & *An. 1638. fol. 45.* In Lithvania verò sunt etiam alii Officiales Districtuũ; ut in illis Districtib9, ubi non sunt Castellani, sunt MARSCHALCI, sive Comitiolorum Directores, qvi ibidem sunt perpetui. Nempe Osmianensis, Lidensis, Braclaviensis, Grodnensis, Caunensis, Upitensis, Slominensis, Wolkoviensis, Orszanensis, Pincensis, Mozyrensis, Rzeczycensis, Marschalci. Deinde inter Officiales Terrestres Magni Ducatus Lithvaniæ reperiuntur non tantum in qvibusdam Palatinatibus, sed etiam in Bonis Regiis, TIWUNI. (*Ciwunowie.*) Cujusmodi sunt, Tivvunus Vilnensis, Trocensis, Eyrogalensis in Samogitia. Item Tivunus in magna Dyrvvian, in minore Dyrvvian, Retoviensis, Vzvvensis, Tvverensis, Berzanensis, Korszensis, Schaudoviensis, Pojurensis, Wiesznianensis & alii, inter qvos Vilnensis, Trocensis & Samogitiæ præcedunt omnes

omnes Officiales Terrestres. *Vid. Constit. An. 1598. fol. 699.* Porrò est etiam in Lithvanicis Palatinatibus Officialis, qvi dicitur HORODNICZY i.e. *ædilis*, ut patet ex *Constit. An. 1667. fol. 79.* Assignatus est illis locus post Notarium Terrestrem, & qvidem non uno, sed diversis temporibus. Nimirum Vitepscensi *per Constitut. Anni 1635. post med.* Polocensi *per Constit. An. 1638. fol. 55.* Minscensi *per Constit. An. 1641. fol. 39.* Mscislaviensi, *per Constit. An. 1661. fol. 19.* Novvogrodensi *per Constit. An. 1676. fol. 18. inter Constitut. Lithvanicas.* Occurrunt etiam qvædam differentiæ circa hos Magistratus in Masovia. *Vid. Constit. An. 1611. fol. 26.* In Palatinatu Volhyniæ diversus Ordo fuit antea, qvi qvidem approbatus fuit *per Constit. An. 1613. fol. 34.* Sed postea idem Ordo introductus est, qvi observatur in Regno. *Vid. Constit. An. 1647. fol. 18.*

IV. Tandem Magistratus Castrenses sunt seqventes:

Capitaneus cum Jurisdictione.

Capitaneus sine Jurisdictione.

Burggrabius.

Vicecapitaneus.

Judex Castrensis.

Notarius Castrensis.

CAPITANEI CUM JURISDICTIONE sunt Præfecti arcium & Civitatum Regiarum;

 exer-

exercent judicia Castrensia, & per suos Vice-capitaneos (qvos non Rex, neqve Nobilitas, sed ipsi Capitanei constituunt) judicia Qverelarum, de qvibus suo loco agetur; omnium aliorum judicum sententias executioni mandant; gerunt curam Redituum Regiorum. Qvamvis autem constitutione Anni 1613. Officiales Terrestres prælati sint Officialibus Castrensibus; Capitanei tamen excipiuntur, qvi habent in Comitiolis inter Succamerarium & Vexilliferum. *Vid.* qvæ dicturi sumus *cap. 6. num. 6.* CAPITANEI SINE JURISDICTIONE sunt Bonorum Regiorum Tenutarii, qvi nulla judicia exercent. BURGGRABII sunt Custodes arcium, excubiarumqve curam gerunt, Capitanei auctoritati subjecti. In Prussicis autem Civitatibus Burggrabii non sunt custodes arcium, sed in ipsis Civitatibus curam gerunt Bonorum Caducorum, Naufragorum; exercent etiam qvædam judicia. *Vid.* Elias Constant. à Trevven Schröder. *in Jur. Publ. Dantiscano lib. II. tit. 3.* & Reinhold. Curike *in Chron. Gedanensi lib. II.* NOTARII CASTRENSES intersunt judiciis Castrensibus, possuntqve suos habere Vice-Notarios, qvi & ipsi debent esse Nobiles possessionati. *Vid. Const. An. 1635. tit. Grody pvieczne.* Notandum tandem & hoc est, qvod Subjudex Terrestris possit simul habere Officia Castrensia *per Constit. An. 1658. fol. 45.*

qvam-

qvamvis antea (nempe *An. 1635. tit. Salaria.*) Terra Gostinensis sibi hoc reservaverit, ne Subjudex Terrestris sit judex Castrensis. *Vid.* Nicol. Chvvalkovvski *lib. I. Iur. Publ. Polon. cap. 6. pag. 97. seqq.*

CAP. V.

De *Nobilitate.*

I.

Tertium & ultimum Reipublicæ Polonicæ Ordinem constituit Nobilitas sive Ordo Nobilium. Polonis lingvâ patriâ Nobilis dicitur *Szlachcic*, & Nobilitas *Szlachetstwo*, vel, qvando Nobilitas pro Nobilibus ipsis accipitur, *Szlachta.* Antiqvitus Nobiles Polonis vernaculâ lingvâ dictos fuisse *Supanos*, discimus ex Chronico Montis Sereni, qvod Joachimus Joannes Maderus edidit, *ad An. 1209. pag. 86.* Licet verò apud Polonicos Scriptores hoc nomen in usu fuisse non reperiam, fidem tamen huic Auctori, ut συγχρόνῳ, denegare non possum, qvi hoc ex cerebro suo effingere non potuit. Aliàs & apud Lithvanos Prussosqve Veteres Nobiles dictos fuisse Supanos, non est qvod dubitemus. *Vid.* Casp. Henneberger. *de Vet. Pruss. pag. 18.* Habuerunt

buerunt itaqve Poloni hoc nomen antiqvitus cum Lithvanis & Prussis commune. Consentit nobiscum Alexander Paprocki in eo, qvod nomen Szlachta antiqvitus apud Polonos non fuerit in usu; putat tamen, qvod Nobiles olim dicti fuerint *Ziemianie*, qvod vocabulum derivatur à *Ziemia* i. e. terra, qvoniam, qvæ tunc erat morum simplicitas, illi habitantes extra urbes, terram colebant. Et ex hac ratione etiam hodiè Nobilium judicia dicuntur *Sady Ziemskie* i. e. judicia Terrestria; item Delegati Nobilium ex Provinciis ad Comitia missi dicuntur adhuc *Poslowie Ziemscy* i. e. Nuncii Terrestres. Postea hæc vox mansit penes agricolas honoratiores. Nam vel hodie in Prussia illi agricolæ, qvi non sunt adscriptitii, sed libertatibus suis gaudent, in Polonicis Prussiæ locis, dicuntur *Ziemianie*. Unde autem vox *Szlachta*, qvæ postmodum in usu esse cœpit, derivetur, non una est Polonorum sententia. Ridiculum ferè est, qvod habet Alexander Paprocki *in Narratione Historica de Origine stemmatis Trzyglow*. Dicit enim vocem *Szlachta* dici à Germanico Schlachten. Cum enim tempore Vladislai Jagellonis in Prussia ad Tannebergam & Grunwaldiam qvadraginta, vel secundum alios qvinqvaginta millia Cruciferorum in prœlio à Polonis cæsa essent, communi proverbio inter Germanos jactatum fuisse scribit illa: Die Pohlnische Schlacht. Item: Den Pohlen ist eigen zu schlachten. Inde dicit Nobilitatem Polonicam hoc sibi gloriæ duxisse, nomenqve *Szlachta* suum fecisse. Stanislaus Sarnicius putat verbum hoc derivari à *slawa* qvod gloriam significat. *lib. IV. Annal. Polon. in fin. fol. 191.* Proximè ad rei veritatem mihi accedere videtur Martin. Cromerus, qvando vocem hanc *Szlachta* deducit à Germanico Geschlechter. *lib. I. Descript. Poloniæ pag. 109.*

II. Ut autem apud Veteres Romanos gens differebat à familia, ut totum à parte v. g. Valerii omnes unius esse gentis dicuntur, qvia uno nomine continentur omnes: at verò partes hujus gentis sunt plures, qvæ ex cognominum varietate distinctæ sunt, eæqve familiæ nominantur, ut in gente Valeria sunt Maximi, Messalæ, Flacci, Lævini, Faltones. In gente Cornelia sunt Scipiones, Lentuli, Dolabellæ, Sullæ, Cinnæ. *Vid.* Carol. Sigonius *lib. de nominib. Rom. cap. 4.* Eadem ratione habet se Nobilitas Polonorum. Sunt ibi certæ gentes Nobilium, qvæ in qvamplurimas familias dividuntur. Gentes omnes enumerant Bartholomæus Paprocki *in Opere Stemmatum Nobilitatis Polonicæ*, ut & Simon Okolski *in Orbe Polono tribus Tomis comprehenso.* Has verò gentes, sive harum gentium Arma & insignia longum esset hic enumerare, duas igitur tantum Alphabeti literas hic exscripsisse sufficiet.

ciet. Sunt verò hæ: *Abdank* five *Habdank*, *Aichinger*, *Alabanda* five *Alba Luna*, *Alamani*, *Amadei*, *Aries* five *Junosza*, *Arca Noë* five *Korab*, *Bavorski*, *Belina*, *Belty*, *Berszten*, *Bialina*, *Biberstein*, *Bodula*, *Bogoria*, *Boyca*, *Bonarovva*, *Boncza*, *Bozavvola*, *Bozezdarz*, *Bokiiovv*, *Bratczycze*, *Broczvvicz*, *Brodzic*, *Brog*, *Bronic*, *Boleszyc*, *Budzisz*, *Baran*, *Bzura*. Sic in aliis Literis sunt, *Cholevva*, *Dambrovva*, *Lelivva*, *Topor* & qvamplurimæ aliæ. Binorum tamen insignium appellationes ignorari dicit Cromerus *lib. I. Descript. Polon. pag. 104.* Sed Sim. Okolski *sub finem Tomi III.* sedecim habet insignia, qvibus nomina non sunt imposita. Singula hæc Arma five Insignia, five etiam singulæ gentes, ut paulo ante diximus, plurimas iterum comprehendunt familias, v.g. gens illa, qvæ habet Arma *Lelivva*, continebat Tarnoviorum, Pileciorum, Melstiniorum & alias amplas familias. Item gens qvæ habet Arma *Topor*, comprehendit familias Tenciniorum, Ossoliniorum, Coriciniorum & alias plures. Sub armis *Abdank* five *Habdank* comprehenduntur Konarsii, Chojenscii, Buczacii, Jaslovviecii, Suchodolscii & alii. Appellationes illæ Armorum, five Insignium, ut & Gentium desumptæ sunt partim à re ipsa, qvæ in Insignibus illis pingitur, v.g. *Topor* dicitur ab ascia. *Rosa* à flore Rosa. *Korab* ab arca Noë. Horum enim figuram Insignia illa referunt, partim etiam depromptæ sunt ab eventu & casu alio singulari. Sic Insignia *Jelitorum* dicuntur à visceribus, qvæ Florianus Sarius (*Szari*) Nobilis sibi in bello evulsa jam semimortuus intra alvum propriis manibus ingerebat, qvam admiratione dignam Historiam vide apud Matth. à Michovia *in Chron. lib. IV. cap. 12.* Item *Habdankorum* gens eodem modo à singulari casu hoc nomen sortita est. Cum enim An. 1109. Joannes Skarbek Comes à Boleslao Krivousto esset ad Henricum V. Imperatorem missus, & Imperator ambitiosè ostenderet thesaurum ingentem Legatis: hic, inqviens, Polonos perdomabit. Scarbicus jactantiam Cæsaris notans, annulo, qvem digito gestabat, in thesaurum projecto: Aurum, inqvit, addamus auro. Scomma intellexit Cæsar, & ut eluderet illud, addidit Hab Danck/inde gentis nomen *Habdank.* Matth. à Michovia lib. III. cap. 9. Plerorumqve tamen armorum appellationes, unde originem traxerint, nescitur, nisi qvod Cromerus non malè suspicetur, hæc nomina à primis conditoribus, qvi iis nominibus appellati fuere, fluxisse. Verba Cromeri, qvoniam rem egregiè illustrant, hic addemus: „Neq; enim, ait, olim ut nunc ab arcibus, vil„lis & pagis, qvibus dominabantur, denomi„nabantur Eqvites. Sed undelibet sumpta „aut indita nomina ad longam posteritatem „amis-

„amisso etiam vel commutato patrimonio re-
„ctè transmittebant. Qvalia etiam supersunt
„nunc multa,cùm alibi, tùm in submontano
„& Sciriensi tractu & in Russia. Ut sunt Her-
„borth, Dunin, Jordan, Gladis, Pieniascus,
„Pierschala,Cmita, Farurejus & alia ejusdem
„generis. Nunc malunt pleriqve de arcium,
„oppidorum & pagorum nominibus, deflexâ
„paululum per denominationem in *ski*, sive
„*ki* voce appellari. Ea deflexio vel adjectio
„syllabæ à latinè loqventibus & scribentibus
„in *ius* commutatur, ita ut à *Choina*, *Choinski*,
„& pro eo Latinè *Choinius*. Interdum autem
„sine hac deflexione vel adjectione arcis, vel
„oppidi, vel pagi nomen unde qvisqve ortus,
„vel cujus Dominus est, cum præpositione *de*,
„vel *à* vel *ab* vel *in* cognominis loco usurpa-
„tur à magnatibus præsertim & clarioribus:
„ita ut v. g. *in Tenczyn* vel à Gorka, vel de
„Fulsztin qvis appelletur *in* præpositionem
„iis ferè attribuunt, qvi Domini sunt locorum:
„cæteras etiam iis, qvi inde duntaxat orti vel
„oriundi sunt, etiamsi ibi non habeant, ubi pe-
„dem figant. Hæc Cromer. *lib. I. Descript.
Polon. pag. 104*. Ex qvibus manifestum est ea,
qvæ nunc appellantur Arma, Insignia, (ut &
gentes qvæ illis Armis utuntur) fuisse qvon-
dam nomina singularum familiarum; sed
cum postea familiæ illæ in plures familias sive
domos multiplicarentur, appellarunt sese hæ
pro-

propagines à locis & arcibus, qvibus præ-
erant, & hinc multitudo familiarum in una
gente.

III. Nobilitatis vulgò duos gradus faciunt diversarum gentium Scriptores, distingventes eandem in superiorem & Inferiorem sive in majorem & minorem. Superior sive major est eorum, qvi Reges seqvuntur usqve ad Barones inclusivè, qvo pertinent Principes, Comites & Barones. Hos seqvuntur inferioris gradus Nobiles. Sic enim habet Joannes Nauclerus *Generatione XLIII. fol. 231. & alii.* An verò & apud Polonos hæc distinctio locum habeat, & qvalis illa sit, videamus.

IV. DUCUM qvondam in Polonia nunqvam aliud genus fuit, qvam id, qvod à Boleslao Krivousto Principe propagatum fuit, cum is Principatum inter filios divisisset. In Masovia Duces descendebant à Conrado Lesci Albi Principis Poloniæ fratre. Verum illi Duces jam defecerunt. Vid. Cromer. *lib. I. Descript. Polon. pag. 103*. In Magno qvoqve Ducatu Lithvaniæ, ut & in Russia plurimi fuerunt olim Duces ex stirpe Magnorum Ducum Lithvaniæ oriundi. Et qvidem Vitoldus Magnus Dux Lithvaniæ habuit aliqvando in exercitu suo qvinqvaginta Duces, omnes ex familiis antiqvorum Lithvaniæ Russiæqve Ducum oriundos. *Vid.* Albert. Wijuk, Kojalowicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. I.* Inter Duces

Russorum celebriores erant Duces SLUCENSES, KIOVIENSES, VLODIMIRIENSES, HALICIENSES. &c. Imò supersunt adhuc hodie ex antiqvis Ducibus Lithvaniæ & Russiæ qvidam, ut Illustrissimi DUCES IN WISNIOWIEC Koributhorum, ex qva familia fuit Serenissimus MICHAEL REX POLONIÆ. Item Duces CZARTORYSCII, qvi ex antiqva Ducum Lucensium & Vlodimiriensium familia descendunt. *Vid.* Okolski *Tom.II.fol.204. seq.* Fuerunt etiam non ita pridem Duces in SLUCKO, Duces in OSTROG, Duces ROZYNSCII, Duces KORECII, sed eorum familiæ jam sunt extinctæ. Deinde præter illos Duces sunt adhuc alterius generis Duces, qvi videlicet ex aliis Regnis sedem in Poloniam vel Magnum Ducatum Lithvaniæ transtulerunt. Sic ex Moscovia migrarunt in Lithvaniam OGINSCII, MASSALSCII & POLUBINSCII dicti *Knesii* i.e. Duces. *Vid.* Okolski *Tom.II. Orbis Poloni fol.43. & 218.* Sic etiam An. 1652. qvæsivit jus Indigenatûs in Polonia *Franciscus Erdmannus* DUX SAXONIÆ cum omni sua posteritate, impetravitqve eâ conditione, ut jusjurandum fidelitatis Regi & Reipubl. coram Rege & Senatu præstaret, & intra sexennium in Poloniam se transferret. *Vid.* Constit. *ejus anni fol.28.* Deinde An. 1658. datum est jus Indigenatûs *Henrico de Gordon* MARCHIO-

CHIONI *Huntlæo*, qvi Reges Angliæ proximâ contingit cognatione, ut in Constitut. *ejus anni fol.51.(47.)* dicitur. Sic etiam An.1676. concessum est jus Indigenatus in Regno Poloniæ Stephano Petro Palatino Terrarum Moldaviæ cum suis consangvineis, promissa etiam ipsi sunt bona ex primis vacantibus in Regno Poloniæ. Interea autem dantur ipsi qvotannis 20. millia florenorum Polonicorum, donec illa Bona consecutus fuerit. *Vid.* Constit. *ejus Anni fol.58. seq.* Sic etiam Indigenatum concessum fuisse Andreæ & Balthasari Bathoreis *An. 1588. fol. 485.* & Andreæ Bathoreo Constit. *An. 1627. tit. Indigenat.* Item Mironi Bernavio Domino Valachiæ *An. 1629. tit. Indigenat.* Sed prostremi hi ex Moldavia & Transylvania titulo Ducum non sunt usi. Tertiò sunt etiam Duces in Polonia & Magno Ducatu Lithvaniæ, qvi ab Imperatoribus Germanicis evecti sunt ad S. Rom. Imp. Principum dignitatem. In Lithvania sunt Illustrissimi & Celsissimi DUCES RADZIVILII. Nam Maximilianus I. Imp. evexit in Principem S. Rom. Imp. Nicolaum Radivilium Palatinum Vilnensem, uti habet Kojalovvicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. VII. pag. 374.* Ille honor, cum Sigismundus Augustus Rex Poloniæ Barbaram Radiviliam matrimonio sibi conjunxisset, habitus est etiam reliqvis omnibus ex stirpe Radiviliorum oriundis

à Carolo V. Imperatore. Nam An. 1547. in Comitiis Augustanis obtinuit Nicolaus Radzivvil Marschalcus Magni Ducatus Lithvaniæ supremus, ut non solum ipse, sed & frater Germanus Joannes Dux in Olyka & Niesvviesz & Patruelis ejus (Barbaræ verò Reginæ frater) Nicolaus nomine Dux in Dubinki & Birze renunciarentur, atqve in Collegium Principum Rom. Imp. cooptarentur. Vid. Kojalovvicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. VIII. pag. 405. & 415.* Sic initio hujus Seculi SIGISMUNDUS à MIROW MYSZKOWSKI Supremus Regni Poloniæ Marschalcus adoptatus est in familiam à Vincentio Gonzaga Duce Mantuano, creatusqve est MARCHIO S. Rom. Imp. à Clemente VIII. Pontif. Rom. *Vid.* Polnische Kriegs- und Staats-Sachen *pag. 337.* Deinde An. 1633. Urbanus VIII. Pontifex Romanus contulit Georgio Ossolinski Comiti in Tenczyn absenti dignitatem DUCIS IN OSSOLIN. Privilegium super hac re exhibet Simon Okolski *Tom. III. fol. 42.* Postea verò An. 1637. idem honor collatus est Ossolinio à Ferdinando II. Imp. Diploma Illustrissimo Duci datum habet idem Okolski *Tom. III. Orbis Poloni fol. 44.*

V. Comites titulo illustres multos habuit Polonia antiqvissimis etiam temporibus, inter qvos primas obtinuerunt multi ex familia Toporum oriundi, ex qva fuerunt Starzones, qvi MAGNI COMITES vocabantur. Item Comites in Panigrodz, Comites in Peregnia, Comites in Xiaz, Comites in Tenczyn & Comites in Ossolin. Comites de Pilca, Comites de Jablonna. *Vid.* Sim. Okolski *Tom. III. sub Insign. Topor. fol. 23.* His accensendi sunt & alii Comites, qvi partim ab exteris oris in Regnum Poloniæ commigrantes Comitum Titulum retinuisse dicuntur, ut fuerunt Comites in Tarnovv, qvi circa An. 1100. in Poloniam venerunt, & ab oppido Tarnovv, qvod Spicimirus ex eadem gente Comitum oriundus condidit, Comites in Tarnovv dicti sunt. His addi possunt Comites de Gora, Comites Bogurii, Comites Godziembæ, Comites Zarembæ, Comites de Bilatovvice, Comites Manducæ. C. de Brodi, C. de Wierzbna. C. Larissæ. Com. Rogalæ de Biberstein, Com. de Slopie, Com. de Czarnkovv, Com. de Konskie, Com. Vchanscii, Comites Cembocii, Comites de Trombki, de Labischin, de Gulczovv; Et de Szavvin, qvi ultimi sunt Armorum Pravvdzic. Hi & alii plurimi partim ex aliis Regnis in Poloniam commigrasse, partim etiam à Principibus & Regibus Poloniæ ad hunc dignitatis gradum evecti esse dicuntur. Sic Boleslaus Crivoustus Princeps Poloniæ creasse dicitur Petrum Duninum COMITEM IN SKRZINNO. Simon Okolski *Tom. II. Orb. Pol. fol. 34.* Sic etiam ROZRAZEVII insi-

insigniti sunt Comitum titulo à Boleslao Duce Poloniæ, ut vult Okolski *Tom.I. Orb. Polon. fol. 162 pr.* Item Joannes Granovvski creatus esse fertur COMES IN PILCA ab Vladislao Jagellone, intercedente pro eo conjuge Regis, qvæ fuit ex familia Pilleciorum. Okolski *Tom.II. fol.72.* Deinde præter dictos illos dantur etiam in Polonia Comites ab Imperatoribus Germanicis hoc dignitatis titulo donati, qvorum præcipui sunt TENCZYNII. Cum enim tituli Comitum antiqviorum, ut qvidam volunt, jam in desvetudinem abiissent, creatus est in Comitem S. R. Imp. Andreas à Tenczyn, à Carolo V. Imp. An. 1527. Privilegium hac super re reperitur apud Bartholomæum Paprocki *in Opere Stemmatum sub Insign. Topor fol.19. seq.* & apud Okolski *Tom. III. Orb.Pol.fol.18.* Jam antea qvoqve Raphaël à GOLUCHOW dictus LESCZYNSKI, cùm longo tempore in aula Cæsaris Friderici III. vixisset, creatus est ab illo Comes S.R.Imp.An.1473. *Vid.* Okolski *Tom. III. sub Insign. Wieniawa sive Perszten.fol.296.* In Magno Ducatu Lithvaniæ *Hieronymus Chodkiewicz* Legatus ad Imperatorem Comitis Dignitatem IN SZLOW & MYSZ obtinuit. Okolski *Tom. III. pag.139.* Similiter Ferdinandus III. Imp. JOANNEM DE LIPIE LIPSKI & fratres ejus cum omnibus posteris creavit Comites S. Rom. Imp. Privilegium

gium vide apud Okolski *Tom.II. fol.34.* Maximilianus I. Imp. contulit titulum Comitis LUCÆ DE GORKI. Ultimus ex hac familia fuit Stanislaus de Gorki Palatinus Posnaniensis, qvi sub finem Seculi superioris obiit. Vid. Polnische Kriegs- und Staats-Sachen. Tertiò sunt etiam, qvi neqve ex Veteri aliqva Comitum familia sunt oriundi, neqve creati sunt ab Impp. Germanicis Comites, Comitum tamen titulo utuntur à Comitatibus, qvos jure hæreditario adepti sunt. Sic cum ultimus Tenciniorum Comitum An. 1634. Stanislaus nomine, esset extinctus, usi sunt ex eo tempore titulo Comitum OSSOLINII, qvia ex eadem stirpe sunt oriundi. Similiter etiam post extinctos Chodkievvicios titulo Comitum in Szklovv & Mysz utuntur adhuc hodie SIENIAVII. Item SAPIEHÆ in Lithvania à Comitatu Bychovv, qvem à Chodkieviciis habent, appellantur COMITES IN BYCHOW. Tandem sunt etiam Comites, qvi in aliis Regnis Comitum titulo gavisi sunt, postea verò hîc in Polonia Indigenatum impetrarunt Comites DE SCHAFFGOTSCH, ut *habetur in Constitut. An. 1652. fol. 28.*

VI. Vox BARONES apud Polonos alios qve populos sæpissimè usurpatur in Privilegiis, Diplomatis & Rescriptis Regum; Non sumitur verò pro aliqva à Regibus collata præ-

præeminentia & dignitate, sed Barones iidem sunt, qvi Proceres Regni. Hinc etiam qvotiescunqve vox hæc in Constitutionibus occurrit, Poloni eam reddunt per Polonicam vocem *Panowie* i. e. Domini. Sunt tamen & fuerunt in Polonia & M. Ducatu Lithvaniæ qvidam Barones S. Rom. Imp. Sic qvidam ex familia Chodkievviciorum subscripsit Privilegium Civitati Vilnensi à Sigismundo Augusto datum An. 1667. hoc modo: JOANNES CHODKIEWICZ LIBER BARO IN SZKLOW ET BYCHOW, apud Aaronem Alexandrum Olizarovium lib. II. de Polit. hominum societ. cap. 1. Meminit etiam Simon Starovolscius BARONUM DE BYKI. Obtinuit etiam Severinus FIRLEY Castellanus Biecensis pro se & Successoribus suis utriusqve sexus, duplices Baronatus, scilicet de OGRODZINIEC & de CAMIENIEC. teste Nicolao Firley Castellano Woynicensi Severini illius Nepote, *in Epistola ad Filium suum*. Acceperunt etiam An. 1658. jus Indigenatus in Polonia, pro se & posteris suis Illustrissimi Barones & Electoris Brandeburgici Consiliarii Status intimi OTTO LIBER BARO DE SCHWERIN, & JOANNES LIBER BARO AB HOVERBECKE. *Vid. Constit. ejus Anni fol. 50. (47.)*

VII. Sic probatum est, fuisse & olim, & esse adhuc hodie in Imperio Polonico Principes, Comi-

Comites & Barones: jam videndum est, utrum omnibus illis sine ulla controversia titulus ille à Republ. concedatur? Illis, qvi ex antiqva Ducum Poloniæ vel Magnorum Ducum Lithvaniæ, Ducumqve Russiæ stirpe oriundi sunt; neqve olim à qvopiam titulus ille est denegatus, neqve illis, qvi adhuc ex Ducibus Lithvanicis & Russicis supersunt, hodie denegatur. Idem dicendum est de illis Principibus, qvi ex aliis Regnis huc commigrantes jus Indigenatus adipiscuntur, nisi dubium sit, utrum illi antea in aliis Regnis gavisi sint hoc titulo, nec ne. Sic sunt qvi Polubinsciis, Massalsciis aliisqve titulum Ducis denegant, ut facit Nicolaus Firley Castellanus Voynicensis in Epistola ad filium suum, qvam Matthias Dargodzki tractatui suo de titulata Nobilitate, subnexuit. Ratio ipsius hæc est, qvoniam *Kniaz* Russicâ lingvâ nihil aliud est, qvam, acsi dicas, *tey Knieie Pan, albo Dziedzic.* i. e. *hujus villæ Dominus vel hæres.* Licet igitur illi in Moscovia dicti sint *Kniaze*; inde tamen non seqvi putat, ipsos propterea Duces esse appellandos. Tribuitur verò & in ipsis Constitutionibus titulus *Kniaz* dictis familiis. *Vid. Constit. An. 1628. tit. O Tatarach.* De antiqvis etiam illis Comitibus dubitat idem Firley, an fuerit hæc præeminentia qvædam hæreditaria, ut nunc est. Putat enim Comites olim in Polonia fuisse Magistratus ad dies

vitæ officio qvodam fungentes, qvæ sententia prorsus absurda non erit, consideranti, qvid iis temporibus apud alias gentes fuerit Comitatus. Videri posset olim *Comitatus* in Polonia fuisse *Palatinatus* vel *Castellania*, vel etiam, ut apud Veteres Germanos, *officium judicis*. Permutat enim hæc aliqvoties Joh. Dlugossus. Exemplum habemus in Districtu qvodam Siradicensi, Chropi dicto, qvem districtum Dlugossus appellat Comitatum, & paulò post Castellaniam *Tom. I. Hist. Polon. lib. IV. fol. 280.* Sic Petrum Danum sive Duninum, nunc appellat Comitem, nunc Palatinum, nunc Comitem Palatinum, *fol. 396. & 418. circa fin.* Ita etiam Cristinum qvendam appellat Palatinum Masoviæ *Tom. I. lib. VI. fol. 533.* Sed postea *fol. 574.* vocat eundem Comitem Palatinum Plocensem. Sed in tanto vetustorum monumentorum defectu aliqvid certi determinare difficile est; hoc tamen certò asseri posse videtur, non fuisse hanc dignitatem hæreditariam.

VIII. Qvod ad Duces, Comites & Barones ab Imperatoribus Germanicis creatos attinet; his sese semper opposuit Respubl. Polonica, movitqve freqventissimè qverelas contra illos, qvi titulos illos extraneos affectarunt. Certe Radivilium causam dicere oportuit, cur titulum Ducalem ab Imperatore Maximiliano impetraverit contra morem Reipublicæ

blicæ Polonicæ, unde omnis titulata Nobilitas exularet. Fredro *in Hist. Henrici Regis pag. 75.* Matthias verò Dargodzki *in scripto satis acerbo contra titulatam Nobilitatem in Polonia An. 1634. edito, num. 32.* refert, Radzivilium, cum undiqve ob titulum illum impeteretur, tandem Diploma Cæsareum ad pedes Regis projecisse, & si Rex jussurus esset, voluisse aut Diploma illud Cæsareum lacerare, aut saltem titulo illo intra Regni pomœria prorsus abstinere. Sed & illi Radzivilii, qvos à Carolo V. in Principes Imperii evectos fuisse supra memoravimus, causam impetrati ab Imperatore tituli dicere coacti sunt. *Vid.* Kojalovvicz *Part. 2. Hist. Lithv. pag. 415.* Porrò cum Sigismundo Myszkovio titulus Marchionis collatus, & tempore Comitiorum in qvodam Scripto publico honoris causa appositus esset, inventus est in Conclavi Nunciorum, qvi pennam non habens, digitum atramento immergeret, eoqve titulum Marchionis expungeret, teste Dargodzki *loc. cit. num. 36.*

IX. Ex hac ratione multi ambitiosos illos titulos ab Imperatoribus aliisqve Regibus sibi ultrò oblatos acceptare noluerunt. Certè cum Sigismundus Senior ad visendum fratrem Vladislaum Regem Hungariæ profectus, atqve inde uterqve Rex à Maximiliano Imperatore invitatus Viennam Austriæ se contulisset. *Ibi Imperator crediderat dignissima*

ſima benevolentiæ teſtimonia obtuliſſe Poloniæ Senatoribus, qvi cum Rege tum aderant, ſi prioribus Ducales, cæteris Comitum donaſſet titulos; verum cum velut de nova re occultius ſecum diſceptarent Poloni, concluſum tandem, ſuorum Regum Majeſtati demptum iri, aut qvoddam jus alieno Principi in Polonos concedi, à qvo novos honores poſſe ſibi conferri accedi, à qvo novos honores poſſe ſibi conferri acceptando teſtarentur. Imò liberæ Nobilitati injuria fieri debebat, qvæ magnis titulis par eſſet. Reſponſum Imperatori Polonos gratias habere Cæſareæ Majeſtati pro eo animo, qvod ſibi offerret, qvæ digniſſimo dari poſſe ſecum penſaret. Cæterum nobilitate Patria contentos ſe velle vivere, abundè ſibi ornamentorum & honorum Regem ſuum atqve Rempublicam conferre. Fredro *in Hiſt. Henr. pag. 75. ſeq.* Non aliàmente fuit heros ille immortalitate digniſſimus Joannes Samoſcius, Regni Poloniæ ſupremus Cancellarius, & ſupremus Exercitus Regni Dux, *cui vix unqvam Polonia parem viderat, tot in unum cumulatis divino beneficio muneribus, qvæ ſi in plures diſperſa fuiſſent, unumqvemqve magnum factura videbantur. Idem prudens Conſiliarius, idem bellator eximius, idem felix fortunatusqve belli Dux, & qvod mireris, cum toties arma cum diverſis Reipubl. hoſtibus contuliſſet, ſemper acie & bello victor.* ut de illo loqvitur Stanisl. Lubienski *lib. I. de motu Civili in Polonia fol. 33.* Imò cui non in Polonia tantùm, verùm in tota Europa inter multa ſecula pauci pares numerari poſſunt, ut dicit Paulus Piaſecius *in Chron. fol. 269.* Huic enim cum Legatus Hiſpaniarum Regis titulum Ducis & honorem aurei velleris offerret, magno animo hæc recuſavit, ut auctor eſt Nicol. Firley *in ſupra laudata Epiſtola ad Filium ſuum ſcripta. Conf. & Matth. Dargodzki num. 24.* Eodem tempore oblatus eſt Firlejo titulus Comitis, qvem itidem prorſus accipere recuſavit, teſte ipſius Fratre Nicolao Firlejo *l. c.* Et cum tempore Vladislai IV. Regis Poloniæ Imperator Germanicus Joanni Stanislao Sapiehæ ſupremo Magni Ducatus Lithvaniæ Marſchalco, ſuiqve Regis ad Imperatorem Legato, titulum Principis S. Rom. Imp. obtuliſſet, recuſavit eum modeſtè, ſub uno Poloni Nobilis titulo, ſe omnes ſibi convenientes titulos Viennam ſecum invexiſſe, cauſatus, ut hoc de ipſo teſtatur Matth. Caſimirus Sarbievius S. J. *in Concione Funebri ejusdem Marſchalci.* Qvinimò licet aliqvando titulos ejusmodi Poloni non recuſarint, ſed ab exteris Principibus ſibi oblatos admiſerint, poſtea tamen in Poloniam reverſi, eosdem dimiſerunt. Sic Mniſcii creati ſunt ab Imperatore Germanico Comites, in magna Konczyce; cum tamen ſub Sigismundo I. Nicolaus Mniſzek in Poloniam revertiſſet, non eſt uſus illo titulo. *Vid.* Simon Okolſ-

Okolski *Tom.II. fol.302.* Similiter & Comites Tenczynii, etsi ex vetustissimis illis Comitibus Topororum fuerint orti, videntur tamen (si hæreditaria fuit illa dignitas) titulum hunc neglexisse, adeò ut opus fuerit, de novo titulum hunc impetrare. Polubinscii qvoqve & Massalscii hodie titulo Ducum non utuntur, ut ex qvamplurimis Subscriptionibus est manifestum.

X. Causa verò, cur Respubl. Polonica semper se opposuerit titulatæ Nobilitati, & cur Nobiles Poloni hos titulos non rarò contempserint, non alia est, qvàm summa Nobilium omnium æqvalitas. In Polonia namqve eò qvod qvis Princeps, vel Comes, vel Baro est, non plus juris habet, sive respectu suorum subditorum, sive etiam respectu aliorum Nobilium; sed omnes Nobiles sive sint Principes, sive non, inter se sunt æqvales. Hinc cum An. 1663. Illustriss. Georgio Lubomirscio Marschalco Regni Poloniæ objiceretur, qvod se supra Civilem æqvalitatem evexerit, inter alia tiarâ Ducali. Respondet Lubomirscius: *Supra Civilem æqvalitatem voluisse me attolli, nemo dicet: ipsamet invidia deducere hoc mihi non poterit, nec unqvam deducet, qvasi aliter vixerim, qvam civis civibus, & in æqvali Republ. æqvalis* &c. De mitra illa Ducali respondet, se eâ tantum uti in privato sigillo, id verò propterea, qvia hæres esset Fortunarum & Honorum per maternam propaginem Ducum de Ostrog. *Vid.* Lubomirski *in Manifesto Publicæ Innocentiæ, qvod, præterqvam qvod Latinè & Polonicè in Polonia prodiit, insertum etiam est Diario Europæo Continuat. XII. in Append. pag. 145. seqq.* Hâc æqvalitate freti etiam Magistratus singulorum Districtuum, prærogativam loci non coguntur de jure concedere Baronibus, Comitibus vel Principibus, nisi si illi superiori aliqvâ dignitate sint ornati. Ex ea causa, cum post obitum Sigismundi Augusti legatio ad Henricum Regem Poloniæ electum in Galliam missa esset, & Rex Comitem de Gorka, propter titulum magis vellet honorare, qvàm Capitaneum Belzensem, monitus est à Polonis, ne illud faceret. Et Berolini in Nuptiis Radzivilii, cùm Germani superiorem locum Comiti de Labiszin, & inferiorem Succamerario Posnaniensi vellent concedere, moniti sunt, ut Succamerarium præferrent Comiti, teste Andrea Dargodzki *in Tract. de Titulata Nobilitate num. 11.*

XI. Tentarunt qvidem olim æqvalitatem hanc Polonicæ Nobilitatis qvidam Regni Poloniæ Proceres subvertere, cum Sigismundo I. An. 1537. auctores essent, ut discrimen inter Nobilitatem faceret, prout consvetudo Bohemicæ gentis fert, efficere tamen nihil potuerunt. Adeò enim Nobilitas hoc ægrè tulit,

lit (præsertim cum Senator qvidam primarius Nobiles pauperiores, qvi pedibus Leopolim ad Regem venerant, nauci fecisset) ut secessionem à Rege & Senatu fecerit, & nisi divinitus Nobilitatis concitatæ conatus prodigiosâ tempestate disturbati fuissent, parum abfuerit, qvin Nobilitas in Senatores impetum fecisset ac Regi obedientiam renunciasset. Sal. Neugeb. *lib. VII. Hist. Polon. pag. 541.* Non tamen reperiuntur ullæ leges, qvantum mihi constat, tum temporis contra eos latæ, qvi vel externos titulos Principum, Comitum & Baronum affectabant, sed semper rei novitati mores Patrii opponebantur; donec tandem An. 1638. in Comitiis Varsaviensibus, forsan ex occasione accepti à Georgio Ossolinio Ducalis tituli, ut & An. 1641. constitutum est, ut Principes & Comites, qvi iis titulis gaudebant illo tempore, qvo Polonia cum Magno Ducatu Lithvaniæ unita est, nempe Anno 1569. item illo tempore, qvo Palatinatus Kioviensis Volhyniæ & Braclaviensis Regno Poloniæ incorporati sunt, ut, inqvam, illi titulum Principum, Comitum & Baronum retineant, iis tamen conditionibus (1.) ut simul cum aliis Nobilibus paritate & æqvalitate juris gaudeant, unumqve Ordinem cum cætera Nobilitate constituant. (2.) Ne posthæc alii titulos ejusmodi expetant. (3.) Ne tituli hi ex Cancellaria Regia, Terrestri vel Castrensi cuiqvam tribuantur.

buantur. *Vid.* Constit. *An. 1638. fol. 11. & An. 1641. fol. 10.* Inter hos itaqve, qvibus tituli hi permissi sunt, reperiuntur non tantum Duces Visniovviecii, Zbarascii, Duces de Ostrog, Czartoryscii, Korecii, Rozynscii & alii; sed etiam Duces Radzivilii, qvi ab Impp. Romanis dignitatem hanc consecuti sunt. Jam verò & antea hoc Radiviliis erat concessum, ut titulis illis liberè uterentur. *Vid.* Kojalovvicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. VII. pag. 374. & lib. VIII. pag. 415.* Inter Comites, qvibus titulus fuit concessus, sunt præcipuè Comites in Tenczyn, in Wisnicz, de Gorki, in Szklovv & Mysz & alii.

XII. Cum verò, ut audivimus, maxima sit Nobilitatis Polonicæ æqvalitas, posset qvispiam qværere, qvis inter Polonos observetur Ordo? Respondet ad hanc qvæstionem Illustriss. Nicolaus Firley *in Epist. citata* his verbis: *Apud nos unicus est ordo Nobilium, qvem juris ac libertatis communio æqvat. Nihilominus familiarum vel personarum æstimationem multa distingvunt: utpote munia & dignitates Reipubl. vel præsentes, vel antiqvius crebriusqve in familia gestæ. Tum virtutis vel meritorum opinio. Sæpe etiam præsens fortunarum splendor. Ætatis etiam ratio. Addo deniqve, qvod*

ſæpe accidit, licet non ſemper juſtè, honorantium, inter qvos verſantur, favor. His ferè præcedentibus omnis Ordo conſtat inter pares alioqvin genere. Qvi igitur noſtratium aliis modis præ concivibus ſuis priorem locum vel gradum Nobilitatis ſibi captant, ſibi imprimis; tùm patriæ legibus; tùm exteris hominibus qvodammodò imponunt. A nobis verò riſu & contemptu potius, qvàm contentione aut indignatione aliqva excipiendi ſunt. Hæc ille loco citato.

XIII. Cùm itaqve Nobilitas Polonica eodem jure utatur, eâdemqve dignatione habeatur cum Baronibus, Comitibus & Ducibus, qvivis inde colligere poteſt, magnas eſſe Nobilitatis Polonicæ immunitates, magnisqve ipſam gaudere prærogativis præ aliorum Regnorum Nobilitate. Et qvidem initiò Nobiles Poloni in ſuos ſubditos ſummum jus vitæ & necis habent: *Qvisqve è nobis Polonis,* ait Fredro, *ſui vulgi, & bonorum parvus qvodammodo & abſolutus monarcha eſt.* Hæc ille *in Fragmentis Politicis num. 14. pag. 294.* Non nudiùs tertiùs autem Poloni in ſubditos ſummam adepti ſunt poteſtatem, ut docemur ex Privilegio qvodam Plazis & Zavviſſis à Caſimiro Magno dato, vel potius tantum approbato

bato An. 1366. Cracoviæ poſt Feſtum S. Galli Confeſſoris. In illo enim Privilegio teſtatur Rex, qvod Kmetones i. e. Ruſtici Dn. Joannis Plazæ, & Zavviſſæ, & Dn. Joannis Necandæ de Grzegorzevvice, fuerint citati per Cives Lelovienſes ob qvoddam facinus ad judicem Curiæ Regiæ: *Tunc Dn. Plaza,* verba ſunt Privilegii, prout illud confirmatum eſt à Caſimiro Magno, *interceſſit pro Cmetonibus jure ſuo, qvia omnes Bipenni & antiqvi Eqvi eſſent, & proceſſiſſent de uno Avo, & de una progenie, & qvod haberent ab antiqvo unum jus omnes, itaqve nemo hominum haberet judicare eorum Cmetones & Servitores, nec ipſe Dominus Rex, nec Judex, nec Subjudex, nec ullus judicum, nec Dominus Palatinus, nec aliqvis Dominus, nec aliqvis juſtitiarius, niſi ſoli DD. Bipenni & antiqvi Eqvi, & eorum Succeſſores habent judicare omnia jura & omnes ultiones & omnia judicia cum iis facere & exercere.* Confirmavit hoc jus etiam Vladislaus Jagello An. 1428. ut eſt apud Okolski *Tom. III. Orb. Pol. tit. Topor fol. 15. ſeq.* Ex his facilè colligere poſſumus, qvantis miſeriis expoſita fuerit & olim, & adhuc expoſita ſit gens Ruſtica apud Polonos. De antiqvioribus

 tem-

temporibus Cromerus: *Inoleverat*, inqvit, *primorum Principum negligentiâ & conniventiâ pravus & barbarus mos apud Polonos Proceres & Eqvites, ut iter facientes, qvotiescunqve & ubicunqve collibitum esset, agros & prata agrestium & oppidanorum depascerentur, ac non modò pabulum, sed etiam victum omnem ipsis imperarent.* Hæc Cromer. *lib. VI. de Ortu & reb. gest. Polon. fol. 509.* Refert deinde idem Cromerus, qvod barbarum hunc morem sustulerit Casimirus Magnus. Et certum est Regem hunc plebejis fuisse addictissimum. Hinc unam rem maximè miratur Christophorus Varsevitius, qvod videlicet, cùm aliqvando agricolæ de Dominis suis qvestum ad eum accessissent, ita responderit clementissimus ille Rex: Desuntne vobis Sambuci & silices, qvibus eos ulciscamini? *lib. I. de opt. Statu Libert. pag. 120.* Extant etiam leges nonnullæ à Casimiro hoc in gratiam Cmetonum sive rusticorum latæ, inter qvas sunt & seqventes: *Ut Cmetonũ sine prole decedentiũ bona non ad Dominos, sed ad proximiores devolvantur: ut omnibus Cmetonibus liceat à Domino suo abire, si propter excessum Domini deprædentur; vel si Dominus filiam uxoremqve Cmetonis oppresserit; vel si sententiam excommunicationis per annum sustinuerit: Cmeto vel subditus pro pœna, obligatione aut cautione Domini ne pignoretur.* &c. Hæc & alia plura vide apud Joannem Herburtum *in Statuto Regni Polon. idiomate Latino scripto fol. 129. 139. seqq. & in Statuto Polonicè scripto fol. 344. seqq.* Paul. Szerbic *Part. 1. Constit. cap. 12. fol. 48. seq.* Harum verò Legum vix hodie aliqvis est usus. De hodierna Rusticorum Polonicorum conditione sic scribit Varsevicius: *Age verò colonorum oppressionem gravem & qvotidianos à Dominis laniatus. Vitam hi inopem & miseram ducunt, sine foro, sine judice, sine lege, addam & sine Rege & religione aliqvando, cum pecudum modo etiam diebus sacris alicubi laborare cogantur, & nihil minus qvam audeant vel à Rege ipso in Dominos auxilia implorare.* Hæc ille. *lib. I. de Optimo Statu Libertatis pag. 118.* Idem Polonis non rarò aliæ qvoqve gentes objiciunt, qvibus tamen respondet Illustriss. Andr. Maximil. Fredro: *Etiam*, inqviens, *noster Dominatus in plebeculam intra leges conscientiæ est, dum scit qvisqve è ruricolis, qvid operis septimanatim, qvid tributi annuatim Dominis pendat, ut per æqvitatem nihil extorqvere liceat supra. Si verò sint aliqvi æqvitatis violatores, tam iniqvo jure tyranni esse possunt in suos, qvam vestri,* (Germanos aliosqve exteros ibidem alloqvitur) *si eveniant mali in vos, cum Annales vestri passim malos & Bonos* Prin-

Principes vobis fuisse palam testentur. Sunt aliis, sunt item mihi pro sorte mea (sed magis per Dei gratiam) sunt, inqvam, castella, sunt rura, sunt subditi, cur ego insolentius meos habeam? cum sciam, hos mihi datos à Deo, & me simul datum illis: illi mihi subjectionem, ego vicissim justum in eos dominium (non extra leges conscientiæ) debeam. Hæc Fredro *in Fragmento supra citato pag. 294. seq.*

XIII. Ad absolutum illud in sibi subditos dominium referimus etiam absolutum ferè in suas possessiones suaqve bona dominium. Olim qvidem pensitare solebant Nobiles tributum *poradlne* dictum. Fuit autem illud in jugerum duodecim grossorum & qvidem latorum sive Pragensium, qvi tempore Cromeri dimidio eos, qvi tunc in usu fuerunt, excedebant; qvin si bonitatem & pondus argenti spectes, qvadruplo. Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 128.* Ab hoc tributo *poradlne*, (qvod & *Krolestwo*, Latinè verò *Regnum* vel *Regale* vocatur) Ludovicus Rex Polon. & Hungariæ Nobilitatem cum ipsorum adscriptitiis liberavit, duos tantum grossos in signum summi Dominii & recognitionem Coronæ Regni Poloniæ de manso sive laneo pactus. Factum id est An. 1374. *Vid.* Januszov.

nuszov. *fol. 4. in lib. Privilegiorum.* Conf. Neugeb. *lib. III. Hist. Polon. pag. 204.* Sed neqve hoc tributum duorum grossorum Regi posthæc integrum mansit. Primò enim ab eo dubio procul liberata sunt Bona Ecclesiastica. Deinde An. 1507. exemit Sigismundus I. ab eadem solutione Palatinos & Castellanos. *Vid.* Januszov. *lib. IV. Constit. Polon. Part. 1. tit. 7. fol. 319. seq.* Tandem omnia Bona Nobilium ab hoc onere liberata sunt, teste Cromero *lib. II. Descript. Polon. pag. 130.* Deinde Bona Nobilium liberata sunt à stationibus militum *ex Constit. Sigismundi III. An. 1588. fol. 480.* & Joannis Casimiri An. 1650. sub pœna infamiæ, si qvis eam legem transgredi audeat. Anno 1659. addita est pœna 2000. marcarum & triplicis refusionis damnorum. *Vid. & Constit. An. 1661. fol. 14.* in qva aliæ plurimæ Constitutiones approbantur. *& Constit. An. 1676. in Comitiis Coronationis fol. 21.* Sed & Rex ipse in itinere apud Nobiles nullas se stationes habiturum, lege latâ promisit An. 1374. & An. 1433. Herburt. *Polon. fol. 261.* Porrò si extraneus aliqvis in bonis Nobilium steriliter moriatur, bona ipsius non Fisco Regio aut Reipubl. sed Domino fundi cedunt, qvod jus caduci alibi inter Regalia recensetur. *Vid. Constit. An. 1588. fol. 458.* Sterilibus autem Nobilibus bona sua alienare licitum est. *Vid.* Szerbic. *l. c. fol. 127.* Nobilis alicu-

alicujus ſine hæredibus defuncti Bona non potest Rex alteri jure Caducitatis conferre, ſi cognati ſuperſint usqve ad octavum gradum incluſivè, *ex Conſtit. Sigism. III. An. 1588. fol. 458.* Liberum etiam eſt Nobilitati in Civitatibus domos ſuas habere, ita tamen, ut illæ jurisdictioni Civili ſubſint. *Conſtit. An. 1550. fol. 6. An. 1611. fol. 27.* Sed hoc non adeò ſtrictè obſervatur, uti ſingulæ ferè Conſtitutiones teſtari poſſunt, in qvibus non rarò legas, Nobilium domos in Civitatibus à jurisdictione civili liberari. Præterea Bona in Civitatibus caduca poſſunt etiam Nobilibus à Rege conferri, *ſecundùm Conſtit. An. 1576. fol. 280.* Bona autem Terreſtria jure Caducitatis ad Regem devoluta Rex ſibi non retinet, ſed lege latâ promiſit, ſe ea Nobilibus benè meritis intra tempus certum collaturum. *ibid.* Præter hæc Domus Nobilis inſtar aſyli eſt, ubi facinoroſi arreſtari qvidem poſſunt, vi tamen illicò extrahi non poſſunt. Nic. Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. 6. pag. 89.* Conf. Statut. Lithvan. *cap. 3. art. 49.* In ſubditos verò Nobilium in urbibus & oppidis Judex Civitatis arreſta concedere non poteſt, item nec in Bona Nobilium ratione qvorumvis debitorum. Czaradzki *Proceſſ. Civil. Part 1. tit. 8.* Nec minoribus Nobiles Poloni gaudent Privilegiis circa vectigalia & telonia. Poſſunt enim greges, armenta, omne genus frumenti ad exteras Nationes venum mittere, ſi tantum prius in officio Terreſtri, vel in defectu ejus coram Notario vectigalium *(przed ſprawca mytnym)* juraverint, non eſſe hæc bona empta, ſed proprio ſive ſibi ſubditorum labore qvæſita. Et ſi Nobilis ſemel juraverit, non cogitur iterum alio in loco, ubi vectigal exigitur, jurare, dummodò miniſtros ſuos literis inſtruat, teſtantibus, qvod jam uno in loco præſtitum ſit jusjurandum, uti hæc habentur in Statuto Lithvanico *cap. 1. art. 30. & cap. 3. art. 29.* Qvid in Regno Poloniæ obtineat, diſcimus ex Conſtit. *An. 1588. fol. 470. An. 1598. fol. 693. An. 1601. fol. 737. An. 1607. fol. 859.* Ob urgentem tamen neceſſitatem Reipubl. conſtitui ſolet aliqvando, ut Nobilitas ad certum tempus vectigalia ſolvat de Bonis omnibus extra fines Regni exportandis, ut factum eſt An. 1629. *Vid. Conſtit. ejus anni fol. 18. & An. 1631. fol. 14. tit. Evecta. & fol. 15. §. Auctya Summy.* Hæc libertas & immunitas Bonorum Nobilitatis extendit ſe etiam ad Pontalia *(moſtowe)* foralia *(targowe)* aggeralia *(grobelne)* vectigalia cereviſiaria aliorumqve liqvorum, ſive vectigalia ducillorum *(czopowe)*. Vid. Joan. Januſzov. *lib. IV. Conſtit. paſſim.* Herburt. *Polon. fol. 263.* Szerbic *fol. 127.* Illud verò deniqve Privilegium Nobilitatis Polonicæ ratione Bonorum longè maximum eſt, qvod qvilibet in ſuis Bonis habeat jus fodina-

dinarum ſalis & metallorum, *ex Conſtitut. Sigismundi Auguſti An.1569. ut & Stephani An. 1576. fol. 277. Vid. Statut. Lithvanicum in Additamentis ad cap. 3. art. 2.* Habetur idem in Pactis Conventis Sereniſſ. Regum Michaelis & Joannis III. *§. Fodinas.*

XIV. Inter Privilegia Nobilitatis Polonicæ non poſtremum & illud cenſetur, qvod neqve Judices, neqve Capitanei, neqve Palatini, neqve Rex ipſe poſſint Nobilem criminis alicujus reum prehendere, captivare, aut Bona ejus Fiſco addicere, niſi ille fuerit jure victus. *ex Conſtit. Vladislai Jagellonidis An. 1422. & 1433. item Caſimiri Jagellonidis An. 1454.* apud Paulum Szerbic *Part. 2. Conſtit. Polon. cap. 8. fol. 127.* Herburt. *Pol. 240.* Additur tamen exceptio qvædam, qvod liceat etiam Nobilem in vincula conjicere in publico aliqvo maleficio, ut in raptu Virginum aut uxorum, villarum depopulationibus & furtis comprehenſum. Similiter excipitur qvoqve caſus, ſi Nobilis noluerit debitam præſtare cautionem ſecundum qvantitatem delicti. Item ſi qvis in Regeſtris maleficorum ter deſcriptus ſit. *Conf. Conſtitut. Alexandri An. 1505. Sigismundi I. An. 1540. Sigismundi Auguſti An. 1550.* apud Joan. Januſzov. *lib. I. Conſtit. Polon. Part. 3. tit. 9. fol. 122. ſeqq.* Conf. & Statut. Lithvan. *cap. 3. art. 10.* Addit his Starovolſcius, qvod ne in crimine qvidem perduellionis

nis Rex Nobilem captivare poſſit, niſi jure victum. *Starovolſc. in Polon. 237.* Promiſit porrò Stephanus Rex, ſe neminem punire velle ad delationem alterius privatam, etſi ſit crimen læſæ Majeſtatis, aut proditio Patriæ, niſi actor ſit certus, qvi rem legitimè probaverit. *in* Statuto Lithv. *cap. 1. cap. 2.* Porrò ſi Nobilis proſcriptus & capitis reus fuerit captus à Magiſtratu aliqvo, non poteſt ſupplicio affici ſine informatione Regia. Sic Joannes Samoſcius Archi-Cancellarius Regni & Exercituum ſupremus Dux, cum cepiſſet Samuelem Sborovium proſcriptum, conſulto prius Rege, caput ipſi amputari juſſit. Vide hac de re egregiè differentem Paulum Piaſecium *in Chronico fol. 16. (14.)*

XV. Porrò ad Dignitates omnes tùm Eccleſiaſticas, tùm Seculares ſoli Nobilitati patet aditus. Admittebantur qvidem antiqvitus etiam plebeji ad Epiſcopatus, cùm illi plerumqve à Pontificibus Romanis miſſi ſint, nullo ferè reſpectu habito generis, ut ex Hiſtoria Polonorum probari poteſt. Vid. Joan. Dlugoſſus *in lib. de Epiſc. Poſnanienſibus.* Stanisl. Lubienski *in Vitis Epiſcoporum Plocenſium.* Conf. & Indices Chronicis Schuzii præfixi. Poſtea verò lege cautum eſt, ne Plebeji ad hunc dignitatis gradum admitterentur. Non autem tantum ab Epiſcopatibus excluduntur in Polonia Plebeji, ſed etiam à Canonicati-

bus,

bus,& Præbendis,Item Abbatiis. Audiamus Joannem Albertum Regem hâc de re loqventem: *Qvamvis per Divos olim Reges Poloniæ Prædecessores nostros ex antiqvo fuerit constitutum, & aliqvanto tempore inviolabiliter observatum, ut propter defensionem Ecclesiarum & Bonorum Ecclesiasticorum, in principalibus, videlicet Gnesnensi, Vladislaviensi, Posnaniensi & Plocensi Ecclesiis non susciperentur (prout non suscipiebantur) ad dignitates, personatus & officia ac Canonicatus & Præbendas, ignobiles plebejæqve personæ, sed duntaxat recipiendi erant Barones generosi & Nobiles, è qvibus prompta & facilis Ecclesiarum defensio esset; tamen cum per dissimulationem qvandam in observando Statuto & Privilegio veteri habitam qvamplures ignobiles & Ecclesias prædictas his temporibus sumerentur. Pro tanto nos indemnitati non minus Reipublicæ, qvàm Ecclesiarum Regni nostri in hac parte providere cupientes statuimus, ut in singulis capitulis Ecclesiarum supradictarum ad Dignitates, Personatus & Officia & Canonicatus & Præbendas recipiantur personæ tantummodo Nobiles ex utroqve parente.* Hæc Joannes Albertus An. 1496. Idem Rex certum præscribit numerum plebejorum, qvot Theologiæ, juris & Medicinæ Doctores ex iis assumi debeant in iis Collegiis, ubi habentur Doctores & Lectores Theologiæ, Juris & Medicinæ. Confirmavit hoc Alexander Rex *An. 1505*, ut & Sigismundus I. *An. 1510. & An. 1538.* & Sigismund. Augustus *An. 1550. fol. 4. seq.* Sigism. III. *An. 1607. tit. 21. fol. 835. seq. An. 1633. fol. 25. An. 1638. fol. 35.* Vid. Janusżov. *lib. II. Const. Part. 2. tit. 3. fol. 193. seqq.* Theod. Zavvacki *Part. 2. Constit. tit. 1.* Cum itaqve nuspiam in Polonia & M. Duc. Lithvaniæ Plebeji admittantur ad Episcopatus aliasqve Dignitates Ecclesiasticas, hinc Petrus Gamratus sub Sigismundo I. Archidiaconus Pultoviensis, Decanus Varsaviensis, nulli Ecclesiæ Cathedrali adscribi potuit, qvod in Nobilitate probanda aliqvis nævus & defectus intercessit, teste Stanisl. Lubienski *in Vita Gamrati fol. 375.* Prævaluit tamen tandem gratia Regis, qvæ ipsum ad Episcopatum Præmisliensem, deinde Plocensem & tandem ad Cracoviensem evexit. Sed & hîc ipsum à Nobilitate ludibrio habitum esse una ostendet Historia, qvam, qvoniam lepida est, referre placet: Spectaverat Gamratus, cùm adhuc esset Episcopus Præmisliensis Vice-Cancellariatum Regni, paratusqve in Senatum ita venerat, ut eo nomine

ne Regi gratias ageret; sed à Marschalco Regni egregiè elusus est. Nam is, cum tradendus esset Vice-Cancellariatus, prolixiori usus oratione, facie ad Gamratum versa, cùm multa præclarè de illius Magistratus dignitate dixisset, & postremo veluti Gamratum renunciaturus, verba illa. *Tibi Domine Episcope*, sine tamen nomine illius proprio protulisset, & aliqvantum hæsisset, Gamratus, qvasi id sibi dictum esset, surrexit; sed Rex hujus ironiæ non ignarus manu extensa: *Sedete*, inqvit, *Domine Episcope, non vos estis*. Tum demum Marschalcus eluso & in ruborem dato Gamrato, Joannem Choinium Vice-Cancellarium Regni renunciavit. Stanisl. Lubienski *in Vita Gamrati fol. 374. seq.* Adeò ægrè fert Nobilitas Polonica, si plebejus aliqvis ad Dignitates ejusmodi Ecclesiasticas promoveatur. Sic etiam, cùm tempore Sigismundi Augusti Stanislao Hosio Cardinali à Pontifice Romano (qvoniam prior Episcopus mense Pontificio decesserat) Episcopatus Varmiensis esset collatus, ægrè hoc tulit Respublica, qvod ad plebejum deferretur Episcopatus, ac proinde Senatoria Dignitas, qvæ titulum infulæ in Polonia seqvitur, qvod refero ex fide Andr. Maximil. Fredro *in Hist. Henr. pag. 133.* Vid. de eadem materia & Statutum Lithvanicum *cap. 3. art. 12.* Item *Constit. An. 1633. fol. 25.* & *Pacta Conventa Regum.*

XVI.

XVI. In Dignitatibus Secularibus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ idem & multò strictius observatur, ut non nisi Nobilibus, Indigenis & possessionatis à Rege concedantur. Olim qvidem ad minora, præsertim Officia, admittebantur etiam plebeji & extranei, cum etiam legamus in Historia Polonica, Consulem Cracoviensem Verinum nomine, natione Germanum fuisse Thesaurarium Regis Casimiri Magni. Neugeb. *lib. III. Hist. Polon. pag. 208.* Sic Radlicium qvendam Medicum fuisse Regis Poloniæ Cancellarium legimus apud eundem Neugeb. *lib. IV. in Ludovico Ung. Rege pag. 221.* Sed hodiè nemo prorsus è plebejo genere ad Dignitates & Officia Regni, vel etiam Regis, vel singulorum Districtuum admittitur. Hinc Palatini, Castellani, Marschalci, Cancellarii, Thesaurarii, in Senatu non nisi genere Nobiles esse possunt. Idem dicendum est de Succamerariis, Vexilliferis, Judicibus, Subjudicibus, Notariis. Item Capitaneis aliisqve Magistratibus. Nullus etiam Procurator sive causarum Patronus ex plebejo genere (licet sit honore Doctoris decoratus) admittitur, ut causas agat in judiciis Terrestribus, & Summi Tribunalis. *Vid.* Matth. Dobracki *in lib. cui tit. Wydworny Politik pag. 293* ubi Procuratores dicit aliqvando sejugibus vehi ad judicia, ut causas agant. Contra verò Nobili Polono licitum est, causas agere in judiciis urbium.

XVII.

XVII. Nescio an inter Privilegia Nobilitatis & illud ponere debeam, qvod homicidium Nobiles exiguâ pœnâ expiant. Hâc enim de re Casimirus Magnus An.1368. ita loqvitur: *Qvamvis occidens hominem secundum Dei & legum sanctiones esset capitali pœnâ plectendus; Nos tamen rigorem illum temperantes statuimus, qvod occidens militem* (i.e. nobilem) *triginta marcas parentibus, pueris vel amicis; mutilans autem in pede, manu vel naso qvindecim marcas; in pollice verò mutilans octo marcas; digitum verò qvemlibet alium amputans tres marcas grossorum ipsi mutilato vel in digito læso solvere teneatur.* Idem verò Casimirus postea mulctam auxit, constituens, *ut miles* (i.e. nobilis) *parem sibi militem occidens, pro capite 60. marcas* solveret. Joannes Albertus Rex An.1496. decrevit, ut Nobilis occidens Nobilem pro capite solvat 120. marcas, & per annum hebdomadasqve sex, jure victus in carcere luat pœnas. Approbatum hoc est à Sigismundo I. An. 1539. & An. 1543. ut & Sigismundo Augusto Anno 1550. *Vid. Constit. ejus anni fol.4.* Auxit deinde pœnam Sigismundus Augustus constituitqve, ut qvi Nobilem pilâ è bombarda emissâ occiderit, ad duos annos & duodecim hebdomadas in carcere detineatur. *Vid. Constit. An.1557. fol.10.* Sigismundus III. post hæc constituit, ut si Nobilis Nobilem interficiat, præter ordinariam pœnam

nam carceris, solvat pro capite 240. marcas. *Vid. Constit. An.1588. fol.463.* Sed cum neqve his Constitutionibus publicæ securitati satis cautum esse videretur, sancita est An.1601. lex, ut, si qvis alium interficiat in loco privilegiato, (v.g. ubi judicia Castrensia, Terrestria, Commissorialia, Succamerarialia, Tribunalitia exercentur; vel etiam ubi publici Nobilitatis Conventus aguntur,) sine evasione capite plectatur. *Vid. Constit. ejus Anni fol.759. seq. Conf. Constit. An. 1598. fol.706. & An. 1611. fol.3.* Extra loca privilegiata eadem pœna relicta est, qvæ antiqvioribus legibus definitur. Si verò Nobilis plebejum aliqvem interficiat, constitutum est An.1581. ut 30. marcas homicida solvat; qvarum 15. Domino interfecti, & 15. uxori liberisqve occisi dentur. *Vid. Constit. dicti Anni fol.372.* Posthæc Sigismundus III. taxam plebeji capitis auxit ad centum marcas. *An. 1631. tit.33. Taxa capitis.* Idem ut in Lithvania qvoqve observetur, constituit Vladislaus IV. Rex *An.1638. fol.50.* Porrò si plebejus plebejum occiderit, capite plecti jubetur, *in Constit. An.1581. fol.373. init.* Cmeto Cmetonem occidens, ex Constitut. Casimiri Magni de An. 1368. Castellano (ad qvem olim hæc judicia pertinebant) qvatuor, liberis verò occisi sex marcas solvere jubebatur; si non erat solvendo capite puniebatur. *Herburt. Polon. fol.346.* Qvod si verò plebejo

bejo plebejum occidenti pœna capitis dictatur, multò magis hoc intelligendum erit de plebejo, si Nobilem occiderit. *Vid. hic* Herburt. *loc. cit.* Paul. Szerbic *Part. IV. Constit. cap. 5. fol. 264.* Theod. Zavvacki *in Memoriali Processus Judiciarii tit. Homicidium in fin.* Auctor Poloniæ defensæ *contra Barclajum & alii.* Præter dicta illa, & hoc Nobiles Poloni gaudent Privilegio, qvod sine accusatione proximi cognati seu consangvinei ex more forensi homicida condemnari non possit, ut asserit Paulus Piasec. *in Chron. fol. 16. fin.* (14.) Qvid pro harum Constitutionum defensione in medium proferant Poloni, videatur apud Auctorem defensæ Poloniæ contra Barclajum.

XIIX. Præterea hoc qvoqve Privilegium Polonicæ Nobilitatis non exiguum est, qvod *soli Nobiles possint possidere Bona Terrestria* i.e. villas & agros extra urbes. Plebeji qvippe in oppidis & urbibus habitantes, Bona Terrestria neqve hæreditariô, neqve obligatoriô modô possidere possunt, ut habent Constitutiones Joannis Alberti de An. 1496. Sigismundi Senioris de An. 1538. Sigismundi Augusti de An. 1550. *qvas vid.* apud Janusẓov. *lib. VIII. Constit. Part. 2. fol. 1031. seq.* Renovatæ sunt hæ Constitutiones An. 1611. sub Sigismundo III. qvi Cives Bona Terrestria emere vetat, sub pœna amissionis ejusmodi Bonorum. Excipitur tamen hic primò Civitas Cracoviensis, cujus incolæ Bona Terrestria sibi acqvirere & possidere possunt. *Constit. An. 1611. tit. Miasta abii fol. 14.* Deinde idem Privilegium datum est Consulibus Civitatis Vilnensis, eorumqve posteris, qvod habetur apud Alexandrum Aaronem Olizarovium loco infra citando. Tertiò in Prussia qvoqve concessum est privatis etiam Civibus, Bona Terrestria possidere. Extat enim articulus in Constitutionibus Prussicis An. 1538. à Sigismundo Seniore latis, qvi sic habet: *Civibus Bona Terrestria, & Nobilibus Civilia Bona liberum sit deinceps emere, ita tamen, qvod ad paria onera utrinqve ferenda sint obligati. Qvod scilicet Cives ratione Bonorum Terrestrium omnia Nobilitatis onera aqvis passibus ferant.* Vid. Jura Municipalia Prussiæ. Confirmatum idem est Prussicis Civitatibus *An. 1611. fol. 14.* Tandem Leopoliensis qvoqve Civitas Cracoviensi non ita pridem exæqvata est.

XIX. Ut tandem reliqva paucis complectamur, observandum est, Nobilitatem in Palatinatu Siradicensi privilegium olim obtinuisse, rubrâ cerâ signandi testamenta, contractus, obligationes. *Vid.* Bartholom. Paprocki *in opere Stemmatum fol. 707.* Hoc ipsum verò omnibus Nobilibus Polonis tribuit Albertus Alexander Paprocki *in Historica Narratione Originis Stemmatis Trzyglow.* Cives autem

autem in urbibus non rubrâ sed viridi cerâ in publicis instrumentis signandis utuntur, ut idem Alb. Alex. Paprocki testatur *loc.cit.* Habent qvoqve Nobiles Poloni Privilegium, insignia sua coronis ornandi, ut auctor est idem Paprocki *loc. cit.* qvem tamen morem Illustriss. Georgius Lubomirski novitatis arguit *in Manifesto publicæ Innocentiæ. Vid. Diarium Europæum Continuat. XII. in Append. pag. 146.* Concessum verò idem est & Civitati Gedanensi, ut Præconsules, Consules, Scabini & omnes incolæ Civitatis rubrâ cerâ signare, & in parte clypei suprema coronam auream gerere possint. Dedit hoc Privilegium Casimirus Jagellonides An. 1457. qvod videatur apud Eliam Constantium à Trevven Schröder *lib. II. Juris Publici Gedanensis Tit. 1. cap. 10. & 11.* Porrò Nobiles Poloni in Comitiis Electionis Regem sibi eligunt non jam per Delegatos Provinciales, sed per se; imò qvilibet Nobilium in Polonia habet aditum ad Regnum, si per libera Fratrum vota in Regem eligatur. Sed cum de his jam supra lib. II. cap. 1. actum sit, eò Lectorem benevolum remittentes ad alia progredimur. Nobilibus Polonis tempore Qvadragesimæ certa qvantitas salis (*Sol Suchodniowa* dicitur) viliori precio venditur ex Salinis Bochnensibus & Wielicensibus, ut & Oeconomia Samboriensi. Et qvidem Palatinatus proximi salem sibi ipsis ex dictis illis salinis advehi curant; remotioribus autem Palatinatibus Rex salem propriis sumptibus ad certa loca devehi curat, ut illum Nobilitas eò commodiùs inde petere possit. *Videantur Constit. An. 1647. fol. 11. & 13. item Pacta Conventa Serenissimorum Regum Michaëlis & Joannis III. §. Poniewasz tey.* Tandem in Comitiis Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ generalibus tàm Ordinariis, qvàm Extraordinariis, cùm singuli Nobiles adesse neqveant, idcircò *tuentur sua jura per Delegatos Provinciarum; Bella vicinis indicunt, Fœdera cum illis statuunt; tributa imponunt; cudendæ monetæ modum præscribunt, & omnem penitus Reipubl. administrationem in manibus ipsi habent. Rex tantum cum Senatu judiciis & Deliberationibus præsidet, & qvæ illi concluserunt, moderatur, & sua auctoritate pondus addit, nomenqve tabulis & titulum Regium præscribit,* ut ait Simon Starovolscius *in Polonia pag. 237.* Et hæc ferè sunt privilegia Nobilitatis Polonicæ, ex qvibus facilè animadvertimus, qvanta sit Nobilitatis Polonicæ præ aliarum gentium Nobilitate prærogativa. Unum tantum onus longè gravissimum Nobilibus Polonis incumbit, qvod ipsos propriis sumptibus in bellum proficisci oporteat, qvando in Comitiis Expeditio generalis indicta est. Sed hac de re postea acturi sumus.

XX. Cùm itaqve tantæ sint Nobilitatis in Polo-

Polonico imperio prærogativæ, qværi poteſt, qvomodo illas à Regibus ſuis ſint adepti, cùm conſtet, duriuſculam olim fuiſſe ſortem Nobilium in Polonia? Oportuit enim ipſos Principi ſuo canes alere ad venationes, *teſte* Cromero *lib.IX. de Ortu & Reb. geſt. Polon. fol. 560. fin.* Alia jam lubens prætereo. Initium libertatis hujus dubio procul cœpit à Bonis Eccleſiaſticis, ut inter alia etiam teſtatur Privilegium à Boleslao Pudico Eccleſiæ Cracovienſi conceſſum, apud Cromerum *lib. IX. de Reb. geſt. Polon. in fin. fol. 563.* Creverunt Nobilium immunitates illis maximè temporibus, cùm Polonia in multas partes diviſa bellis civilibus conflictaretur. Non pauci enim ex ſtirpe Ducum Poloniæ oriundi, ut favore Procerum Principatum præ aliis competitoribus obtinerent, multa ſine dubio Nobilitati Privilegia conceſſerunt. Maximum autem incrementum immunitatum ſuarum, Nobilitas Polonica debet liberæ Regum Electioni: *Nam ſoliti ſunt jam diu*, ait Henningius Arniſæus, *ſubditi ſophiſticâ qvadam fallaciâ uti, ut non admittant ad imperium, niſi certis legibus circumſcriptum, qvas non facilè aſpernaturus eſt, qvi præter Electionem nullum regnandi jus habet.* Hæc Arniſæus *lib. II. Doctr. Polit. cap. 3. 186.* Lithvani in ſpecie libertates ſuas debent Regi Vladislao Jagelloni & Vitoldo Magno Duci Lithvaniæ. Hi enim Principes, ut facilius

lius Nobilitatem Lithvanicam ad religionem Chriſtianam amplectendam allicerent, iisdem eam Privilegiis, qvibus gaudebant Poloni, donarunt. Poloni qvoqve Proceres ad uſum Inſignium ſuorum admiſerunt Nobilitatem Lithvanicam. Januszov. *lib. VII. Conſtit. Part. 1. tit. 2. fol. 748.* & Kojalovvicz *Part. 2. Hiſt. Lithvan. lib. II. ad An. 1413. pag. 91. ſeq.* Sub Vladislao Jagellonide Podolia etiam, & Ruſſica Nobilitas ad pares cum Polonis prærogativas eqveſtres admiſſa eſt, antiqvatâ vetere Ducum Ruſſiæ conſvetudine, qvibus Nobiles certam frumentorum penſionem debebant, & militiam propriis ſtipendiis. Kojalovvicz *Part. 2. lib. IV. pag. 165.* Hinc tandem cognoſcimus, meritiſſimè civem Polonum dicere poſſe: LIBER SUM: ut dicit Stanisl. Orichovius apud Andream Maximilianum Fredro *in Fragmentis Politicis num. 14. pag. 299.*

XXI. Acqviritur autem in Polonia Nobilitas I. Nativitate. Qvorum enim Majores virtutis ergò in hunc ordinem allecti, gentilitio ſigno donati ſunt, ii demum verè Nobiles eſſe cenſentur, & qvidem ſi ex utroqve parente Nobili procreati ſint. Qvamvis & per leges & per longam conſvetudinem etiam Nobiles ſint ii, qvi matre plebeja, ſi Pater tantùm ſit nobilis, orti ſunt, determinante id *Alexandro Rege An. 1505. Conſ. Statut. Lithvan. cap. 3. cap. 10.* Hodiè inter Nobiles tenuiores nihil

est freqventius, qvam ut ducant uxores ex urbibus opulentiores, qvod tamen ipsorum Nobilitati nihil derogat. Illegitimi verò sive vulgo qvæsiti, non admittuntur ad jura Nobilitatis ex Constit. *Stephani Regis An. 1578. fol. 334.* & *Vladislai IV. An. 1633. tit. de prole illegitima fol. 40.* Deinde acqviritur etiam jus Nobilitatis II. Nobilitatione sive cooptatione in numerum Nobilium, qvod fit à Rege in Comitiis. Stephanus Rex An. 1578. constituit, ut Nobilitatio fiat aut in Comitiis, aut in castris. *Vid. Const. fol. 334.* Promisit postea Sigismundus III. se neminem ad jura Nobilitatis admissurum, nisi qvem commendarit Senatus & Nuncii Terrestres, & in bello Duces Exercituum *An. 1601. fol. 736.* Qvid nunc obtineat, diximus *supra cap. 2. num. 12.* Præstantius tamen habetur Nobilem natum esse, qvàm factum, ex qva ratione ejusmodi creatis Nobilibus obtinere & possidere Bona terrestria, statuto qvodam novo non licuisse, dicit de suo tempore Cromerus *lib. I. Descr. Pol. pag. 102.* Hodiè qvoqve recens creati nobiles ad dignitates & officia non admittuntur usqve ad tertiam progeniem, neqve Legationes novi Nobiles obire possunt. *Vid. Pacta Conventa Sereniss. Johannis III. §. Cudzoziemcow.* Nisi expressis verbis in Constitutione addatur, qvod ejusmodi Nobiles recens creati sint capaces ad omnia munia & officia susci-

suscipienda, non obstante lege de novis Nobilibus, qvâ ratione qvidam An. 1676. admissi sunt ad jura Nobilitatis. *Vid. Constit. dicti anni fol. 59. seqq.* Qvod etiam novi Nobiles non iis statim Privilegiis omnibus gaudeant, qvibus gaudet antiqva Nobilitas, patet ex eo, qvod non raro Novæ Nobilitati novæ sive peculiares imponantur contributiones, præter ordinarias illas, qvas pendit antiqva Nobilitas, *Vid.* Universales *de An. 1613. An. 1620. &c.* Moris autem est à vetustis temporibus, ut eos, qvi Nobilitatis jura conseqvuntur, alii Proceres in familiam suam adoptent, suisqve gentilitiis Armis vel Insignibus uti permittant, ut testantur Firleji in literis Christophoro Tretio datis, qvem à Rege Nobilitate donatum in suam familiam adoptarunt, *apud* Okolski *Tom. II. Orbis Poloni fol. 137.* Alia exempla passim invenias. *Conf.* Cromer. *in Descript. Polon. lib. I. pag. 102.* Ne verò privato ausu Nobilis ignobilem in familiam suam suscipiat, cautum est Constitutione *Anni 1633. fol. 32.* Tandem III. datur etiam alius Nobilitatis in Polonia acqvirendæ modus, qvando qvis nec ortus est claris natalibus, nec Nobilitatis jura consecutus est in Comitiis à Rege, sed conseqvendo aliqvod officium in urbe privilegiata, eo ipso fit Nobilis, ut sunt Consules Cracoviensis & Vilnensis Civitatum. Consules autem ibidem dicuntur, qvi in

in urbibus Germanicis ſunt Senatores; idqve ad differentiam Senatorum Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ. Sed & horum Conſulum liberis Privilegia & jura Nobilium conceſſa ſunt, ſi modò vitam Nobilibus dignam agant. *Vid.* Privilegium Magiſtratui Vilnenſi datum An. 1568. apud Aaronem Alexandrum Olizarovium *lib. II. de Polit. hominum ſociet. cap. 1. Conf. & Additamenta ad Statut. Lithv. cap. 3. art. 35.*

XXII. Qvantò major autem eſt libertas Nobilium in Polonia, tantò rigidior etiam eſt pœna in eum conſtituta, qvi Nobilitatem mentitus, agros ſive Bona Terreſtria ſibi acqvirit, aliisqve Nobilium privilegiis frui vult. Ille enim omnia Bona ſua amittit, qvorum dimidia pars Fiſco, dimidia delatori cedit. Si verò non fuerit poſſeſſionatus, ut ad Caſtrenſe judicium, vel etiam ad ſummum Tribunal delatus, in carcere per dimidium annum pœnas luat, conſtituit Sigismundus III. *An. 1589. §. Jesliby fol. 517. in Volum. Conſtitut. Andreæ Petricovii.* Qvinimò licet ejusmodi hominem qvis occidat, nullam tamen propterea mulctam ſolvit, *ex Conſtit. Sigismundi Auguſti An. 1557. fol. 10.* Conf. Januszov. *lib. IV. Conſtit. Polon. Part. VIII. tit. 1.*

XXIII. Qvoniam autem Privilegia tantum dignis conferri & ſervire debent, ideò legibus conſtitutum eſt, ut qvi nobili nomine indi-

indigna patraverit, nobilitatis etiam juribus privetur. Amittitur itaqve Nobilitas duobus. Primò ſcelere aliqvo atroci commiſſo. *Vid.* Simon Starovolſc. *in Polonia pag. 235. ſeq.* Deinde amittitur etiam Nobilitas, ſi qvis deſertis militiæ & agriculturæ ſtudiis mercaturam civibus uſitatam, aut cauponariam, aliamve ſordidam artem exerceat. *Conſtit. Alexandri An. 1505.* apud Joan. Januszov. *lib. II. Conſtit. Polon. Part. II. fol. 196. ſeq.* Conf. Starovolſc. *loc. cit.* & Cromerus *lib. I. Deſcript. Polon pag. 103.* Si etiam Nobilis Magiſtratus civiles in urbe aliqva gerat (excipiuntur tamen hinc Civitates privilegiatæ, de qvibus ſupra.) Nobilitatem amittit, nec poteſt deinde Bona Terreſtria ſibi acqvirere. *Vid. Conſtit. An. 1633. fol. 33.* Hinc non rarò in Conſtitutionibus legas, multos, qvorum majores paupertate preſſi vitam civicam elegere, jus Nobilitatis in Comitiis Regni & M. Duc. Lithvaniæ generalibus repetere. Tunc enim ipſis jus hoc qvaſi de novo confertur. *Vid. Conſtit. de An. 1676. fol. 59. ſeqq.*

XXIV. Anteqvam hoc caput finiamus, placet nonnullas tantum Nobilium familias, Dignitatibus & Magiſtratibus in Polonia crebrò geſtis illuſtriores, ſubjungere. Eminent verò inter alios Nobiles adhuc hodie Duces Viſniovecii, Czartoryſcii, Oſſolinii, Lubomirſcii, Sieniavii, Koniecpolſcii, Potocii, Kraſinii, Leſz-

Leſzczynii, Koricinii, Prazmovii, Olszovii, Gembicii, Lubienſcii, Gninſcii, Reji, Opalinſcii, Dzialinii, & alii qvamplurimi, qvorum etiam hinc inde facta eſt mentio. Sobieſciorum familia licet & antea habuerit, qvi ſummis in Republica dignitatibus & honoribus functi ſunt, nunc tamen maximè ſupra cæteras caput exſeruit, cum ex eadem familia ad Regiam dignitatem ſit evectus Sereniſſ. atqve Potentiſſ. Joannes III. heros incomparabilis, cui veteri formulá vitam longævam & tranqvillam, Senatum fidelem, populum probum, exercitus fortes comprecamur. Extinctæ autem jam ſunt plurimæ Nobilium Polonorum familiæ, qvæ olim inter alias maximè floruerunt, ut Tarnovia, Tencinia, Gorkana, Oſtrogia, Melſtinia, Sczebrzezinia, Dembnia, Odrovvozarum, Kmitarum, Stadnicia, Szidlovviecia, Rythvviania, Curoſvvanſcia, Lubranſcia & aliæ qvamplurimæ, de qvibus vid. Chriſtoph. Varſevicius *lib. I. de optimo Statu Libertatis pag. 49.* In Magno Ducatu Lithvaniæ ſunt adhuc Duces Radzivilii, Pacii, Sapiehæ, Polubinſcii, Oginſcii, Kotovicii, Kopecii, Hlebovicii, Wolovvicii, Lacky & alii plurimi, qvos hic omnes enumerare nimis prolixum eſſet.

CAP.

CAP. VI.

De Comitiis Polonicis.

I.

Comitia Polonica duas ob cauſas indici ſolent, videlicet ut de Bono Reipubl. conſultationes inſtituantur, & judicia certa exerceantur. Sunt verò Comitia Polonica vel Togata, vel Paludata. Ad Togata, qvæ freqventiſſimè habentur, Ordines nullis militibus ſtipati pacatè conveniunt. Sagata ſeu paludata ſunt, qvando Ordines armati Comitia peragunt, qvod præcipuè in Interregnis fit, ut factum eſt in Electione Sigismundi III. An. 1587. *Vid.* Paul. Piaſec. *in Chron. fol. 68. (58.)* Habita qvoqve ſunt ejusmodi Comitia An. 1592. in qvibus inqvirebatur in Acta Regis. Piaſec. *fol. 117. (100.) Conf. idem ad An. 1607. fol. 294. ſeq. (246.)* Sic etiam cum extremis Joannis Caſimiri Regis temporibus Comitia ſæpè diſturbarentur, agitatum eſſe comperimus, ut Comitia paludata ſub dio in campis haberentur. Deinde dividuntur etiam Comitia Polonica in ordinaria & extraordinaria. Ordinaria ſunt, qvæ qvovis bien-

biennio ſecundum leges indicuntur. Extraordinaria ſunt, qvæ urgente neceſſitate biennio qvoqve nondum elapſo indicuntur, ut frequentiſſimè fieri conſvevit.

II. Olim Rex pro lubitu Comitia, qvando & ubi vellet, indicebat. Hinc freqventer Comitia celebrata eſſe legimus Radomiæ, Siradiæ, Lencitiæ, Cracoviæ, Corcini, Lublini, Petricoviæ, vel aliis etiam in locis, ut ex Hiſtoria Polonica notum eſt. Nullum etiam fuit certum tempus conſtitutum, qvo Comitia celebrarentur; ſed hoc in arbitrio erat Regum, ut neceſſitate exigente tempus ipſi determinarent. Peragebantur autem olim Comitia bidui vel tridui ſpacio, ut teſtatur Martin. Cromer. *lib. II. Deſcript. Polon. pag. 199. & 204.* Conf. Neugebaur. *lib. VI. pag. 396.* Sed hæc ſeqventibus temporibus immutata ſunt omnia. Qvod ad LOCUM Comitiorum attinet, primam de eo Conſtitutionem tulit Vladislaus Jagello An. 1413. Hrodlæ. Cùm enim Lithvaniam cum Regno Poloniæ univiſſet, ut eò commodius Senatores utriusqve gentis ad Comitia confluere poſſent, voluit, ut Comitia Polonorum & Lithvanorum LUBLINI, aut PARCZOVIÆ ſemper haberentur. *Vid.* Herburt. *Polon. fol. 11.* Sed fœdere illô diſſolutô, rurſus pro lubitu Reges Comitia variis in locis indicebant; donec An. 1540. Sigismundus I. Rex ea in unum concluderet oppi-

oppidum, in meditullio Regni Polonici ſitum, nempe PETRICOVIAM. Vid. Herburt. *fol. 11.* Januszov. *lib. I. Part. 3. fol. 113.* Qvamvis neqve hoc fuerit adeò ſtrictè obſervatum. Cum deinde An. 1569. Lithvania Poloniæ perpetuo fœdere eſſet conjuncta, VARSAVIA, in meditullio Imperii Polonici ſita, Comitiis celebrandis in gratiam Lithvanorum deſtinata eſt; ita tamen, ut Rex urgente neceſſitate & in alio loco de conſenſu Senatus Comitia indicere poſſet. *Vid. Confirmatio Fœderis in Volumine Legum Andreæ Petricovii fol. 179.* Tandem non ita pridem, Anno videlicet 1673. ſub Michaële Rege conſtitutum eſt, ut tertia qvæqve Comitia in Lithvania Grodnæ habeantur, exceptis tamen Convocatione Generali ſub tempus Interregni, ut & Comitiis Electionis, & Comitiis Coronationis, qvæ ſolitis in locis celebrari debent. Confirmavit hoc ipſum Sereniſſ. Joannes III. promiſitqve inſuper, ſe tertio qvovis anno in Magno Ducatu Lithvaniæ ſedem ſuam habiturum. *Vid. Pacta Conventa circa fin. §. Privilegia y Prawa.*

III. Sed & TEMPUS certum poſtea determinatum eſt, qvo Comitia haberi deberent. Etenim An. 1567. Sigismundus Auguſtus lege latâ promiſit, ſe ſingulis bienniis præterlapſis ordinariè Comitia indicturum. *Vid. Conſtit. An. 1567. fol. 255.* Sed qvoniam non rarò negotia occurrunt, qvæ præſens Conſilium reqvi-

reqvirunt, ideò etiam biennio nondum elapso Comitia Extraordinaria possunt indici. Hodiernis temporibus tanta est negotiorum in Comitiis determinandorum moles, ut vix annus præterlabatur, qvo Comitia non habeantur; imò bis etiam in anno qvandoqve habentur, ut Constitutiones in iis latæ, publicisqve typis expressæ testari possunt. Deinde determinatum etiam est, qvo tempore Comitia illa durare debeant. Cùm enim tempore Sigismundi I. & Sigismundi Augusti Comitia in qvartum, qvintum & sextum mensem extraherentur (ut testatur Cromerus *lib. II. De script. Polon. pag. 199. & 204.*) conclusit eatandem Sigismundus Augustus An. 1567. intra sex hebdomadarum spacium. *Vid. Constit. dict. an. fol. 255.* Hoc tamen tempus prolongari & restringi potest omnium Ordinum consensu, prout negotia Reipubl. expedienda exigunt. Et licet in Constitut. An. 1635. statim ab initio tempus illud sex hebdomadarum prolongari vel abbreviari prohibeatur, observari tamen hoc sæpè neqvit, ut & Constitutionibus de An. 1642. 1647. &c. probatur. De tempore Comitiorum extraordinariorum variæ & inter se diversæ extant Constitutiones. Antea namqve ultra duas vel tres hebdomadas non extrahebantur, volentibus ita Ordinibus. Postea verò ut & Comitia Extraordinaria essent sex hebdomadarum iidem Ordi-

Ordines ursserunt. Hinc cum Vladislaus IV. in Annum 1637. Comitia Extraordinaria duarum hebdomadarum indixisset, non misit ad eadem Nuncios suos Major Polonia; qvâ de causâ Rex dicto anno constituit, ut, si imposterum Comitia Extraordinaria necessitas exigeret, illa cum consensu Senatorum utriusqve gentis indicta non duarum, vel trium, sed sex essent hebdomadarum. *Vid. Constit. An. 1637. init.* Sed anno proximè subseqventi concessum est Regi, ut Comitia Extraordinaria ad duas hebdomadas duratura indicere posset, sed sine ullis solennitatibus, & in qvibus nulla judicia privata, solis causis Fisci exceptis, exercerentur. *Const. An. 1638. fol. 6.* Posthæc An. 1647. habita sunt Comitia Extraordinaria trium hebdomadarum, in qvibus solita judicia non fuerunt omissa. *Vid. Constit. An. 1646. fol. 7. seq.* Hoc, qvo scribimus, anno Nuncii Terrestres ipsi Regem solicitârunt, ne Comitia ultra duas hebdomadas prorogarentur, non potuerunt tamen intra illud tempus omnia negotia expediri. Tandem ad tempus Comitiorum illud etiam pertinet, qvod neqveant in diem Dominicum, neqve in aliud solenni-us festum indici, *ex Constit. Sigismundi III. An. 1591. fol. 615.*

IV. Qvod ad jus Regis circa convocationem Ordinum attinet, illud licet antea, ut supra diximus, fuerit absolutum; variis tamen

modis ſubſeqvutis temporibus eſt circum-
ſcriptum. Nam An. 1567. ut & hoc jam ſu-
pra monuimus, Sigismundus Auguſtus Rex
promiſit qvovis biennio præterlapſo ſe Co-
mitia ordinariè indicturum. *Vid. Conſtit. ejus Anni in Volum. Conſtitut. fol. 255.* Hæc ta-
men Juris Regii limitatio tunc facta non ob-
ſtitit, qvo minus poſt exceſſum Sigismundi
Auguſti Adamus Konarſcius ad Henricum
Valeſium Poloniæ Regem electum, in Gallia
verba faciens dicere potuerit, jus indicendi
Comitia Regibus Poloniæ eſſe integrum. *Vid.* Andr. Maximil. Fredro *in Hiſt. Henrici I. pag. 97.* Poſthæc magis magisqve jus hoc li-
mitari cœpit, cùm etiam extraordinaria Co-
mitia in Ordinariis Comitiis, Ordines à Rege
cœperunt poſtulare. Hodie itaqve hoc ob-
tinet, ut ſingulis bienniis elapſis ordinaria Co-
mitia habeantur. Si verò in iis omnium de-
ſideriis non eſt ſatisfactum, rogant Ordines
Regem, ut Extraordinaria Comitia commodo
tempore indicantur, qvod etiam à Rege con-
cedi, conceſſioqve illa Volumini Legum inſeri
ſolet. Exemplum ejus rei, præter alia vetu-
ſtiora, videmus in Conſtitut. *de An. 1676. fol. 21.*
Sed & aliàs, etiamſi Status in Ordinariis Co-
mitiis alia extraordinariè à Rege indici non
petierint, attamen Rex, neceſſitatis caſu flagi-
tante, dimiſſis ad Dnn. Senatores literis, eo-
rumqve ſenſu explorato, Comitia extraordi-
naria

naria poteſt indicere, iisqve tempus commo-
dum arbitratu ſuo præſtituere. *Vid. Univerſales An. 1676. d. 3. Octobr. ad Senatores, Officiales omnemqve Nobilitatem à Rege miſſa.*

V. Cùm ordinaria, vel etiam extraordina-
ria ſex hebdomadarum habenda ſunt Comi-
tia, indicit prius Rex per literas CONVEN-
TUS PARTICULARES, ſive, ut vocant CO-
MITIOLA, ſingulis in Palatinatibus, majori-
bus terris, & certis Diſtrictibus. Hi Conven-
tus antecedunt univerſalia Regni Comitia ſex
hebdomadis, *ex Conſtit. Sigismundi I. An. 1525. & Sigismundi III. An. 1613. tit. o Seymach fol. 10.* Sed in Comitiis extraordinariis, qvæ
ob ſubitaneos motus & magna Reipubl. peri-
cula moram non patiuntur, etiam paucioribus
hebdomadis antecedere ſolent. Exemplum
habemus in Conſtitut. *An. 1638. fol. 6.* ubi
conceſſum eſt, ut tribus tantùm, ante Comitia
Regni generalia, hebdomadis particulares
Conventus (qvi Polonicè *Seymiky* vocantur)
indicerentur. Loca autem, ubi Palatinatus
& Terræ ſuos habere conſveverunt Conven-
tus particulares, ſunt ſeqventia.

I. IN MAJORE POLONIA omnes Con-
ventus particulares una die indicuntur;
& qvidem

Poſnanienſi & Kaliſſienſi Palatinatibus, in
oppido Sroda.

Siradicenſi, in oppido Sadek (Schadkovia.)

Terræ Vielunenſi in oppido Vielun.
Lancitienſi Palatinatui in oppido Lancitia.
Breſtenſi & Inovladislavienſi Palatinatibus in Cujavia, in oppido Radzieiovvo, *ſecundum Conſtit. An. 1510. apud Herburt. Polon. fol. 257.*
Terræ Dobrinenſi in oppido Lipno, *ut habet Conſt. An. 1567. fol. 135.*
Plocenſi Palatinatui in oppido Raciaz.
Ravenſis Palatinatus tribus in locis habet Comitiola. Nimirum
Diſtrictus Ravenſis in oppido Rava.
Diſtrictus Sochaczovienſis in oppido Sochaczovvo
Diſtrictus Goſtinenſis Gombini.

Conſtitutum qvidem eſt An. 1667. ut in Palatinatu Ravenſi omnes illæ tres terræ uno tantum in loco, nempe in oppido Bolemovo, ſimul, Comitiola Ante & PoſtComitialia haberent; in qvo loco ex omnibus tribus Diſtrictibus congregata Nobilitas ſecundum pluralitatem votorum & Marſchalcum Conventûs illius, & Nuncios eligeret. *Vid. Conſtit. An. 1667. fol. 18.* Sed hæc hodie non videntur obſervari, ut colligitur ex Declarationibus Palatinatuum, Conſtitutionibus ſubnecti ſolitis, in qvibus & poſt annum 1667. ſingulis illis diſtrictibus peculiaria indicuntur Comitiola Relationum, ſive Conventus PoſtComitiales.

Pod-

Podlachiæ Palatinatus habet tres Terras, inter qvas
Terra Drohicenſis Comitiola habet Drohicini.
Terra Mielnicenſis in oppido Mielnik.
Terra Bielſcenſis in oppido Bransk.
Maſoviæ Palatinatus uno itidem die habet Comitiola diverſis in locis, & qvidem
Terra Cyrnenſis Cyrnæ.
Terra Varſavienſis Varſaviæ.
Terra Viſnenſis, Viſnæ.
Terra Wiſſogrodienſis Wyſſogrodiæ.
Terra Zakrocimenſis Zakrocimi.
Terra Ciechanovienſis Ciechanoviæ.
Terra Lomzenſis Lomzæ.
Terra Rozanenſis Rozanii.
Terra Livenſis Livæ.
Terra Nurenſis in oppido Nur.
In PRUSSIA qvid obtineat, poſtea dicetur.
II. IN MINORI POLONIA uno itidem die celebrantur Comitiola.
Cracovienſis Palatinatus duos habet Conventus. Nimirum
Ducatus Oſvviecimenſis & Zatorienſis in oppido Zator.
Et poſtea totus Palatinatus Cracovienſis Proſzoviæ.
Sendomirienſis Palatinatus in oppido Opatovv.

 Con-

Concessus qvidem fuit à Sigismundo I. & Conventus Skrzynnensis, sed An.1519. abrogatus est. *Vid. Herburt. Polon. fol.257.*

Lublinensis Palatinatus Lublini, secundum Constit. An.1532. Antea habebatur Vrzedoviæ. *Vid. Scherbic. Part. III. Constit. cap. III. fol. 13.*

Russiæ Palatinatus aliqvot habet conventus, nimirum

Terra Leopoliensis Leopoli.
Terra Præmisliensis Præmisliæ.
Terra Sanocensis Sanoci.
Terra Visnensis Visniæ.
Terra Haliciensis Haliciæ.
Terra Chelmensis Chelmæ.

Belsensis Palatinatus in oppido Belza.

Podoliæ Palatinatus conventus suos agere solebat Kameneciæ.

Kioviæ Palatinatus Zytomiriæ

Volhyniæ Palatinatus in oppido Luccoriensi.

Braclaviensis Palatinatus Winnicæ.

CzernichoviensisPalatinatusWlodzimiriæ.

An.1659. Constitutum est, ut Palatinatus Kioviensis, Braclaviensis & Czernichoviensis Conventus suos Antecomitiales celebrarent Vlodimiriæ, donec Bona ipsis restituerentur. *Vid. Constit. dicti anni fol. 48.* qvod etiam nunc observatur.

III. IN

III. IN MAGNO DUCATU LITHVANIÆ Conventus particulares agunt,

Vilnensis Palatinatus Vilnæ.
Districtus Osmianensis Osmianæ.
Districtus Lidensis Lidæ.
Districtus Wilkomiriensis Wilkomiriæ.
Districtus Braslaviensis Braslaviæ.

Trocensis Palatinatus in Civitate Troki.
Territorium Grodnense Grodnæ.
Territorium Caunense Caunæ.
Territorium Upitense Upitiæ.

Ducatus Samogitiæ conventus habet Rosienis.

Smolenscensis Palatinatus } Vilnæ durantibus Induciis cum M. Duce Masoviæ, *per Constit. An.1667. fol.78.*
Districtus Starodubensis }

Polocensis Palatinatus Polociæ.

Novogrodensis Palatinatus Novogrodci.
Districtus Slominensis Slomini.
Districtus Volkoviscensis Volkovisci.

Witepscensis Palatinatus Witepsci.
Districtus Orszanensis, Orszani.

Brzescensis Palatinatus, Brzesciæ.
Districtus Pinscensis Pinsci.

Mscislaviensis Palatinatus, Mscislaviæ.

Minscensis Palatinatus Minsci.
Districtus Mozirensis Moziriæ.
DistrictusRzeczycensisRohaczoviæ.

 Livo-

Livonia Regi Poloniæ adhuc subjecta Comitiola habet Duneburgi, *secundum Constitutionem Anni 1673. fol. 24.*

VI. Anteqvam Comitiola enumeratis in locis agantur, mitti solent Universales literæ Regiæ ad Officia Castrensia singulorum Districtuum, duabus vel tribus hebdomadis ante Comitia illa particularia. (Ipsa vero Comitiola indici debent sex hebdomadis ante Comitia Regni, & Magni Ducatus Lithvaniæ generalia. *Constit. An. 1613. fol. 10. Statutum Lithvanicum cap. 3. art. 6.*) Universales illæ literæ posthæc ab officio Castrensi per Ministerialem (qvi Polonis *wozny* dicitur) mittuntur ad Principes, Magistratusqve omnes; in foris etiam urbium oppidorumqve per eundem Ministerialem sive Præconem altâ voce publicantur, & templis ubiqve affiguntur. In literis illis Rex Senatoribus & Nobilitati proponit causas Comitiorum. Mittitur etiam præterea à Rege Nuncius ad hos Conventus particulares, cum peculiari instructione, in qva specialius deliberanda proponuntur. Convenire autem die à Rege præfixo, locisqve solitis debent non tantùm Nobiles, sed etiam Episcopi, Palatini, Castellani aliiqve Magistratus omnes ejus Districtus, vel Palatinatus, in qvo Comitiola celebrantur. *Vid. Constit. An. 1518. apud Herburt. Polon. fol. 258. An. 1565. fol. 84. Statut. Lithv. cap. 3. art. 6. fol. 52. ubi & alias Constitutiones subjunctas reperies.* Interea dum Nobilitas ad Conventus hos confluit, Capitaneus ejus loci suum cuilibet assignat hospitium, *ex Constit. Sigism. Augusti An. 1565. fol. 85.* Priusqvam ad Consultationes descendatur, à sacris fit initium. Prima deinde cura est circa electionem Marschalci sive idonei Conventus illius Directoris, qvi eadem ferè munia obit, qvæ Marschalcus Nunciorum Terrestrium ad Comitia generalia confluentium in Conclavi Nunciorum, & Marschalcus Regni in Senatorio, tempore Comitiorum Varsaviæ obire solent. Qvamvis in Magno Ducatu Lithvaniæ non ubiqve semper novus eligatur Comitiolorum Director. Nam in Districtibus Lithvanicis paulò antè enumeratis, ut Osmianensi, Lidensi, Wilkomiriensi, Braslaviensi, Grodnensi, Caunensi, Upitensi, Starodubensi, Slominensi, Volkoviscensi, Orszanensi, Pinscensi, Mozirensi, Rzeczycensi perpetui sunt Marschalci, qvi hoc munere ad dies vitæ funguntur, tituloqve Marschalcorum ubiqve utuntur, ut inter alia documenta etiam ex variis subscriptionibus liqvet. *Conf. Albertus Alexander Paprocki in Narratione Historica Originis Stemmatis Trzyglow.* Tunc Nuncius Regis à primo Senatore vel Officiali excipitur, & honore primi loci afficitur. Hic itaqve causas Comitiorum expo-

exponit, Inſtructionemqve ſuam poſt habitam orationem Nobilitati prælegit.

VII. Marſchalco electo & Legatione Regis auditâ, conſultat præſens Nobilitas de Rebus à Rege partim in literis univerſalibus, partim per Nuncium illum præpoſitis; deinde etiam de aliis rebus in futuris Comitiis Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ proponendis. Vota non eodem ubiqve ordine ubiqve dantur, qvia non ubiqve iidem reperiuntur Magiſtratus. In Magno Ducatu Lithvaniæ hic præſcribitur ordo, ut primum votum habeat Epiſcopus, deinde ſubſeqvantur Palatinus, Caſtellanus, Marſchalcus Diſtrictus illius, Succamerarius, Vexillifer, Judex, Subjudex, Tribunus, Dapifer, Subdapifer, Notarius Terreſtris; hos tandem excipiant Magiſtratus Caſtrenſes, aliiqve Barones & Nobiles. Hæc in Statuto Lithvanico *cap. III. art. 6.* Habentur tamen & hic exceptiones qvædam ratione Tivvunorum aliorumqve, qvæ cognoſci poſſunt ex ſupra (*lib. II. cap. IV. n. III.*) dictis. Sed & ex iisdem cognoſci poteſt, qvo ordine in Regno vota expediantur, Hic unicum tantum repetimus, qvod, tametſi Magiſtratus Terreſtres Caſtrenſibus præferantur, Capitaneus tamen locum ſuum in Comitiolis aliisqve congreſſibus habeat immediatè poſt Succamerarium, ante Vexilliferum & Judicem Terreſtrem. *Vid. Conſtit. An. 1613. fol. 20. An. 1647.*

1647. fol. 18. An. 1658. fol. 45. Poſtqvam in certa puncta omnes conſenſerunt, conſignantur illa, trutinanturqve iterum ab omnibus. Qvem actum An. 1616. moderari juſſi ſunt Senatores non in hoſpitio, ſed in templo, ut variæ turbæ, qvæ alioqvin excitari ſolent, hoc modo evitarentur. Sed licet hoc tum receperint Cracovienſis, Poſnanienſis & Caliſſienſis Palatinatus, ut cognoſcimus ex Conſtit. *An. 1616. tit. Spoſob concludowania. fol. 11.* Repudiarunt tamen hoc ipſum Palatinatus Poſnanienſis & Caliſſienſis An. 1618. *Vid. Conſtit. ejus anni fol. 6.* Subſcribunt conſcriptos dicto modo articulos Senatores & Marſchalcus Comitiolorum. *Conſtit. An. 1616. fol. 11.*

VIII. His ita peractis eliguntur Nuncii Terreſtres ſive Delegati Provinciales ad Comitia generalia mittendi. In electione verò ipſorum per totum Magnum Ducatum Lithvaniæ obtinet pluralitas votorum. *Conſt. An. 1613. fol. 41.* In Regno receperunt hoc ipſum Anno 1598. Palatinatus Maſoviæ. *Vid. Conſt. ejus anni in Volum. Legum fol. 702.* Palatinatus Kioviæ An. 1613. *Vid. Conſtit. ejus anni fol. 13.* Eodem anno Palatinatibus Pruſſicis hoc ipſum fuit indultum, ut pluralitas votorum ederet Delegatos Provinciales, *loc. cit. fol. 24.* ut & Palatinatui Plocenſi. *ibid. fol. 22.* Idem obſervatur in Palatinatu Podlachiæ, *ſecundum Conſtit. An. 1631. fol. 34. (num. 81.)* In Palatinatu

natu Siradicensi, Terra Vielunensi; nec non Palatinatu Cracoviensi & terra Chelmensi, *ut habet Constit. An. 1611. fol. 40.* Tandem An. 1667. illud concessum est & Palanatui Ravensi. *Vid. Constit. An. dicti fol. 18.* Ad numerum Nunciorum qvod attinet, sciendum est, in Magno Ducatu Lithvaniæ ex singulis Districtibus, ubi judicia Terrestria exercentur, binos eligi Delegatos. *Vid.* Statut. Lithvan. *cap. 3. art. 6. & 7.* In Palatinatu Lublinensi antea duo mitti solebant, sed An. 1654. constitutum est, ut tres mitterentur, videlicet ex singulis Districtibus illius Palatinatus (Lublinensi, Vrzedoviensi & Lukoviensi) unus. *Vid. Const. d. an. fol. 15.* In Palatinatu Czernichoviensi ex Districtu Czernichoviensi duo, & ex Districtu Novogrodensi itidem duo Nuncii mitti debent, secundum *Constit. An. 1635. mens. Februar. & Mart. antemed. tit. Ordinacya.* De aliis Palatinatibus mihi certò non constat, de qvot ex singulis mitti debeant Nuncii; de hoc tamen non raro conqveruntur multi, qvod plures aliqvando mittantur, qvam per Leges & privilegia licet. In universum circiter trecentos Nuncios numerari, testatur Nicol. Chvvalkovvski *lib. I. Jur. Publ. Polon. cap. 7. num. 5. pag. 110.* Non possunt autem in Delegatos Provinciales eligi Senatores, qvamvis antea per abusum ex Castellanorum ordine non raro sint ad id muneris lecti, ut auctor

auctor est Christoph. Varsevicius *lib. I. de Optimo Statu Libertatis pag. 107.* Hoc tamen observatur, ut majoris auctoritatis gratiâ Nuncii eligantur ex iis, qvi in dignitatibus sunt constituti, nempe ex Magistratibus (non Senatorii Ordinis) Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, ut sunt Dapiferi Pincernæ, Gladiferi, Stabuli Præfecti &c. Regni, & Magni Duc. Lithvaniæ; & ex Magistratibus singulorum Districtuum, qvales sunt Succamerarii, Capitanei, Vexilliferi, Judices Terrestres aliiqve. Deinde caveri jubetur & hoc, ne in Nuncios eligantur, qvi in Comitiis litem vel aliud privatum habent negotium. *Constit. An. 1601. fol. 756. Conf. Cromer. lib. II Descript. Polon. pag. 201.* Excluduntur hinc porrò & Judices sive Assessores, sive, ut vulgò vocantur, Deputati Summorum Tribunalium. *Constit. An. 1616. fol. 3.* Præterea excluduntur etiam Exactores Contributionum, aliiqve, qvi publicos Reipubl. proventus administrant, nisi factâ plenariâ satisfactione thesauro, obtentâqve qvietantiâ à Thesaurario. Si qvoqve illi contra leges à suis Districtibus fuerint electi, non debent tamen in Comitiis admitti. *Const. An. 1631. fol. 34. An. 1633. fol. 20. An. 1661. inter Constit. Lithv. fol. 13.* Sed & hoc de Nunciis illis notandum est, qvod ipsis ad Comitia proficiscentibus certa salaria sint constituta, Senatoribus autem nulla. Cromer. *lib. II. Descript. Polon.*

Polon.pag.205. Statut. Lithvan. cap.3. art. 7. fol.55. Tandem notetur, morem illum Nuncios Terreſtres ad Comitia generalia mittendi Sec. XV. ſub Caſimiro Jagellonide cœpiſſe. Cùm enim finito tredecim annorum Bello in Pruſſia contra Cruciferos geſto, tributum ad exſolvenda ſtipendia à Nobilitate Minoris Poloniæ exigeretur, non abnuebat id qvidem Nobilitas, ſed ſine Majoribus Polonis illud ſciſcendum non putavit; qvare placuit è Palatinatibus ſive Satrapiis Legatos ad Comitia Petricovienſia mitti, qvi decernendi in commune cum cæteris moderati tributi poteſtatem haberent. Hoc poſtea ſic inolevit, ut ſine iis Legatis, ſive Nunciis Provincialibus nulla legitima Comitia haberentur, neqve tributum imperari, ac ne lex qvidem ulla fieri poſſe videretur. *Vid.* Cromer. *lib. XXVII. de Ort. & Reb. geſt. Polon. fol.779.* Neugeb. *lib. VI. Hiſt. Polon. in Caſimiro Jagellonide pag. 391. ſeq. & pag. 499.*

IX. Actis Comitiolis (qvæ ne ultra qvatriduum protrahantur, cavetur in Statuto Lithvanico *cap. 3. art. 6.*) anteqvam ad Comitia Regni univerſalia Senatores & Nuncii pergant, conveniunt adhuc tribus hebdomadis ante Comitia Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ generalia certis in locis, ad Comitiola ſingularium gentium generalia. Et qvidem Majoris Poloniæ Senatores cum Nunciis convenire jubentur COLI: In Minore Polonia CORCINI, qvæ & NOVA CIVITAS appellatur. *Conſtit. An. 1613. fol. 10.* In Magno Ducatu Lithvaniæ antea convenire jubebantur VOLKOWISCIÆ. *Vid. Conſtit. An. 1573. in Volum. Conſtit. fol. 255.* Poſtea verò SLOMINI. *Vid. Statut. Lithvan. cap. 3. art. 8. pag. 56. Conf. Conſtit. An. 1631. fol. 40.* In Maſovia VARSAVIÆ. *Conſtit. An. 1565. fol. 84.* In Pruſſia GRUDENTI & MARIÆBURGI alternatim. Ad Conventum Corcinenſem in Minori Polonia pertinent Cracovienſis, Sendomirienſis, Ruſſiæ, Podoliæ, Belzenſis & Lublinenſis Satrapiæ. Ad majoris Poloniæ Conventum generalem referuntur Poſnanienſis, Kaliſſienſis, Siradicenſis, Lancicienſis, Breſtenſis, Inovladislavienſis, Plocenſis & Ravenſis Palatinatus, cum Vielunenſi & Dobrinenſi Terris. *Vid.* Cromer. *lib. II. Deſcript. Polon. pag. 202.* Ad Conventum Maſoviæ generalem pertinent DiſtrictusMaſoviæ ſupra enumerati. Sic etiam An. 1673. Archiepiſcopus Gneſnenſis in literis ſuis univerſalibus ſub tempus Interregni miſſis Palatinatui Podlachiæ indixit Comitiola generalia ſimul cum Palatinatu Maſoviæ in urbe Varſavienſi celebranda; qvod non reperitur in aliis Archiepiſcoporum Gneſnenſium univerſalibus de An. 1632. & 1648. Aliqvando etiam Palatinatus Podlachiæ in ſuo Palatinatu ſibi elegit

elegit Comitiola generalia PostComitialia, ut ex Declarationibus Palatinatuum de An. 1635. apparet. Ad Conventus Prussicos pertinent tres Palatinatus, nempe Culmensis, Mariæburgensis & Pomeranicus cum suis Districtibus. In Palatinatu qvoqve Volhyniæ, secundum Privilegium Incorporationis An. 1569. datum, prius Conventus Particulares consvetis in locis agi, deinde verò Nuncii ex toto Palatinatu Volyniæ Vlodimiriæ convenire debebant. *Vid. Incorporatio Palatinatus Volhyniæ in Volum. Constit. fol. 160.* Sed hoc posteriorum temporum consvetudo abrogavit. Ad Comitiola itaqve illa generalia confluentes Senatores & Nuncii, Nobiles etiam, alii, qvicunqve voluerint, iterum mandata Regia audiunt, Instructiones qvoqve à Nobilitate sibi datas, & qvæ postulat usus Reipubl. inter se conferunt. *Vid.* Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 202.*

X. Sed de Prussiæ Regiæ Conventibus generalibus, in specie qvædam nobis notanda erunt. Cùm habenda sunt Comitia Regni generalia, mittuntur ad Culmensem, Mariæburgensem & Pomeraniæ Palatinos singulæ Universales Literæ, qvæ ipsos monent, ut more consveto Conventus Particulares destinatis in locis instituant, & hæ literæ Latino idiomate scribuntur. Simul etiam aliæ binæ literæ Polonico sermone scriptæ expediuntur ad

ad Varmiensem & Culmensem Episcopos. Actis particularibus Conventibus Episcopus Varmiensis, ut Præses Terrarum Prussiæ Statibus & Ordinibus (inter qvos etiam sunt tres Civitates majores, Thorunium, Elbinga & Gedanum) Conventum generalem vel Mariaburgi, vel secundum alternatam, Grudenti celebrandum indicit. Ubi Status ad locum Conventus generalis confluxerunt, audito sacro, Nobilitas Marschalcum sive Directorem Consessus sui eligit. Inde Nuncius Regius (ad qvem à Rege Literæ Polonico, Credentiales autem Latino idiomate scriptæ mittuntur) in plenum omnium Prussiæ Statuum consessum solenni cum pompa introducitur. Factâ nomine Regio propositione, Legatus eadem cum pompa domum reducitur, nec postea in Consessum Ordinum, nisi sub ipsum Conventûs finem, venit. Post discessum Nuncii Conventus Prussiæ dividitur in duo conclavia, nimirum in superius & inferius. Ad superius pertinent duo Episcopi, tres Palatini, tres Castellani, tres Succamerarii, & trium majorum Civitatum Delegati. Hîc ad caput mensæ assident duo Episcopi: Ex altera parte mensæ assident dicti illi Palatini, Castellani & Succamerarii; ex opposito verò locum habent ex singulis Civitatibus majoribus bini Delegati; & qvidem primo loco assident Thorunenses, deinde Elbingenses, & tandem Geda-

 nenses,

nenses. Ad conclave inferius dicuntur olim etiam pertinuiſſe Civitates minores, qvarum prima eſt Mariæburgum; unde in Actis publicis non raró duorum Statuum inferiorum mentio fit, ut mihi à viro qvodam rerum Prufficarum maximè gnaro relatum eſt. Controverſiam eâ de re agitatam vide apud Schuz. *lib. VIII. Chron. Pruſſ. fol. 358.* Hodie ſola Nobilitas in hoc conclavi votum habet. Diviſis ita Conclavibus, Nobilitatis Delegati Inſtructiones à Fratribus ſibi in Conventibus particularibus datas ordine punctatimqve prælegunt. Lecto uno puncto, ſi omnes in illud conſentiunt, acclamatur undiqve *zgoda* i.e. conſenſus eſt. Si qvidam contradicere volunt, petitâ prius à Marſchalco (ſolenni formulâ: *proſze o glos)* dicendi facultate, rationes ſuas proferunt. Tunc Marſchalcus, vel alii ingenio dexterrimi, non tamen niſi impetratâ à Marſchalco dicendi poteſtate, nituntur contradicentes ad concordiam reducere. Si contrariam ſententiam defendentes meliora ſvadentibus cedunt, ſcribit Marſchalcus illos articulos ſeparatim, in qvos omnes conſenſerunt: controverſos autem in peculiari charta conſignatos *do gory* i.e. ad ſuperius Conclave reſervat. Collatis eo modo in inferiore conclavi omnium Palatinatuum & Diſtrictuum Inſtructionibus, conjunguntur iterum duo illa conclavia. Ibi Mar-

Marſchalcus conſidet ad menſam Senatoriam, aliiqve juxta ipſum Nuncii, ſi ſpacium ſupereſt, reliqvi in appoſitis ſubſelliis conſident. Hic iterum puncta illa controverſa eousqve diſceptantur, donec in certos articulos omnes Ordines conſentiant. Laudum commune conſcribit Secretarius Thorunienſis latinè (qvo etiam idiomate Delegati Civitatum ſua deſideria in Conclavi ſuperiori, anteqvam duo illa Conclavia conjungantur, proponunt.) illudqve laudum publicè prælegit, ubi iterum qvædam adduntur, detrahuntur, mutantur, prout Ordinibus placet, donec tandem id omnium votis reſpondeat. Et hoc laudum datur Nunciis ad Comitia Regni univerſalia euntibus. Sed ad Comitia Regni generalia Succamerarii & Civitatum Delegati non eunt, adhuc ſibi jus Conſiliorum in Pruſſia & non alibi habendorum aſſerentes. Conſtat enim olim Pruſſos, cum ſe Caſimiro Regi Sec. XV. ſubjeciſſent, noluiſſe de Republica ſua in publicis Regni Comitiis conſultari, idcircò continuis precibus Regem fatigaſſe, ut de ſalute Pruſſiæ conſultaturus in Pruſſiam veniret, ibiqve ſecum conſilia conferret. Tandem tamen Epiſcopi, Palatini, Caſtellani, & Nobilitatis Delegati eò fuerunt adducti, ut Comitia Regni Poloniæ generalia freqventarent. Sed de his alibi egimus. *Vid. Privilegium Incorporationis An. 1454. datum.*

XI. Ex dictis jam liqvidò patet, qvam solicitè Nobilitas res suas agat, anteqvam ad Comitia generalia confluat. Non sufficit enim ipsi uno in loco de negotiis ad publicam Reipubl. salutem facientibus deliberare, sed ad minimum duobus in locis de iisdem agit. In qvibusdam etiam Districtibus tribus in locis Nobilitas convenire solet. Sic enim Osvviecimensis & Zatoriensis Ducatus agunt prius Comitiola particularia in oppido Zator. Deinde Nuncius ex his Ducatibus pergit ad Comitia Palatinatus Cracoviensis generalia (qvæ Conventus Zatoriensis tribus antea diebus antecedebat, *per Constit. An. 1581. fol. 375. & An. 1616. fol. 20.* Nunc verò octo diebus antecedere debet, *ut vult Constit. de An. 1635. post med. tit. O Seymiku Zatorskim.*) Et tandem tertio idem Nuncius Zatoriensis pergit cum aliorum Palatinatuum Nunciis ad Comitia Minoris Poloniæ generalia, qvæ Corcini celebrari diximus. Hoc tamen observari meretur, qvod Rex ad Conventum particularem Zatoriensem non mittat Nuncium, sed Capitaneum tantum Osvviecimensem instruat literis, de qvibus rebus Nobilitas ibidem consultare debeat. *Constit. An. 1581. fol. 375.* Similiter Terra Haliciensis primo Comitiola particularia Haliciæ agit: inde post octiduum elapsum mittit Nuncios suos Visnam ad Conventum Palatinatus Russiæ generalem

Constit. An. 1563. fol. 46. An. 1581. fol. 376. An. 1635. post med. tit. O Seymiku Wisnienskim. Tandem mittit Legatos suos CORCINUM ad Conventum generalem Poloniæ minoris. Ad Minorem enim Poloniam hoc in casu pertinere Palatinum Russiæ, jam supra ex Cromero docuimus. Sed jam ad ipsa Comitia properemus.

XII. Cùm ad locum Comitiorum Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ generalium confluunt Ordines, nempe Rex, Senatores, Nuncii Terrestres (inter qvos & Nuncii Cracoviensis & Vilnensis Civitatum.) Marschalcus Regni supremus, vel in ejus absentia Marschalcus Curiæ Regni, ut Oeconomus Regni, cuncta disponit, precia rerum venalium constituit, hospitia Legatis exterorum Principum aliisqve distribuit, jus qvoqve dicit tempore Comitiorum omnibus exteris aliisqve. *Vid. Cromer. lib. II. Descript. Polon. pag. 144.* Krzystanovvicz. *& alii.* Si verò Comitia in magno Ducatu Lithvaniæ celebrantur, incumbunt hæc munia Marschalco Magni Ducatus Lithvaniæ supremo, & in ejus absentia, Marschalco Curiæ Magni Ducatus Lithvaniæ. Præfinito Comitiis generalibus die, à sacris fit initium. Re sacra solenni more peracta & concione audita secedunt Senatores in Senatorium ibiqve Regem salutant: Nuncii verò Terrestres in sacrarium libertatis suæ, sive

in conclave Nunciorum (Polonis *Izba Posélska* vocatur) se conferunt. Hic qvi fuit in proximè præcedentibus Comitiis Marschalcus sive Director Collegii Nunciorum Terrestrium interea omnia dirigit, donec novus Marschalcus à Nunciis eligatur. Si verò prior ille Marschalcus aut mortuus, aut in ordinem Senatorium interea cooptatus fuerit, solet alius qvispiam Marschalcus ad interim eligi, donec novus ex ea gente, qvam tangit Ordo, eligatur Collegii Nunciorum Director. Exemplum hujus rei habemus anno currente, nimirum 1677. Cùm enim Illustriss. Nicolaus Hieronymus à Granovv Sieniavvski Comes in Szklovv & Mysz Director Nunciorum in Comitiis An. 1676. celebratis, ad Senatoriam dignitatem evectus, creatusqve esset Marschalcus Curiæ Regni, non intravit hoc anno 1677. Conclave Nunciorum, sed electus est alius Marschalcus ad tempus, donec munus hoc tandem ad Illustr. Vladislaum Michaëlem Skoroszevvski Vexilliferum Palatinatus Posnaniensis, deferretur. Prima itaqve Nunciorum cura est circa Electionem novi Marschalci. Hoc verò notandum est, Marschalcum Nunciorum non semper ex una gente eligi, sed per Nationes alternatim. Primò enim ex Minori, secundò ex Majori Polonia, & tertiò tandem ex Magno Ducatu Lithvaniæ Marschalcus eligitur. Marschalco pluribus calculis electo baculum, insigne officii, solenniter tradit prior Marschalcus, ipsiqve deinde gratiæ aguntur pro fideliter in præcedentibus Comitiis administrato munere. Aut etiam si malè idipsum administrasse putatur, ratio ab ipso exigitur officii malè gesti. A Marschalco recens electo in Comitiis antea nullum exigebatur jusjurandum, qvo fidem suam obstringeret Reipubl. Tentatum id qvidem est An. 1666. mense Martio, non tamen obtentum. *Vid. Diar. Europ. Continuat. XIV. pag. 68.* Postea qvoqve An. 1667. multæ fuerunt in Comitiis non solum de Marschalci, sed & de Nunciorum Terrestrium jurejurando controversiæ, *qvas vide in Diar. Europ. ad dict. An. Continuat. XVI. pag. 3. fin.* In Interregno post spontaneam Serenissimi Joannis Casimiri Regis Poloniæ cessionem omnes Senatores & Nuncii juramento se Reipubl. obstrinxerunt; tandem & Marschalcus Ordinis Eqvestris juravit, *qvod à nemine nisi ab eqvestri rotâ dependere; cum nemine Competitorum sive Candidatorum Regni sive per se sive per subordinatas personas consilia conferre; Consilia aliorum Reipubl. noxia Ordinibus manifestare velit. Item qvod munera eo nomine neqve à Civibus neqve ab externis acceperit, neqve impostérum sit accepturus, neqve promissis eorum inductus, eos ad Regnum promoturus: porrò qvod instrumentum authen-*

 ticum

ticum liberæ Electionis nemini sit subscripturus sine consensu totius Rotæ Eqvestris. Hoc jusjurandum Polonicis verbis conceptum reperitur *in Actis Electionis Regis Michaëlis.* In Interregno post obitum Regis Michaëlis hæc formula Latino sermone fuit Marschalco Rotæ Eqvestris præscripta: *Ego N. juro Deo omnipotenti, qvia in Officio moderno Marschalcatus fidelis ero, nec instrumentum Electionis futuræ extradam, nisi ex legitimo consensu omnium & singulorum electo. Ita me Deus adjuvet & sancta crux Christi.* Vid. Acta Electionis Sereniss. Joannis III. Sed hæc ad Comitia alia non debebant trahi. Qvare in Comitiis de Ann. 1670. 1673. 1676. nullum à Marschalco Nunciorum fuit præstitum jusjurandum; Verum in Comitiis An. 1677. mense Januario & Februario habitis, post multas Controversias hac de re agitatas, tandem certis legibus circumscriptum est officium Marschalci Nunciorum Terrestrium, *ut habetur in Diario Comitiorum.* Leges ipsas forsan sub calcem opusculi hujus dabimus, si interea Constitutiones ipsæ typis exscriptæ ad manus nostras devenerint.

XIII. Electo in Collegio Nunciorum Marschalco, mittuntur aliqvi, qvi Regem ea de re certiorem faciant. Tunc, constituto à Rege tempore, Nuncii per Marschalcum Regni in Senatum introducuntur, ubi Regem Marschalcus Nobilitatis, sive Nunciorum Terrestrium Director, solenni oratione salutat. Respondet ei nomine Regis Cancellarius, vel Pro-Cancellarius. Posthæc admittitur Marschalcus ad osculum Regiæ manus, & post ipsum singuli Nuncii à Marschalco suo ex schedula vocati. *Vid. Diar. Europ. Continuat. XX. pag. 79. & Continuat. XI. pag. 400.* Salutato sic à Nunciis Terrestribus Rege, Consiliariis in Corona considentibus, adstantibusqve ponè Secretariis & Nunciis jam memoratis, puncta futuræ Deliberationis nomine Regis proponuntur. Et qvidem in rebus, qvæ ad Regnum pertinent, Cancellarius Regni, vel in ejus absentia Procancellarius Regni; in rebus verò qvæ ad Lithvaniam pertinent, Cancellarius Magni Ducatus Lithvaniæ, vel, si abest, Procancellarius Magni Ducatus Lithvaniæ in medium proponit, qvibus de rebus Ordines, præsentibus in Comitiis agere debeant. *Vid. Constitut. de An. 1673. & Diarium Comitiorum de An. 1677.* Posthæc jusjurandum Regium, ut & Pacta Conventa summariter collecta prælegunter, *ut volunt Pacta Conventa Sereniss. Regum Michaëlis & Joannis III. §. Przysiega nasza.* Qvamvis hæc solennitas in Comitiis extraordinariis duarum vel trium hebdomadarum soleat omitti, ut testatur Diarium Comitiorum de An. 1677. Cùm enim Ordines Comitia ultra duas hebdomadas non extendere

dere sibi proposuissent, omissa est ab initio Pactorum Conventorum lectio ob temporis defectum: Sed postea, prorogatis præter opinionem ultra tempus constitutum Comitiis, lecta qvoqve sunt postmodum Pacta Conventa. His peractis Senatores in præsentia Nunciorum Terrestrium vota sua expediunt, ex Constit. Stephani Regis An. 1578. *apud Januszov. lib. I. Constit. Part. 3. tit. 7. fol. 119.* In Comitiis Anno 1607. celebratis post Propositionem, cùm de Regia causa vota essent dicenda, Rex è Senatu discessit, ne sua præsentia Senatores à sententia liberè dicenda deterrerentur, teste Stanislao Lubienski *lib. III. de motu Civili fol. 115.* Primò hic loco sententias dicunt Archiepiscopi & Episcopi, deinde Palatini, post hos Castellani, & tandem Senatorii Ordinis Magistratus, nimirum Marschalci, Cancellarii, Thesaurarii & Marschalci curiæ. His omnibus, qvæ hactenus diximus, multi sæpius conteruntur dies, præsertim qvando inter Nuncios Terrestres magno animorum motu disceptatur, cuinam moderandi dirigendiqve sui Collegii partes debeant deferri. *Vid.* Illustriss. atqve Reverendiss. Stanisl. Lubienski Episc. Plocens. *in Profectione Sigismundi III. in Sveciam fol. 4. Operum.*

XIV. Sed & his ita peractis, anteqvam ad Consilia accedant Nuncii, urgent prius per Marschalcum suum, ut Rex Dignitates vacantes

tes aliis benè de Republ. meritis conferat. Sic enim Constitutiones Regni disponunt, ut Rex Dignitates & Officia post fata Officialium intra sex hebdomadas (antea fieri hoc solebat intra dimidii anni decursum) aliis Nobilibus benemeritis, possessionatis, & qvidem in eo Palatinatu, in qvo officio suo fungi debent, Bona Terrestria possidentibus, conferat. Si qvæ autem Vacantiæ paulò ante Comitia inciderint, eas ad instantiam Nunciorum, ut statim in principio Comitiorum Rex aliis distribuat, volunt Constitutiones *de An. 1567. fol. 280. & An. 1588. fol. 468. Conf. & Pacta Conventa Regum.* Sic etiam si Bona Terrestria jure Caducitatis, jure donato, inscripto, seu alio qvocunqve modo ad Fiscum Regium justè & legitimè fuerint devoluta, intra dimidii anni decursum ea Rex aliis Nobilibus confert: Si verò paulò ante Comitia Fisco Regio accidant, statim sub initium Comitiorum hoc fieri debet, dummodo beneficiarii illi sint Nobiles Poloni vel Lithvani, vel ex Provinciis Regno Polonico annexis, aliàs exteris ea conferre leges prohibent. Cæterum Bona Civium in urbibus ad Fiscum devoluta Rex etiam ignobilibus potest donare. *Vid. Constitut. citatas.* Renunciatio Dignitariorum & Officialium in Comitiis fit per Cancellarios. *Vid. Pacta Conventa Joannis III. §. Wacantie.* Exemplum unicum, ex qvo ritus etiam in hoc actu

actu observari solitos cognoscere possumus, apponere libet ex Piasecio: Sigismundus III. Rex Sigismundo Myszkovvski contulerat dignitatem Marschalci, obnitente Petro Tylicki minore Cancellario, *qvi vocatus à Rege ad tradendum illud officium (ut ejus fuit muneris) valetudine infirmâ se excusavit; iterum tamen monitus, qvod si non veniret, ipsemet Rex functionem renunciandi Marschalci obire vellet, vel invitus adfuit, ac multa præfatus in laudem Myszkoviorum, nomine Regis baculum insigne illius Magistratus ipsi tradidit.* Hæc Piasec. *in Chron. ad An. 1603. init.* Qvando Cancellarius in Comitiis renunciandus est, tunc Marschalcus supremus præmissâ pro more solenni oratione, eundem renunciare solet. Factâ renunciatione Rex ipse Cancellario recens renunciato sigillum tradit. Similiter si ViceCancellarius in Cancellarium supremum promovendus est, prius solenniter sigillum minus Regi tradit, gratiasqve pro eodem munere sibi antea commisso agit: postea renunciatur Cancellarius supremus, accipitqve sigillum majus. *Vid. Diar. Europ. Continuat. XV. pag. 429.* Præterea urgent qvoqve Nuncii statim in principio Comitiorum, ut ratio Senatus-Consultorum inter Comitia prætérita & præsentia latorum, à Senatoribus lateri Regio ex lege adhærentibus, aliisqve in aulam confluentibus Reipublicæ reddatur. *Vid. Constit. An. 1641. fol. 3. seq. & An. 1662. fol. 2. seq. ubi & aliæ Constitutiones, nempe An. 1576. 1588. 1607. hac de re latæ citantur.*

XV. His omnibus expeditis Nuncii Terrestres in suum Conclave se recipiunt, vel de Propositione Regia, vel aliis etiam de rebus à Fratribus i. e. à cætera Nobilitate, sibi domi in Comitiolis commissis deliberaturi. Auctoritas & potestas horum Nunciorum non exigua est. Nam cùm ex suo Ordine ex Conclavi Delegatorum Provincialium ad Regem in Senatum mittunt, etiamsi Rex aliis rebus sit occupatus, admittit tamen eos, dando vel statim declarationem, vel annectendo, se cum Senatoribus, re prius examinatâ mentem suam aperturum Chvvalkovvski *lib. I. cap. 7. num. 12. pag. 116.* Sæpè etiam qvidam ex Senatu ad Nuncios in conclavi suo deliberantes mittuntur, ut Regis & Senatus nomine ipsis aliqvid proponant, aut discordantes ipsorum sententias concilient, aut etiam ut aliqvem ex Senatu accusent, mutuamqve Nunciorum operam adversus ipsum postulent. Er tum Nuncios titulo hoc dignantur: *Mosci Panowie Bracia.* i. e. gratiosi Domini Fratres. Qvi titulus cùm esset An. 1667. omissus, qværelæ indè maximæ ortæ sunt. *Vid. Diar. Europ. Continuat. 16. pag. 217.* Possunt iidem Magistratus reos agere malè administrati officii, ut Thesaurariũ ratione Qvartæ, exactionisqve

Con-

Contributionum. *Constit. 1562. fol. 22. An. 1567. fol. 129.* Idem facere possunt contra alios Magistratus, qvi officium suum negligenter administrant. *Constit. 1562. fol. 21. An. 1565. fol. 84. An. 1607. fol. 832.* Conf. Janusz. *lib. III. Part. 5. tit. 1. fol. 301. & 305. & lib. IV. Part. 1. tit. 5. fol. 310.* Qvid, qvod ipsi etiam Regi in memoriam revocare possunt, qvod promiserit se Leges & Privilegia observaturum. *Constit. An. 1609. tit. Declaracya Artikulu. fol. 886. seq.* Porrò auctoritas & potestas Nunciorum horum elucet etiam ex eo, qvod nulla Constitutio valeat, qvæ non è conclavi Nunciorum originem suam traxit. Marschalcus enim Nunciorum Leges & Constitutiones à Nunciis approbatas primò delineat, easqve deinde, ut postea memorabitur, in Senatu prælegit. Eam ob causam An. 1668. Constitutionem qvandam de exterorum Principum Legatis nolebat acceptare Marschalcus Ordinis Eqvestris, eò qvod à Senatu fuit condita. *Vid. Diarium Europ. Continuat. 18. pag. 179.* Et qvod majorem admirationem meretur, vel uno Nunciorum in re aliqva dissentiente, nihil in Comitiis de jure concludi potest. Nam etsi nullibi locorum, in Polonia tamen una hirundo facit ver. Hinc unico Nunciorum cum protestatione abeunte, Comitia aliqvando legimus esse dissoluta. Memorabile exemplum contigit An. 1672. Cùm

Cùm enim tunc unus Nunciorum cum protestatione discessisset, svaserunt post ipsius discessum non pauci, ut Comitia nihilominus continuarentur, qvoniam Protestatio non fluxerat ex ipsius Instructione: Alii verò contra obtendebant, contradictionem liberam esse pupillam libertatis Polonicæ, qvâ semel læsâ, de tota libertate actum esse. Et hæc posterior sententia prævaluit, solutaqve sunt Comitia. Ad auctoritatem & securitatem Nunciis conciliandam pertinet illud qvoqve, qvod Sigismundus I. Anno 1510. constituit, ut etiam violatores Consiliariorum, item Nunciorum Terrestrium tanqvam criminis læsæ Majestatis rei judicarentur. Qvamvis verò idem Rex postea, videlicet An. 1539. ad solam Regis personam crimen hoc restrinxerit, ut est apud Januszov. *lib. I. Part. 1. tit. 8. fol. 23.* Renovâsse tamen qvodammodo eam legem videtur Joannes Casimirus *An. 1649. in Constit. tit. O sadach Poslow. fol. 6.* Nuncius ipse in Comitiis delinqvens habet forum in Consessu Nunciorum; si verò abierit, in solito & competenti judicio Terrestri. *Const. An. 1649. mense Octobr. fol. 6. seq.* Incipit verò hæc Nunciorum securitas qvatuor hebdomadas ante Comitia, & extendit se ad qvatuor hebdomadas post Comitia, *ut in Constit. An. 1667. fol. 6. habetur.* Qvo tempore autem in judiciis comparere ipsos oporteat, postea dicetur.

XV. Oc-

XV. Occurrunt etiam alia in Conclavi Nunciorum expedienda, de qvibus maximam partem supra egimus, cùm de Comitiis Electionis nobis esset sermo. Illud hic observationem meretur, qvod non semper Nuncii in pleno consessu, sive in præsentia omnium Nunciorum Terrestrium omnia negotia tractent, sed qvod aliqvando Marschalcus Nunciorum qvosdam ex toto Collegio designet, qvi secretius Consilium constituant, sibiqve commissa expediant. Aliqvando tamen illi, si negotium sit magni momenti, totam rem ad Collegium Nunciorum tandem devolvere jubentur, *ut testari potest Diarium Comitiorum de Anno 1677.* Commorantur verò Nuncii in Conclavi suo usqve ad ultimam Comitiorum hebdomadam. Qvintô namqve ante conclusionem Comitiorum die Nuncii Terrestres Senatum adire, & sic Comitia ad Patres transferre jubentur, *in Constitut. de An. 1633. fol. 12.* Interea si intra illud tempus in Conclavi Nunciorum omnia non possunt expediri, petunt à Rege, ut Comitia prorogentur. Qvando etiam elapso illo tempore totum Collegium Nunciorum Regem adit, solet prius præcavere, ut sibi in Conclave suum regredi liceat.

XVI. Interea dum Nuncii Terrestres in Conclavi suo de Reipubl. Bono deliberant, Rex interea cum Senatu non otiosè tempus transmittit, sed in certis etiam negotiis expediendis occupatur. Statim enim post Propositionem Comitiorum per Cancellarios factam, expedita Senatorum vota, & post Nunciorum in suum Conclave discessum, dijudicat cum Senatoribus Actiones Criminales per totam hebdomadam. Finitâ qvoqve hâc hebdomadâ certis diebus certæ sunt destinatæ causæ, qvibus disputari & decidi debeant, & hoc eousqve durat, donec Nuncii Terrestres Senatum iterum ingrediantur, & Comitia ad Senatum transferant. De Judiciis illis non est, ut hic multis agamus, cùm infra commodiùs de illis agi posse videatur. Videantur interea Constitutiones *de An. 1641. fol. 8. & seq.*

XVII. Sub finem Comitiorum, qvando Conclavia conjungenda sunt, tunc Marschalcus Nunciorum Senatum ingressurus solenni oratione prius agit gratias Nunciis pro sibi commisso munere, præstitoqve in Conclavi Nunciorum favore: Respondet ei aliqvis ex Collegio Nunciorum, gratiasqve ipsi vicissim agit pro fideliter administrato munere. Postea omnes eunt in Senatum, in Conclave suum amplius non reversuri. Hic Marschalco Nunciorum inter Marschalcos Senatorios humiliori subsellio considente, præsentibusqve Nunciis, de Negotiis Reipubl. iterum Ordines conjunctim agunt. Nemo hic, ut & aliàs,

 sen-

sententiam suam extra ordinem proloqvitur, nisi petitâ prius à Marschalco supremo dicendi facultate, idqve usitatâ formulâ: *prosze o glos.* Marschalcus supremus, sive qvicunqve alius Officialium in Marschalci absentia, vota distribuens, nemini honoris titulum apponit, nisi soli Archiepiscopo Gnesnensi, hoc modo: *Jego Mośc Xiadz Arcibiskup ma glos.* Aliis dicendi facultatem tribuens omittit illud: *Jego mośc.* Rex verò in Consultationibus suspendit suam sententiam, donec inter Senatores & Nuncios majoremve eorum partem conveniat. Tunc annititur discrepantes sententias conciliare, vel si conciliari non possunt, pro ea parte concludit, qvæ juribus & Privilegiis Regni est conformior. Id enim se observaturos promiserunt Henricus & Stephanus Reges apud Januszov. *lib. III. Part. I. tit. 3. Conf. & Piasec. in Chron. fol. 5.* Hæc Consilia, ut jam num. XV. diximus, ultra qvintum post conjunctionem Conclavium diem prorogari legibus prohibentur; vix tamen hoc observari potest ob multitudinem negotiorum. Igitur non raro tempus Comitiorum prolongatur, ut vel Comitia hujus Anni, nempe 1677. testari possunt,

XVIII. De Constitutionibus Regni & Magni Dncatus Lithvaniæ licet jam supra cap. II. num. 5. qvædam dicta sint, qvomodo illæ in Comitiis conscribantur; hîc tamen fusius ea materia nobis erit tractanda. Constitutiones omnes, ut jam supra monuimus, Conclavi Nunciorum sua debent incunabula. Ibi enim leges, in qvas Nuncii consensere, Marschalcus Nunciorum primò delineat. Deinde in pleno omnium ordinum consessu easdem prælegit, ut & à Rege totoqve Senatu approbentur. Qvæ igitur hîc concors omnium sententia decernit, ea deinde in Volumen Constitutionum relata vim Legum habent. Ne autem hic aliqvis contingat error, varias cautiones adhibent Ordines. Videlicet eliguntur duo, vel tres ex Senatu, ita ut ex singulis gentibus (Minori, majoriqve Polonia, ut & Magno Ducatu Lithvaniæ) sint singuli Senatores; adduntur his ex singulis gentibus bini Nuncii, ita ut numerus eorum sit senarius, qvi omnes cum Marschalco Nunciorum Terrestrium Constitutiones conscriptas revideant, & nomina sua iisdem subscribant. Ad Constitutiones de An. 1676. designati fuerunt ex Nunciis Terrestribus duodecim, nempe ex singulis gentibus qvaterni. In Comitiis qvoqve de An. 1677. hâc de re agitata est controversia inter Nuncios Eqvestres. Si qva dabitur hîc constitutio, eam sub calcem hujus Libelli adjiciemus. Subscriptæ dicto modo à Marschalco Nunciorum, ut & Deputatis illis, ut vocantur, tàm Senatorii qvàm Eqvestris Ordinis, Constitutiones, in præsentia omnium

Ordinum à Marſchalco Nunciorum Terreſtrium præleguntur, cum interrogatione per Cancellarios, utrum Rex, Senatores & Nuncii Terreſtres easdem ſigillo jubeant muniri. *Vid. Conſtit. An. 1588. fol. 457. & An. 1613. fol. 7.* In Comitiis de An. 1677. voluerunt Nuncii, ut inter Conſtitutiones publicè à Marſchalco Nunciorum prælegerentur. *Diar. Comitiorum dicti anni ad d. 25. Januarii.* Proximo poſt concluſionem Comitiorum die Marſchalcus Nunciorum Conſtitutiones dictas ad Acta Caſtrenſia Varſavienſis diſtrictus referri curat. *Conſtit. An. 1613. fol. 3.* Si verò officium Caſtrenſe vacat, tùm ut in Metricam Regni referantur, jubet Conſtitutio *de An. 1661. fol. 15.* Tandem ſumptibus Theſauri, curante aliqvo Secretariorum, typis mandantur, impreſſæqve ſub ſigillo Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ ad Comitiola Relationum, ut & Officia Palatinatuum & Terrarum transmittuntur. *Conſt. An. 1661.* apud Nicol. Chvvalkovvski *lib. I. cap. 1. num. 3.* Qvodſi verò Comitia ab aliqvo rumpuntur, ita ſine fructu diſſolvantur, tunc nullæ Conſtitutiones typis mandari poſſunt. Qvapropter Anno 1665. menſe Martio exigebant Nuncii Terreſtres à ſuo Marſchalco, ut rationem redderet, cur permiſerit Pacta & Decreta ſcribi diſſolutis Comitiis. *Vid. Diar. Europ. Continuat. XI. pag. 401.* De Decretis Comitialibus qvoqve An. 1667. ejus-

ejusmodi lex lata eſt, ut ſtatim poſt promulgationem eorum per Referendarios à latere Regio in facie Reipublicæ, Officium Terreſtre omnia Decreta ad Protocollum referat, nil addendo, nilqve detrahendo; poſtea ut iidem Referendarii ipſa ſubſcribant. Decreta verò in cauſis Fiſci Notarius Decretorum conſignet. *Vid. Conſtit. An. 1667. fol. 13. ubi etiam Conſtitutio An. 1641. ea de re lata renovatur.*

XIX. Comitiis ritè peractis Ordines à Rege dimittuntur. Tunc Nuncii ſimulac revertuntur è Comitiis Regni generalibus, indicant adventum ſuum Capitaneis cum Jurisdictione. In Magno Ducatu Lithvaniæ indicare hoc jubentur Palatinis (in Palatinatibus) vel Capitaneatibus cum Jurisdictione (in Diſtrictibus, qvi Palatinatibus adnexi ſunt) Palatini verò vel Caſtellani, vel eorum locum tenentes, nempe Vicepalatini vel Vicecapitanei, indicant per miniſteriales adventum Nunciorum Nobilitati, in iisdem locis, prout antea factum eſt, invitantqve ſimul Nobilitatem ad Conventum PoſtComitialem, ſive ad Comitia Relationum. Solet autem tempus Conventuum PoſtComitialium ſemper in Conſtitutionibus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, ſingulis Palatinatibus & Terris præfiniri, ut ex Declarationibus Palatinatuum ſingulis ferè Conſtitutionibus annexis cognoſcimus. Pruſſi, qvoniam non in Comiti-

mitiis Contributiones suas sciscunt, sed jus ad fratres ea de re referendi habent, propterea denuò Comitiola particularia in singulis Districtibus habent, & postea demum ad Conventum PostComitialem Prussiæ Generalem, qvi secundum alternatam Grudenti vel Mariæburgi habetur, progrediuntur, ut ita omnium Fratrum suorum consensu Contributiones dictas sciscere qveant. Indicit autem Rex tempus Conventuum horum Generalium, vel statim in Declarationibus Palatinatuum citatis, vel etiam peculiaribus literis, ut dictas illas Declarationes inspicienti manifestum est. In his Comitiolis Relationum proponunt Nuncii Constitutiones Comitiorum sub sigillo sibi à Cancellariis traditas, librisqve tàm Terrestribus qvàm Castrensibus ad perpetuam rei memoriam eas inferi curant. Reddunt etiam Nuncii rationem administrati hactenus muneris. Tandem etiam Exactores Contributionum in Comitiis Regni generalibus decretorum eligit Nobilitas. *Vid. Constit. An. 1589. fol. 518. & An. 1591. fol. 617. An. 1635. tit. O Relacyinych.* Conf. & Statutum Lithvanicum *cap. 3. art. 9.* Et hæc de jure tractantur in Comitiis Relationum. Sed conqveruntur etiam aliqvando Ordines de perverso illo more, qvod Nobilitas in Comitiolis Relationum aliqvando Constitutiones Comitiorum retractet. *Vid. Diarium Comitiorum de An. 1677. inter Vota Senatorum.* Qvamvis Prussici Palatinatus, qvoniam peculiaria habent jura & Privilegia, in his sibi plus tribuant, qvàm alii Palatinatus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ. Comitiolis Relationum peractis, oportet Senatores & Nuncios Terrestres in Judiciis, si causam aliqvam in iis habent, parte instante post duas hebdomadas respondere. Nam aliàs constitutum est, ut actus omnes Juridici in qvibuscunqve subselliis contra Senatores & Nuncios illos à prima die Conventuum AnteComitialium usqve ad duas hebdomadas post Comitiola Relationum formati & Decreta lata sint nulla. *Vid. Constit. An. 1653. fol. 14. An. 1659. fol. 5. seq. & An. 1661. fol. 29. An. 1667. fol. 13.*

XX. Hactenus docuimus, qvomodo secundum Leges & Constitutiones Comitia in Regno Poloniæ celebrari debeant. Sed qvando Comitia sine fructu dissolvuntur, tunc haberi solent Consilia PostComitialia, in qvibus Rex cum Senatoribus inter alia tempus aliorum Comitiorum, si hoc necessitas postulat, determinare solet. Non debet autem hoc nobis mirum videri, qvod Comitia aliqvando sine fructu dissolvantur, cùm hoc in tanta Nunciorum Terrestrium multitudine, tantâqve populi Poloni libertate evitari vix possit. In turbas & tumultus Comitiorum Regni generalium, ut & in ipsos Nuncios Ter-

restres, acerbius, qvam civem decet, invehitur Christophorus Varsevicius *in lib. I. de Opt. Statu Libertatis.* idqve sub persona Joannis Ociessii Regni Poloniæ Cancellarii supremi, qvem ibidem introducit loqventem. Sed ea hic recensere nolo, ne, licet sint aliena, recensendo tamen mea facere videar. Alii hic argutias qvæsiverunt, satisqve falsè turbas illas notarunt. Sic Joannes Franciscus Commendonus Cardinalis & Pontificis Romani ad Ordines Poloniæ post obitum Sigismundi Augusti Legatus acutè dixisse fertur: *Poloniam laborare morbo Comitiali,* teste Povodovio in Panegyrico ad Stephanum Regem & Senatum Comitiorum tempore ipso die S. Stephani habito. In eodem Panegyrico Povodovius applicat illa verba Evangelistæ ad Regem & qvosdam Polonos: STEPHANUS *plenus gratiâ & fortitudine faciebat signa & prodigia magna in populo; Surrexerunt autem qvidam de Synagoga, qva appellatur* LIBERTINORUM, *& disputabant cum Stephano.* Ominantur etiam non pauci multa mala inde oritura, qvæ Deus clementer avertat.

XXI. Et hæc de Comitiis communibusqve omnium Ordinum Consiliis dicta sunto. Verum qvoniam illa Comitia qvovis tantum biennio præterlapso ordinariè celebrantur, Regi verò præsenti semper Consilio sit opus, constituerunt Poloni perpetuum qvoddam Con-

Consilium ex aliqvot Senatoribus Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ constans. Sumpsit hæc res initium tempore Casimiri Jagellonidis, cui qvatuor adjuncti fuere Senatores à Republica, ne omnia ex Lithvanorum suorum sententia ageret. *Vid.* Neugebaur. *lib. VI. Hist. Polon. pag. 333.* Postea in Electione Henrici I. constitutus est SEDECIMVIRATUS Senatorius, Regio lateri pro Consilio adfuturus, consiliorumqve rationem Reipublicæ redditurus. *Vid.* Fredro *in Hist. Henr. pag. 65.* Hoc verò ita intelligendum est: Singulis bienniis, qvando Comitia celebrabantur, simul etiam 16. Senatores designabantur, inter qvos erant 4. Episcopi sese ordine subseqventes, deinde 4. Palatini sese subseqventes, & tandem 8. Castellani. Ex his sedecim Viris, qvatuor (nempe unus Episcopus, unus Palatinus & duo Castellani) cum Rege commorabantur per dimidium annum. His ex aula discedentibus, alii qvator in semestre subseqvens succedebant, & sic conseqventer, donec in seqventibus Comitiis alii 16. designarentur. Sed postea licet ratione Episcoporum nihil fuerit mutatum; Senatores tamen Seculares singulis qvadrantibus anni mutari cœperunt. Initium hujus rei factum est An. 1641. ut ex Constitutionibus dicti anni appareret, *qva videantur fol. 3. seq. & in ipso fine.* Designantur itaqve hodie singulis in Comitiis

ordinariis 28. Senatores, inter qvos 4. sunt Episcopi sese ordine subseqventes, ita ut nec Archiepiscopi excipiantur, qvando ipsos ordo tangit; deinde 8. Palatini sese subseqventes, in qvorum numero sunt & Cracoviensis, Vilnensis, & Trocensis Castellani, ut & Capitaneus Samogitiæ, qvando ipsos ad residentiam hanc ordo vocat. Porrò sunt 8. Castellani Majores ordine se subseqventes. Et tandem 8. Castellani minores se subseqventes. Ex his per primum anni qvadrantem commorantur in Aula Regis, unus Episcopus vel Archiepiscopus, unus Palatinus, unus Castellanus Major, & unus Castellanus minor. Per secundum qvadrantem anni non mutatur Episcopus vel Archiepiscopus, sed ipsi tantum alii tres Seculares adduntur. Sicqve Senatores mutantur, donec biennio præterlapso, in Comitiis ordinariis alii 28. eligantur. Eximuntur tamen hinc, qvi vel Reipublicæ causa absunt, vel senio confecti rebus gerendis minus jam sunt apti, vel etiam qvibus aliqvod aliud legale intercedit impedimentum; excusari tamen hi debent in ipsa nominatione, ut alii ipsis substituantur; aliàs sublato illo impedimento, vel etiam si ex morbo illo convalescant, officio suo & postea ipsos satisfacere oportet. *Vid. Constit. An. 1607. fol. 828. seq.* In Senatoribus Secularibus, qvi cum Rege in Aula ex aula resident, ut & Episcopis ex oris Russi-

Russicis, constitutum est singalis, qvingentorum florenorum salarium, ex thesauro Regio per Thesaurarios utriusqve gentis exsolvendum: Episcopis verò ex Majori Minoriqve Polonia nullum salarium constitutum est, qvoniam opimiores ipsorum sunt proventus. *Constit. An. 1576. fol. 276. & An. 1573. fol. 254.* Contra, qvi officio suo defuerint, illis 1000. marcarum mulcta in solutionem stipendiorum militarium impendenda constituta est, *per Constitut. An. 1607.* Sed in subseqventibus Comitiis An. 1609. aucta est illa mulcta ad 2000. marcas. *Const. dict. an. fol. 887. seq.* Hanc mulctam solvere debent ad instantiam Nunciorum Terrestrium intra duas hebdomadas, postqvam initium Comitiorum factum est; idqve sub pœna amissionis Dignitatis & 2000. marcarum, si sint seculares: Si verò sint spirituales sub pœna 6000. marcarum. *Const. An. 1607.* Confirmantur ea, qvæ diximus *in Constitut. de An. 1641. fol. 3.* Adeò verò dicti Senatores lateri Regio adhærent, ut etiam Regem in bellum euntem comitentur. *Vid. exempla in Constit. de An. 1673. tit. Deputati & Constit. An. 1676. fol. 20.* Extra fines tamen Regni & Magni Ducatus Lithv. residentia illa Senatorum in aula Regis non est extendenda. *Constitut. de An. 1609.* Præter hos qvatuor Residentes in aula Regis Senatores, commorantur etiam ibidem semper qvidam ex Magistrati-

ſtratibus Regni majoribus, ut ſunt Marſchalci, Cancellarii, Theſaurarii. Licitum qvoqve inſuper eſt unicuiqve Senatorum, qvicunqve voluerit, in Aula Regis habitare, cumqve præſentibus Senatoribus conſilia conferre. *Vid. Conſt. An. 1567. fol. 276.* Et tantum etiam de Comitiis.

CAP. VII.

De

Judiciis Polonicis.

I.

QVomodo antiqvis temporibus in Polonia jus fuerit dictum, jam ſupra cap. II. num. VI. diximus. Nunc de recentioribus potiſſimum judiciis erimus ſolliciti. Poſſunt verò judicia Polonica variè dividi. Alia namqve ſunt ſecularia, alia Eccleſiaſtica. Secularia ſunt aut Nobilium aut Plebejorum, aut communia utrisqve. Item alia judicia ſunt Criminalia, alia Civilia, Qvoniam verò hæc variè ſunt confuſa, dilucidius hæc proponere laborabimus, ut eò melius intelligantur.

II. Et primò qvidem habet Nobilitas Polonica judicium proprium, in qvo omnes cauſas

ſas Civiles ex Bonis Terreſtribus ortas diſceptat, appellatur illud JUDICIUM TERRESTRE. Qvamvis verò cauſæ ex Bonis menſæ Regiæ ortis eò trahi non poſſint, licitum tamen eſt Capitaneis, Nobiles ad hæc judicia deferre, ſi damnum aliqvod intulerint Bonis Regiis. Item Subditi Regii in pagis citare poſſunt Nobilem ad judicia Terreſtria de damnis ſibi illatis cum aſſiſtentia Capitanei vel Tenutarii. Subditi verò Regii ex oppidis & urbibus ſine aſſiſtentia, ſecundum conſvetudinem. *Vid.* Joan. Januſzov. *lib. V. Conſtit. Part. 1. tit. 2. fol. 408.* Conf. Statut. Lithvan. *cap. 4. art. 3.* Ad hoc judicium pertinent etiam Actiones Contractuum, ut & debitorum, qvantacunqve ſumma pecuniæ fuerit. *Conſt. Sigism. I. An. 1523. apud Januſzov. lib. V. Part. 5. tit. 4. fol. 491.* Tandem ad Judicia Terreſtria pertinent etiam injuriæ ſimplices. Sunt autem ſimplices injuriæ, qvæ nullâ Conſtitutione vel privatorum conſenſu contra judicium Terreſtre ad aliud qvoddam judicium vel officium pertinent, ut explicat Theod. Zavvacki *in Proceſſu judiciario Regni Poloniæ tit. ult.* In Pruſſia Regia ad judicia Terreſtria pertinere dicuntur omnes cauſæ Nobilium Civiles. *Vid. Jus Correctum Nobilitatis Pruſſicæ tit. 5. num. 27. & 29.*

III. Aſſeſſores hujus Judicii Terreſtris in Regno Poloniæ & Magno Ducatu Lithvaniæ

ſunt

ſunt Judex, Subjudex & Notarius,qvi dicuntur Terreſtres. Cum aliqvis horum decedit, vel ad officium aliud promovetur,notificat illud Nobilitas Palatino , vel in abſentia ejus Caſtellano primario ejusPalatinatus,vel terræ. *Conſt. An. 1588. fol.460.* In M. Duc. Lithv. jubetur hoc ipſum indicari Regi, ſi ipſe præſens eſt. *Statut. Lithv. cap.4. art.1.* Palatinus, vel in defectu ejus Caſtellanus illius Palatinatus primarius, intra ſex hebdomadarum ſpacium poſt ceſſum vel deceſſum dicti Judicis, vel Subjudicis,vel Notarii, convocat Nobilitatem ad locum Electionis, ſeu locum judicii exercendi ſonſvetum. Ibi Nobilitas qvatuor idoneos viros Nobiles poſſeſſionatos in illa terra, ex ſuo numero eligit, eosqve Regi commendat, ex qvibus deinde Rex unumqvemcunqve libuerit ex his qvatuor confirmat. Extant hac de re Conſtitutiones non paucæ Alaxandri,Sigismundi I. II. III. Regum apud Januſzov. *lib.V. Conſtit. Part.5. tit.4. fol.485.* Hi judices, Subjudices,& Notarii recens electi, jurant in primis terminis coram Palatino vel Caſtellano, *ex Conſt. Sigism. I. An. 1519.* vel in horum abſentia coram aliis Magiſtratibus Terreſtribus & Nobilitate. *Vid. Januszov. fol.486.* Hoc verò in legibus cavetur,ne Spirituales perſonæ, item Palatini, Caſtellani, Marſchalci, Succamerarii, Capitanei cum jurisdictione,Vexilliferi aliiqve jam in

in Officio Terreſtri conſtituti eligantur in Judices,Subjudices,& Notarios Terreſtres. Extant hanc in rem Conſtitutiones *Sigism. I. de An. 1538. Sigism. Aug. 1562. imò ipſius Vladislai Jagellonis An. 1422. qvæ citantur in Additam. ad Statut. Lithv. cap.1. art.1.* Recentioribus tamen legibus conceſſus eſt Subjudicibus Terreſtribus aditus ad officia Caſtrenſia,ut ea ſimul cum officio ſuo ſimul habere poſſint. *Conſtit. An. 1658. fol.45.* Præter dictos judices aſſidebant olim in Regno habebantqve poteſtatem in Judiciis Terreſtribus ſententiæ ferendæ duo Camerarii,qvorum alter erat judicis,alter ſubjudicis, item alii duo Camerarii,alter Palatini , alter Succamerarii. *Vid. Conſtit. Vladislai Jagellonis apud Januszov. lib. V. Part.5. tit.1. fol.453.* Sed jam judex, Subjudex & Notarius ſoli jus ſententiæ dicendæ habent. *Vid. Conſtit. An. 1616. tit. o Komornikach.* Uno horum judicum abſente non poſſunt in Regno Judicia Terreſtria exerceri, *teſte Theod. Zawacki in Proceſſu Judic. tit.12.* In Magno Duc. Lithvaniæ uno judicum abſente ob morbum aut legationem aliqvam,licet reliqvis Aſſeſſoribus tertium ad tempus abſenti ſubſtituere. *Statut. Lithvan. cap. 4. art. 4.* Si judex vel alius Officialis Terreſtris vel Caſtrenſis ipſe in judicio, cujus judex eſt, actionem habet,poteſt ſibi alium qvendam Nobilem in illa terra poſſeſſionatum

tum subſtituere ſine ulla ſurrogatione Regia, qvi Nobilis non cogitur jurare, *ex Conſtit. Sigismundi Auguſti An.1557.fol.9.ſeq.* Hæc ita obſervantur in Polonia & M. D. Lithvan. Sed in Pruſſia differentiæ qvædam notabiliores hic occurrunt. Præter judicem enim & Notarium aſſident huic judicio octo Scabini Nobiles, poſſeſſionati & jurati. In Palatinatu Culmenſi inter illos octo Scabinos ſunt etiam duo Conſulares Viri ex Civitate Thorunienſi. *Vid. Jus Terreſtre Nobil. Pruſſ. num.21.* Qvando eligendus eſt judex vel Scabinus convocat Palatinus Nobilitatem in locis Conventibus particularibus deſtinatis. In Palatinatu verò Pomeraniæ & Terra Michalovienſi in locis in qvibus judicia exerceri conſveverunt. Ibi Nobilitas pluribus votis eligit judicem, vel Scabinum, vel Notarium. In electione Judicis reqviritur Confirmatio Regia: Scabini verò & Notarii electi etiam ſine Confirmatione Regis ad Officium admitti jubentur, *Ibid. num.15. & 17.*

IV. Qvod ad loca Judiciorum Terreſtrium attinet, recenſet illa Cromerus *lib. II. Deſcript. Polon. pag.182. ſeq.* Sed qvoniam ſucceſſu temporis qvædam ſunt mutata per Conſtitutiones præcipuè Stephani & Sigismundi III. Regum. Ergò ex Theodori Zavvacki Proceſſu Judiciario Regni Poloniæ, qvem An. 1619. ſcripſit, & ex Alberti Madalinski Inventario Conſtitutionum Polonicarum, qvod An. 1632. edidit, loca illa recenſebimus, ita tamen, ut & recentiores ſubinde addamus mutationes.

IN POLONIA MAJORE:

Palatinatus Poſnanienſis habet Judicia Terreſtria, Poſnaniæ, Koſtæ, Wſchovviæ.

Palatinatus Caliſſienſis, Caliſſiæ, Gneſnæ, Kczynæ & Nacli. In Conſtitutione verò An. 1647. fol. 11. recenſentur hæc oppida: Caliſſia, Koninum, Pisdra, Gneſna, Kczynum & Naclum.

Palatinatus Siradicenſis, Siradiæ, Schadkoviæ; ubi etiam Radomienſes Termini celebrantur, & Petricoviæ. *Vid. Conſtit. An.1613. fol. 11.*

Terra Vielunenſis ad Siradicenſem Palatinatum pertinens Vieluni, & Oſtrzyzoviæ.

Palatinatus Lancitienſis Lancitiæ, Brzezynæ & Orloviæ.

Palatinatus Breſtenſis Breſtæ & Vladislaviæ.

Terra Dobrzynenſis, Dobrini, Lipnæ & Ripini.

Palatinatus Plocenſis in Plocko, Raciaz, Plonsk.

Diſtrictus Zavvkrzenſis in Srzensko.

Palatinatus Masoviæ multas habet Terras.
Terra Czerscensis in Czersce, Grodziec, Warka, Garvvolin.
Warsavienses Termini habentur in Blonie, & Tarczyn.
Visnenses, Visnæ, Wonsoszi, & Radzieioviæ.
Wissogrodenses, Wissogrodiæ.
Zacrocimenses, Zakrocimi.
Ciechanovienses in Sonchocin, Ciechanovia, & Prasnice. *Vid. Const. An. 1616. fol. 25.*
Lomzenses Lomzæ & Colnæ.
Zembrovienses, Zembroviæ & Ostrolencæ.
Rozanenses Rozanoviæ & Makoviæ.
Livenses Livæ
Nurenses, Nuri, Cameneciæ & Ostroviæ.
Palatinatus Ravensis, Ravæ, Sochaczoviæ & Gostini.
In Prussia seqventes Termini celebrantur.
Palatinatus Culmensis Radzini & Thorunii.
Terra Michaloviensis Brodniciæ & Neofori alternatim.
Palatinatus Mariæburgensis Stumæ.
Palatinatus Pomeraniæ varios habet Districtus.
Dirsavienses Termini judicantur Stargardiæ.

Svecenses Sveciæ. Et sic in aliis qvoqve Districtibus. *Vid. Jus Terrestre Correctum Nob. Pruss. tit. 5. num. 23.*

IN MINORE POLONIA:

Palatinatus Cracoviensis habet Judicia Terrestria in sex Districtibus, nempe Cracoviæ, Prossoviæ, Xienzi, Leloviæ, Cichoviæ & Bieciæ. Judicat autem hos terminos per unum Judicem successivè.
Osvviecimensis Ducatus proprium habet Judicem, qvi judicat Zatoriæ.
Palatinatus Sendomiriensis habet unum Judicem, qvi judicat Sendomiriæ, Radomiæ, Opocznæ, Chencini, Visliciæ, Pilsnæ.
Terra Stezicensis proprium habet Judicem.
Palatinatus Russiæ habet seqventes Districtus
Leopoliensem, cujus Judex judicat Leopoli & Zydaczoviæ.
Præmisliensem, cujus Judex judicat Præmisliæ & Przevorsiæ.
Sanocensem, qvi tantum Sanoci Terminos celebrat.
Chelmensem, cujus Judex judicat Chelmæ & Crasnostaviæ.

Haliciensem, cujus Judex judicat Haliciæ & Trembovvliæ.

Palatinatus Podoliæ unum habuit Judicem, qvi judicabat Cameneciæ: Sed in Constit. An. 1641. jussus est judicare & Laticzoviæ. *Vid. Constit. dicti anni fol. 32.*

Palatinatus Lublinensis unum habet judicem, qvi judicat Lublini & Vrzendovii.

Terra Lukoviensis in eodem est Palatinatu, habetqve proprium Judicem.

Palatinatus Belzensis per unum Judicem Terminos Terrestres exercet Belzæ, Graboveciæ, & antea Hrodlæ qvoqve; sed An. 1616. conjuncti sunt Termini Hrodlenses cum Grabovecensibus, ita ut Graboveciæ tantùm celebrarentur. *Vid. Const. An. 1616. fol. 25. seq.*

Terra Buscensis in eodem Palatinatu, qvi proprium habet Judicem, qvi Busci cum Assessoribus suis Terminos exercet.

Palatinatus Podlachiæ habet tres Terras, qvarum singulæ proprios habent Judices.

Terra Drohicensis, Drohiciæ & Miedzilessiæ, *ex Constit. An. 1631. num. 61.*

Terra Mielnicensis Mielniciæ.

Terra Bielscensis, Bransci, Tikocini & Suracii.

Palatinatus Kioviensis habet unicum Judicem, qvi olim judicabat Kioviæ, Zytomiriæ & Houraciæ. Sed An. 1607. constitutum est, ut tantùm Kioviæ haberentur Termini. *Vid. Constit. dicti anni fol. 854.* qvod confirmatum est *An. 1609. fol. 903.* Sed An. 1667. constitutum est, ut Termini Kiovienses celebrentur Zitomiriæ & Ovvruciæ, donec Kiovia ad Regnum redeat. *Const. An. 1667. fol. 17. fin.*

Palatinatus Volhiniæ habet

Terram Luceoriensem Terram Vlodimiriensem Terram Krzemenecensem	qvæ proprios habent Judices.

Palatinatus Braclaviensis uno tantùm in loco Terminos Terrestres celebrat, nimirum Vinniciæ.

Palatinatus Czernichoviensis duobus in locis Terminos habet Terrestres, nempe Czernichoviæ & Novogrodci, *ex Const. An. 1645. tit. Ordinacya.*

IN MAGNO DUCATU LITHVANIÆ judices proprios habent Vilna, Osmiana, Lida, Vilkomiria, Bracla-

clavia, Trokum, Grodna, Upitia, Polocia, Novogrodkum, Volkovicia, Slominum, Vitepscum, Orszanum, Brzescia, Pinskum, Mscislavia, Minskum, Mozirskum, Rzeczyscia. In Samogitia qvoqve habentur Termini Terrestres. *Vid. Statut. Lithvan. cap. 3. art. 6. & 7.*

Terra Livonica Duneburgi habet Terminos suos Terrestres, *ut est in Const. An. 1673. fol. 24.*

Tempus, qvo hæc judicia Terrestria in singulis Districtibus exercentur, annotare, nimis esset prolixum tædiosumqve. Sufficit hoc notasse, qvod qvibusdam in locis qvotannis bis, alibi ter, alibi etiam qvater certis temporibus habeantur. *Vid.* Zavvacki. ll. cc. *&* Madalinski *in Inventario Constitut. Polonicarum.*

VI. Qvod ad modum hæc judicia Terrestria exercendi attinet, hæc paucula observabimus. Citationes mittuntur ad Reos per Ministerialem ((*Wozny* dicitur Polonico idiomate) qvem solus Palatinus ejus loci instituit ex privilegio Casimiri Magni An. 1368. concesso. Ab illo Ministeriali Palatinus exigit jusjurandum literisqve ipsum instruit, qvo securius officio suo fungi possint. Confirmatur hoc in Statuto Lithvanico *cap. 4. art. 8.* Cùm itaqve aliqvis citandus est, petit à judicio Actor Ministerialem. Citatio scribitur hunc in modum: *Joannes III. Dei gratia Rex Poloniæ* &c. (Non scribitur integer Titulus) *Tibi generoso de Bonis* &c. Vid. Zavvacki *in Processu loc. cit.* Sigillum Citationi addi debet ejus Districtus, ubi citandus est possessionatus. *Const. Sigism. III. An. 1589. fol. 542.* Alia reqvisita Citationum essentialia recenset Dn. Johan. Nixdorff. *in Compendio Processûs judiciarii Parte I. Sect. II. cap. 1. num. 10.* Ministerialis acceptis literis ad domum citandi, seu ad portam saltem aulæ accedit, portam baculo pulsat, & clamando eum citat; literas citatorias Reo tradit, exponitqve causam citationis; item ex cujus Judicii mandato, & ad cujus instantiam ipsum in jus vocet, declarat. *Const. Casim. Magni An. 1368.* Ministeriali ob securitatem (in magno enim sæpè periculo versantur) & certitudinem additur aliqvis Nobilis ab Actore, qvo præsente citationem insinuat aut Domino, aut ejus Tenutario, vel etiam Hortulano, publicando nihilominus citationis positionem in domo citati. *Constit. An. 1523.* In villis verò desertis possessoribus deficientibus citatio in lignum recisum posita terræqve infixa publicatur, vel in aliqva villa viciniore vel in Parochia ejusdem villæ desertæ. Positio Citationis præcedebat antea terminum integrâ hebdomade, *ex Const. An. 1523.* Sed jam constitutum est, ut relatio citationis posi-

positæ duabus hebdomadis ante judicia per ministerialem inscribatur coram Actis proprii Districtus. *Constit. An. 1670. fol. 22. seq.* His ministerialibus magna fides habetur à Judicibus, itidem ac Tabellionibus in Jure Civili Romano & Pontificio. Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 192.* Hi jusjurandum solent testibus prælegere; hi mittuntur ad lustranda vulnera, damna &c. Reliqva vide apud Theod. Zavvacki *in Processu Judic.* Statut. Lithvan. *cap. 4. art. 10.* In Prussia itidem in Citatione Nomen Regium præponitur, Actoris deinde atqve Rei prænomen & nomen subjicitur, sigilloqve Terrestri Citatio illa consignatur. Ponitur verò duabus hebdomadis ante terminum per Ministerialem Terrestrem in Bonis ejus, qvi citatur. Si absens fuerit, domesticis vel colonis insinuatur, eisqve denunciatur, in jus Dominum vocari. Si Citatus possessiones nullas habet, vel ipsi per Præconem in manum Citatio traditur; Si ejus copia haberi non potest, vel ad valvas templi ejus loci, in qvo commorari eum constiterit, à Præcone affigitur, vel proclamatur; vel etiam Parochiæ ejus, in qva Bona aliqvando possedit. *Vid.* Jus Terrestre Correctum Nobil. Pruss. *tit. 6. num. 1. seqq.*

VII. Ad judicia Terrestria referunt etiam minores Poloni & Prussi illud Judicium, qvod dicitur POSITIO ACTORUM TERRESTRIUM

(Poloni *Xiag lezenie* vocant) Idem concessum est Palatinatui Kioviensi per Const. An. 1607. fol. 854. & An. 1647. fol. 17. Exercetur hoc judicii genus omnibus in locis minoris Poloniæ & Palatinatus Kioviensis, ubi judicia Terrestria exerceri solent. In Prussia verò qvædam loca omittuntur. *Vid. Jus Correct. tit. 5. num. 24.* Præses hujus judicii in Polonia est Notarius Terrestris (qvi & in Judiciis Terrestribus locum & votum habet) cum duobus Camerariis, qvorum alter est judicis, alter Subjudicis. Judicant autem tantùm de tollenda summa de Bonis obligatis, seu de Exemptione Bonorum (*O wykupno*) ex Constit. Joannis Alberti An. 1496. *apud Januszov. lib. V. Part. 5. tit. 5. fol. 494.* Addit Theod. Zavvacki causam de servo profugo ad hoc judicium pertinere. *In Process. Judic. tit. 12. fol. 217. Conf. Constit. An. 1647. fol. 17.* Formula Citationum est: *qvatenus coram judicio Terrestri vel positione Actorum Terrestrium legitimè compareas.* Vid. Zavvacki *loc. cit.*

VIII. Deinde progredimur ad JUDICIA CASTRENSIA (*Sady Grodzkie*) & qvidem primò ad ea, qvæ in Polonia dicuntur CAPITANEALIA, qvia à Capitaneis; In Prussia verò PALATINALIA, qvia à Palatinis exercentur. Præses itaqve horum judiciorum in Regno, est Capitaneus cum Jurisdictione, in Prussia Palatinus. In Mageo Ducatu Lithvaniæ

niæ Palatinorum qvisqve in ſuo Palatinatu eſt Capitaneus. Diſtrictus verò, Palatinatibus adjuncti, proprios habent Capitaneos cum jurisdictione, qvi judicia illa exercent. *Vid. Statutum Lithv. cap. 4. art. 30.* Is Capitaneus in Regno judicare debet cauſas per ſe ipſum: ſi verò aliqvod legale impedimentum interceſſerit, conſtituere jubetur in Judicem Nobilem poſſeſſionatum, in eodem illo Capitaneatu domicilium ſuum habentem. *Conſtit. An. 1496. & An. 1562.* apud Joan. Januszov. *lib. V. Conſtit. Part. IV. tit. 2. fol. 433. & 434.* Tanta verò eſt Capitanei auctoritas, ut ſi qvis coram ipſo aliqvem vulneraverit, eodem modo puniatur, acſi id coram ipſo Rege feciſſet. Zavvacki *in Summa Legum tit. Capitanei cum Jurisdictione.* Capitaneus ſit poſſeſſionatus neceſſe eſt in eadem terra, in qva Officio Capitanei fungitur; qvod non adeò ſtrictè reqviritur in eo Capitaneo, qvi eſt ſine jurisdictione, ſeu in Tenutario Bonorum menſæ Regiæ. *Conſtit. An. 1562. fol. 24.* Porrò & hoc notandum eſt, Capitaneum non poſſe ſimul eſſe Palatinum, vel Caſtellanum, vel Judicem, vel Subjudicem, vel Notarium Caſtrenſem in eodem Diſtrictu, in qvo eſt Capitaneus. Excepimus tamen ſupra Capitaneatum Cracovienſem, Kiovienſem, Czernichovienſem & Palatinatus Lithvanicos. de qvibus vide, qvæ ſupra cap. 3. num. 16. diximus.

In

In Judiciis Caſtrenſibus Notarius etiam Caſtrenſis poſſeſſionatus & juratus in Regno, & in Pruſſia. *Vid. Conſtit. 1565. fol. 102. An. 1589. fol. 517. An. 1609. fol. 909. An. 1611. fol. 31. An. 1589. fol. 580. ſeq. An. 1616 fol. 25.* In qvibusdam tamen locis (ut in Creſtenſi & Inovladislavienſi Palatinatibus, item in Kaliſſienſi & Poſnanienſi Diſtrictibus) ſufficit, ſi modò ſint jurati. *Conſt. An. 1565. fol. 102.*

IX. Cauſæ, qvas judicant Capitanei in Judiciis Caſtrenſibus jam ex Conſtitutione Vladislai Jagellonis An. 1423. & ſeqventium Regum ſunt tantum qvatuor. Nimirum (1.) Actio oppreſſionis mulieris ſive ſtupri. (2.) Deprædatio ſtratæ ſive viæ publicæ. (3.) Incendium & immiſſio ignis. (4.) Invaſio violenta domûs. *Vid.* Januszov. *lib. V. Conſtitut. Part. 4. pag. 430. ſeq.* Sed ex Conſtitutione Sigismundi I. de An. 1540. judicant etiam Capitanei in Polonia majore cauſas de exemptione Bonorum. *Vid.* Januszov. *lib. V. Part. 5. tit. 4. fol. 494. ſeq.* Porrò An. 1607. addita eſt Capitaneis judicanda cauſa de raptu Virginum. *Vid.* Th. Zavvacki *in Proc. Jud. tit. 12. fol. 217.* Præterea conceſſum eſt Capitaneis in Belzenſi & Volhyniæ Palatinatibus, ut judicarent etiam profugos ex Bonis Regiis ſubditos, qvod etiam receperunt Palatinatus, Palatin. Sendomirienſis, Podoliæ, Lublinenſis, Podlachiæ, & Braclavienſis. *Vid. Conſtitut.*

An.

An. 1661. fol. 12. seq. Concessum id ipsum est & Capitaneis Magni Ducatus Lithvaniæ, per *Constit. An. 1667. fol. 79.* In judiciis his Castrensibus judicantur etiam Nobiles non possessionati, *ex Const. Sigismundi III. An. 1588. fol. 466.* Item mercatores extranei ad Nundinas accedentes. *Const. An. 1563. fol. 94.* Ad hæc porrò Judicia Capitanealia vocantur jure victi ad banniendum. Falsæ insuper rei, & alieno nomine aliqvid recognoscentes, tùm ob non restitutionem arrestatæ rei unius hebdomadæ spacio. Judicant tandem Capitanei sine strepitu juris, otiosos, vagos, fures, profugos, judiciorum vel Conventuum violatores, infames, de Regno proscriptos, ait Theodor. Zavvacki *in Processu Judiciario tit. 12. fol. 217.* In Magno Ducatu Lithvaniæ plures adhuc articuli ad judicia Palatinorum & Capitaneorum referuntur, ut Despoliationes templorum, furta, incendia, veneficia &c. *Vid.* Statut. Lithvanicum *cap. 4. art. 30.* In Prussia, qvæ causæ ad judicium Palatinale pertineant, discimus ex Jure Terrestri Correcto Nobil. Pruss. *tit. 5. num. 28.* ubi hæc reperiuntur: *Statuimus, ut si qvis in domum vel possessionem alterius invaserit, in publicis viis insidias posuerit, vim armata manu alicui intulerit, vulneraverit vel occiderit, ad Palatini cognitionem vis ea pertineat.* Et

num. 34. *Si in judiciorum loco aliqvem qvis vel vulneraverit vel occiderit, à qvocunqve comprebensus per Officium Palatinale capitis pœna puniatur; si etiam evaserit, ad idem Officium Palatinale citetur, itidemqve capitali supplicio afficiatur.* Conf. & num. 8.

X. Citationes ex his judiciis Castrensibus prodeunt non sub nomine Regis, ut ad judicia Terrestria, sed sub nomine Capitanei hoc ferè modo: *N. Capitaneus &c. Tibi Nobili &c. mandamus vigore Regio, & nostra, qva in hac parte fungimur, auctoritate.* Vel: *mandamus Regio & Officii nostri vigore.* Constitutum verò est, ut positio Citationis in Criminalibus fieret duabus ante terminum hebdomadis, in civilibus verò una. *Vid.* Dn. Johan. Nixdorff. *in Process. Judic. Polon. & Pruss. Conf. & Constit. An. 1670. fol. 22. seq.* In Statuto Lithvanico constituitur, ut in locis, ubi sunt Palatini, citationes mittantur sub sigillo Palatini: ubi verò non sunt Palatini, ut mittantur sub sigillo Capitanei, non tamen ejus Vices gerentis. *Vid. Stat. Lithvan. cap. 4. art. 34. fol. 126.*

XI. Ad Judicia Castrensia referimus etiam illud Judiciorum genus, qvod vocatur OFFICIUM CAUSARUM seu QVERELARUM (Polonicè *Skargi* ut & *Roczki.*) item Judicium Vice-

Vicecapitaneale: In Prussia verò Vice-Palatinale dictum. Differunt hæc judicia à Castrensibus, qvia Qverelæ sunt de causis levioribus, judicia Castrensia de gravioribus: Deinde Qverelæ exercentur ordinariè singulis duabus hebdomadis; judicia Castrensia singulis sex hebdomadis. Cromer. *in Descript. Polon. lib. II. pag. 185.* In Prussia Judicia Palatinalia habentur singulis qvadrantibus anni; Judicia verò Vice-Palatinalia singulis mensibus. *Vid. Jus Terrestre Correctum tit. 5. num. 2. & 6.* Pertinent ad Judicia Qverelarum (1.) Divisio Bonorum inter Fratres. (2.) Exdotatio & Provisio Sororum. (3.) Violenta expulsio de Tenuta. (4.) Pœna trium marcarum abacti vel vagi, & ad fidejussoriam cautionem non extraditi pecoris. (5.) ad inscriptionem. (6.) de famulo absqve literis testimonialibus à priori Domino obtentis suscepto. (7.) de pœnalibus centum viginti marcarum ob non factam divisionem. (8.) pro teloneo iniqvè extorto. (9.) pro non soluta Contributione & fumalibus. (10.) pro recenti crimine, qvod durat anno & sex hebdomadis. (11.) qvæ pro Executione remittuntur, & aliæ privata lege huc pertinentes causæ. Theod. Zavvacki *in Processu Judic. Regni Polon. tit. 12. fol. 218.* Conf. Stat. Lithv. *cap. 4. art. 30.* Officio Vice-Capitaneali in Terra Varsaviensi conceditur etiam, ut judicet

dicet Nobiles non possessionatos & Plebejos extraneos; salvâ tamen appellatione Nobilium ad Tribunal, & Plebejorum post Curiam, in causis taxam 300. marcas excedentibus. *Const. An. 1658. fol. 42. seq.* In Prussia omnes causas, qvas judicant Vice-Palatini, possunt etiam judicare Palatini. *Vid. Jus Terrest. tit. 5. num. 8.* Qvæ autem ad Judicium Vicepalatinale pertinent, enumerantur *loc. cit. num. 4.* Libri Actorum Castrensium à Joanne Alberto Rege jubentur asservari sub tribus clavibus, qvarum unam Palatinus, alteram Judex illius terræ, ubi est Capitaneatus, & tertiam Capitaneus habeat. *Const. Joan. Alberti An. 1496. apud Januszov. l. c.*

XII. Judicia SUCCAMERALIA sunt de finibus regundis inter Bona Nobilium, præsidetqve ipsis Succamerarius illius districtus, in qvo limites sunt constituendi. Hinc etiam Succamerarius à Kojalovvicio vocatur supremus limitum cognitor. *Part. 2. Hist. Lithv. lib. VII. pag. 336.* Ab aliis vocatur Prætor finium regundorum. Agitantur qvidem & in judiciis Terrestribus Regni Poloniæ causæ finium regundorum, inter Nobiles, *ex Const. Sigism. I. An. 1523. Vid. Januszov. lib. V. Part. 2. tit. 3. fol. 414.* Hæc tamen Terrestria Judicia sunt tantùm præparamentum futuri campestris judicii. Nam semper fit à Judicio Terrestri in causa finium regundorum remissio

sio ad campum, ubi officium Succamerarii sese exerit. Citationem Succamerarius mittit sub nomine proprio hoc modo: *N. Succamerarius &c. Tibi Nobili innotescimus, qvatenus coram Nobis aut Camerario nostro. &c.* Limitibus constitutis Succamerarius decreti sui seriem per literas patentes Judicio Terrestri significat, qvas literas à Succamerario per Actorem præsentatas Judicium Terrestre ad Acta Terrestria refert, sive, ut vocant, acticat, ad perpetuam rei memoriam. *Const. An.* 1523. De Officio Succamerarii scripsit peculiarem librum Stanislaus Lochovvski, Notarius Castrensis Opocznensis, qvem inscripsit: *Processus Judiciarius Granicialis Regni Poloniæ.* Cracov. An. 1641. Conf. Januszov. *fol.* 414. *seqq.* Hæc autem, qvæ diximus, de Succamerariis Polonicis & Lithvanicis intelligenda sunt. In Prussia enim Succamerarii sunt Consiliarii Terrarum Prussiæ. Judicia verò hæc Finium regundorum exercentur à Judicio Terrestri. In campum ad limites cognoscendos Judex ipse Terrestris cum duobus Scabinis exit; Vel, si judex ob valetudinem vel alia aliqva impedimenta adesse non potest, Scabinus primus vel seqvens vices ejus obit. Reum autem hi citant hac ferè formula: *Mandamus tibi, ut coram Nobis tanqvam à judicio deputatis. &c. Vid. Jus Terrestr. correct. tit. 7. num. 7. seqq.*

XIII. Ju-

XIII. Judicia COMMISSORIALIA sunt itidem de finibus regundis, qvando controversia incidit Nobili cum fundo Regio. *Const. An.* 1633. *fol.* 39. Tunc enim à Rege mittuntur Commissarii, qvi terminos constituunt, additur tamen & ipsis Succamerarius. Exercentur etiam Judicia Commissorialia pro Exemptione Bonorum Regalium, pro divisione inter fratres aut par jus habentes, nisi de juribus obstet controversia, tunc enim ad Jus Terrestre illud remittendum est. Reqviruntur autem ad Commissionem tria: I. Commissio Regia, qvâ certis personis negotium competens committitur. II. Mandatum Regium, qvo Tenutario, ut coram eis compareat, mandatur. III. Innotescentia Commissionis Tenutario per Commissarios sub sigillis & subscriptione manuum edenda. Et hæc innotescentia unà cum Mandato per ministerialem & duos Nobiles mitti debet ad Capitaneum sive Tenutarium duabus hebdomadis ante terminum ad limites: ad redimenda verò Bona Regalia sex hebdomadis est inferenda, & ad manus citandorum tradenda. Innotescentiæ Commissorialis formula est seqvens: *Nos* &c. (Titulus Commissariorum scribitur) *Commissarii per Majestatem Regiam ad infrascripta dati & specialiter deputati vobis Generosis* N. N. &c. *innotescimus præsentibus, oblatas nobis esse literas Commissi-*

missionis &c. Vid. Zavvacki *in Proc. Judic. tit. 12. fol. 222.* Verùm qvando Controversia incidit de finibus regundis non inter Nobiles, neqve inter Nobilis alicujus & Regia Bona, sed inter Bona utrinqve Regia, tunc limites constituuntur non per Commissarios, sed per Revisores, qvi singulis qvinqvenniis elapsis in Comitiis electi ad Bona Regia lustranda mittuntur. *Vid.* Theod. Zavvacki *l. c.* Conf. & *Constit. An. 1647. fol. 28.*

XIV. A judiciis Terrestribus dabatur olim Provocatio ad TERMINOS GENERALES sive ad COLLOQVIA (Polonicè dicuntur *Wieca*, sive *Rokiglowne*) Instituebatur autem appellatio ad hæc Colloqvia, si ista ante Comitia generalia incidebant. Habebantur singulis annis semel autumni tempore in omnibus Palatinatibus. Judices hîc erant Palatinus, Castellanus, Judex, Subjudex, Vexillifer cæteriqve Magistratus illius Palatinatus, ex Constit. Casimiri Jagellonidis An. 1454. & Sigismundi I. An. 1543. Si qvis ex his judicibus, sive Palatinus, sive alius qvispiam abfuerat morbo impeditus, cogebatur in seqventibus Colloqviis jurare, qvod verâ, non verò fictâ infirmitate fuerit impeditus. *Constit. Sigism. I. An. 1543. & Sigism. Augusti An. 1565. fol. 88. seqq.* In absentia Palatini Castellanus præsidebat in his Colloqviis, ut ex dicta Constitutione de An. 1565. apparet. Acta Col-

Colloqviorum sive Terminorum generalium, qvæ non libris Terrestribus, sed aliis peculiaribus inscribebantur, asservari solebant sub tribus clavibus, qvarum unam Judex Terrestris, alteram Subjudex, tertiam Notarius Terrestris habebat, *ex Constit. Vladislai Jagell. An. 1433.* apud Januszov. *lib. V. Const. Polon. Part. 5. tit. 8. fol. 505.* Eodem modo jubentur etiam asservari libri judiciorum Terrestrium, non nisi cum consensu omnium depromendi. *Vid.* Statut. Lithv. *cap. 4. art. 13.*

XV. A Terminis generalibus sive Colloqviis dabatur ulterius Provocatio ad Regem. Sed & aliàs causa coram Judicio Terrestri vel Castrensi agitata, si prius incidebant generalia Regni Comitia, qvàm Colloqvia, tùm Provocatio instituebatur à Judicio Terrestri & Castrensi rectà ad Regem omissis Colloqviis. Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 188.* Hinc facilè cognoscere possumus, qvantis litium difficultatibus tùm distentus fuerit Rex, adeò, ut non sit mirum, Henricum I. Regem dixisse: *Per meam fidem Poloni isti faciunt, ut agam judicem jurisperitum, in brevi volent, ut agam etiam causidicum.* Paul. Piasec. *in Chron. fol. 55. fin.* Jam itaqve Sigismundi Augusti tempore facta fuit in Comitiis mentio instituendæ in Polonia novæ judicum decuriæ, qvæ de omnibus Provocationibus absqve provocatione cognosceret, qvale est in Gallia

Parlamentum, ſed non placuit ſummam judiciorum cuiqvam præter Principem concedere. Cromer. *lib.II. Deſcript. Polon. pag.189.* Inſtituta tamen fuerunt ab Auguſto An. 1563. judicia extraordinaria in Palatinatibus ad dijudicandas controverſias veteres, qvoniam in Comitiis generalibus decidi non poterant. *Vid. Conſtitut. dicti anni fol.31. ſeqq.* Tandem Stephanus Bathori Rex ſvaſu magni Samoſcii An. 1578. Summa Tribunalia inſtituit in Polonia & An. 1581. Magno Ducatu Lithvaniæ, qvo provocationes inſtituerentur ex omnibus judiciis Terreſtribus, Caſtrenſibus, Succamerarialibus & Commiſſorialibus, ſicqve Colloqvia illa ſublata ſunt. *Vid. Conſtit. An. 1578. fol. 325. ſeqq.* In Pruſſia Regia nulla antehac concedebatur Appellatio ad Regem, donec An. 1521. ſub Sigismundo I. eandem concedere coacti eſſent, exceptis cauſis criminalibus aliisqve ſpecialioribus caſibus. *Vid.* Schuz. *lib. X. Chron. Pruſſ. fol. 479.* Salom. Neugebaur. *lib. VII. Hiſt. Polon. pag. 496.* Suſcipiebat autem Aula Regis Appellationes usqve ad Sigismundum III. Nam licet Stephanus Rex Summa Tribunalia inſtituiſſet, expreſsè tamen lege cavit, ut cauſæ Pruſſicæ non ad Tribunal recens inſtitutum, ſed ad ipſum Regem devolverentur. *Conſtit. An. 1578. fol. 332.* Conf. Januszov. *lib. VII.* [illegible] *Conſtit. Polon. Part. 3. tit. 3. fol. 934.* [illegible] ſub

[illegible]s-Sigismundo III. An. 1589. conceſſit Pruſſica Nobilitas appellationes ad Tribunal Petricovienſe, ad qvod etiam Deputatos ſuos mittere juſſa eſt. Ita tamen hoc fuit ordinatum, ut indifferenter ad Conventum generalem Terrarum Pruſſiæ (qvi alternatim Mariæburgi & Grudenti inſtitui debebant; nempe tempore vernô Mariæburgi, tempore verò autumni Grudenti. *Vid. Jur. Municip. Pruſſ. inter Conſtit. Sigismundi I.*) vel ad Tribunal Regni, qvod prius horum celebratum fuerit, inſtitueretur provocatio. Sed & à Conventu generali Terrarum Pruſſiæ dabatur ulterius provocatio ad Tribunal Regni. *Vid. Jus Terreſtre Correctum Nobilit. Pruſſ. tit. 6. num. 45. ſeq.* Sed hodie Conventus illi generales Terrarum Pruſſiæ jam haberi deſierunt, ad ſolum itaqve Tribunal Regni ount ex dictis illis judiciis appellationes. Qvomodo judicia in Civitatibus Pruſſicis ſeſe habeant poſtea dicetur.

XVI. Judicia itaqve ſecundæ & ultimæ in qvibusdam cauſis inſtantiæ (Nam in qvibusdam cauſis non licet à judiciis Terreſtribus, aliisqve provocare. *Conſtit. An. 1661. fol. 12. ſeq. An. 1670. fol. 22.* Sunt etiam qvædam cauſæ, qvas ipſa Summa Tribunalia remittunt ad Comitia Regni generalia, ut poſtea dicetur.) ſunt SUMMA TRIBUNALIA. Loci ubi Summa Tribunalia habentur in Regno

 Polo-

Poloniæ ſunt I. *Petricovia*, qvo pertinent Posnanienſis, Caliſſienſis, Siradicenſis, Lencitienſis, Breſtenſis, Inovladislavienſis, Maſoviæ, Plocenſis, Ravenſis Palatinatus, ad qvos, ut jam dictum eſt, An. 1589. acceſſerunt Pruſſici Palatinatus. *Vid. Conſtit. An. 1589. fol. 514. An. 1590. fol. 579.* II. LUBLINUM, qvo pertinent Cracovienſis, Sendomirienſis, Ruſſiæ, Podoliæ, Lublinenſis, Belzenſis, Podlaſſienſis Palatinatus. Additi ſunt An. 1589. Palatinatus Volhyniæ & Braclavienſis, qvi antea peculiare habuerunt Tribunal Luceoriæ cum Palatinatu Kiovienſi. *Vid. Conſtit. 1578. fol. 331. An. 1589. fol. 537. ſeqq.* Anno verò 1590. acceſſit ad Tribunal Lublinenſe Palatinatus Kiovienſis. *Conſt. An. 1590. fol. 582.* Tandem Anno 1635. additus eſt Palatinatus Czernichovienſis. *Vid. Conſtit. dicti anni. tit. Ordinacya Woiewodztwa.* In Magno Ducatu Lithvaniæ fuerunt antea à Stephano Rege qvatuor loca conſtituta ad hæc judicia exercenda. Nimirum I. *Vilna*, qvo pertinebat Palatinatus Vilnenſis & Diſtrictus Oſmianenſis, Lidenſis, Vilkomirienſis, Braclavienſis, ut & Palatinus Plocenſis. II. *Troki*, qvo pertinebat Palatinatus Trocenſis, Diſtrictus Grodnenſis, Caunenſis, Upitenſis. III. *Novogrodkum*, qvo pertinebat Palatinatus Novogrodenſis, Diſtrictus Slominenſis, Vilkomirienſis; Palatinatus Brzeſcenſis & Diſtrictus Pinſcenſis.

IV. *Minskum*, qvo pertinebat Palatinatus Vitepſcenſis, Diſtrictus Orszanenſis; Palatinatus Mſcislavienſis & Minſcenſis; item Diſtrictus Mozirenſis & Rzeczycenſis. In Ducatu qvoqve Samogitiæ habebat Nobilitas poteſtatem conſtituendi Tribunalis in ſuo Ducatu, ubicunqve placuerit. Sed hæc in Magno Ducatu Lithvaniæ ſubſecutis temporibus prorſus mutata ſunt. Nam Sigismundus III. Rex conſtituit An. 1588. d. 1. Febr. ut ad Vilnenſe Tribunal transferrentur illæ cauſæ, qvæ judicabantur Trocis; & ad Tribunal Novogrodenſe illæ cauſæ, qvæ judicabantur Minſci, ita tamen, ut alternatim, nempe uno anno Novogrodci, altero anno Minſci per ſemeſtre hibernum cauſæ judicarentur. Samogitia licet habuerit poteſtatem proprium Tribunal erigendi, hoc tamen Privilegio non eſt uſa, ſed tranſtulit cauſas ſuas ad Tribunal Vilnenſe. *Vid. Statut. Lithvan. in Appendice.* Deinde An. 1598. Palatinatus Brzeſcenſis additus eſt Tribunali Vilnenſi, qvi antea pertinebat ad Tribunal Novogrodenſe. *Vid. Conſt. dicti anni tit. Czas y mieyſce.* Poſthæc An. 1626. Nobilitas Smolenſcenſis Palatinatûs ad Tribunal Vilnenſe provocationes inſtituere cœpit. *Vid. Conſt. dicti anni tit. Opatrzenie.*

XVII. Tempus horum Tribunalium ſic primo in genere diſtingvitur, ut in Regno hyberno tempore poſt feſtum S. Franciſci ad Paſcha

ſcha judicia hæc celebrentur Petricoviæ: Æſtivo verò tempore Lublini poſt Dominicam Conductus usqve ad meſſem. In Actis tamen Electionis Regis Michaëlis prolongatum eſt Tribunal Lublinenſe, ſecundum Conſtit. An. 1638. usqve ad Feſtum S. Thomæ, idqve ad ſeptem ſubſeqventes annos. *Vid. Acta illa Lit. B. 2.* Sed nondum elapſis 7. illis annis alia ſubſeqvuta eſt ordinatio Tribunalis Lublinenſis An. 1670. de qva infra num. XXI. Tandem An. 1676. conſtitutum eſt, ut per totum annum in utroqve loco, nempe Petricoviæ & Lublini, continuo curſu judicia exerceantur; ea tamen conſtitutio non niſi ad duos annos valeat. *Vid. Conſtit. dicti anni fol. 24.* In Magno Ducatu Lithvaniæ tempore hyberno exercentur judicia hæc alternatim Minſci & Novogrodci; tempore autem æſtivo ſemper Vilnæ. In ſpecie notandum eſt, non promiſcuè omnium Palatinatuum cauſas ventilari, ſed ſingulis Palatinatibus eſſe certum tempus unius vel plurium hebdomadarum attributum. *Vid. Conſtit. An. 1670. num. 16. fol. 19. ſeqq. Statut. Lithvan. in Appendice.*

XVIII. Judicantur hic omnes cauſæ, qvæ à Judiciis Terreſtribus, Caſtrenſibus, Succamerarialibus, Commiſſorialibus in cauſis diviſionis Bonorum huc devolvuntur. *Conſtit. An. 1578. fol. 327. Conf. Proceſſus Judiciarius An. 1611. in Comitiis inſtitutus.* Non datur tamen Appellatio ad Tribunal à judiciis Terreſtribus & Caſtrenſibus in executione rei judicatæ; Ad inſcriptionem; Exemptionum liqvidarum: Deductionis Scrutiniorum; Inqviſitionum, Item in recognitione ſummæ tria millia florenorum non excedente; pro vulneribus; pro Taxa capitis plebei; Pro extraditione ſubditorum; de decimis liqvidi juris; de exemptionibus; de injuriis Terreſtribus: pro taxa 500. floren. in rapinis ſimilis taxæ; à levi qvoqve acceſſorio appellatio non debet concedi ordinariè. *Vid. Conſtit. An. 1670. fol. 22.* Cauſæ tamen qvædam hîc prorſus excipiuntur, & ad Tribunal planè non pertinent (1.) Cauſæ merè criminales, illæ videlicet, qvæ famam & caput alicujus Nobilis concernunt. Cavetur tamen legibus, ne qvis ex cauſa civili criminalem faciat, aliumqve ſub hoc prætextu ad judicia Comitialia, vel poſt Curiam evocet ſub pœna ſeſſionis turris & centum marcarum. Excipiuntur (2.) cauſæ Fiſci Regii, Theſauri, Qartæ, & de Bonis nullo jure receptis. (3.) Cauſæ qvædam, ad qvas Commiſſarii mitti ſolent, qvalis eſt cauſa de exemptionibus Bonorum Regalium. Excipiuntur (4.) in M. D. Lithvan. cauſæ in aliis inferioribus ſubſelliis nondum agitatæ. Conſt. *An. 1641. fol. 17. An. 1670. fol. 50.* Excipiuntur (5.) Cauſæ juris Magdeburgen-

ſis ſive Teutonici & Culmenſis. *Conſt. An. 1578. fol. 328. An. 1633. fol. 23. ſeq. Conſ. & Statut. Lithvan. loc. cit.*

XIX. Judices, ſive, ut communiter appellantur, Deputati, in ſummis Tribunalibus ſunt Spirituales & Seculares. Spirituales Deputati à ſuis Capitulis modò, loco & tempore ſolitis eliguntur. Seculares verò in particularibus Conventibus, à Nobilitate eligi conſveverunt. Reqvirebatur hic olim, ut Deputati illi unanimi Conſenſu omnium eligerentur; ſed paulatim cœperunt in multis Palatinatibus ſecundùm pluralitatem votorum eligi. Hunc morem recepit in Regno Poloniæ primò Maſovia, ex Conſtit. An. 1598. *Vid. Conſtit. fol. 702.* Deinde Palatinatus Siradicenſis cum terra Vielunenſi, ut & Palatinatus Cracovienſis, & Terra Chelmenſis. *Vid. Conſt. An. 1611. fol. 40.* Poſthæc totus Magnus Ducatus Lithvaniæ. *Conſt. An. 1613. fol. 41.* Item Palatinatus Kiovienſis, & Diſtrictus Mielnicenſis, *ut patet ex ejusdem anni 1613. Conſtit. fol. 13.* & Palatinatus etiam Plocenſis. *ibid. fol. 22.* & tandem Palatinatus Pruſſici. *ibid. fol. 24.* Poſthæc An. 1631. recepit hoc ipſum Palatinatus Podlachiæ. *Vid. Conſtitut. dicti anni fol. 34. (num. 81.)* Tandem Palatinatus Ravenſis. *Conſtit. An. 1667. fol. 18.* Qvod ad numerum Judicum ſeu Deputatorum attinet, eliguntur in majoribus Palatinatibus (videlicet Poſnanienſi, Sendomirienſi, Caliſſienſi, Ravenſi, Podlachiæ, Maſoviæ, Siradicenſi.) bini Deputati. Ex Ruſſico, ut itidem duo eligerentur, conſtitutum eſt An. 1578. ita ut unus eſſet ex Diſtrictu Viſnenſi, alter uno anno ex Halicienſi, altero ex Chelmenſi tractu. *Conſt. An. 1578. fol. 326.* Poſtea verò hæc alternata ſublata eſt, cœperuntqve ex ſingulis his Diſtrictibus ſinguli qvotannis eligi, *per Conſtit. An. 1611. fol. 25.* Sed & hæc Conſtitutio deinde ſublata, & ad priſtinam conſvetudinem revocata eſt, *per Conſtit. An. 1670. fol. 32.* In Palatinatu Volhyniæ ſex eliguntur ex ſingulis Diſtrictibus bini: In Palatinatu Braclavienſi itidem duo eligi jubentur *in Conſtit. An. 1589. fol. 538.* In Kiovienſi Palatinatu etiam duo. *Conſtit. An. 1611. fol. 18.* Cracovienſi Palatinatui An. 1631. conceſſum eſt, ut duos eligeret Deputatos. *Vid. Conſt. d. an. fol. 37.* Ex Palatinatu Lublinenſi tertio qvoqve anno ſecundum alternatam ex terra Lukovienſi Deputatus eligitur: reliqvis autem duobus ex Lublinenſi & Vrzedovienſi. *Conſtit. An. 1654. fol. 15.* Palatinatui Lancicienſi *per Conſtit. An. 1670. fol. 32.* conceſſum etiam eſt, ut duos mittere poſſit Deputatos. In Palatinatu Czernichovienſi ex duobus Diſtrictibus Czernichovienſi & Novogrodenſi, ſinguli eliguntur, *per Conſtit. An. 1635. ante med. tit. Ordinacya.* Ex Pruſſiæ Palatinatibus jam ab Anno 1589. mittuntur

ex

ex singulis Palatinatibus bini, ut & duo Spirituales. *Vid. Const. An.1589.fol.514.* In Magno Ducatu Lithvaniæ ex singulis Palatinatibus & Districtibus bini designantur. *Vid. Statut. Lithvan. in Appendice.* In reliqvis Palatinatibus, ut & Terris Vielunensi, Dobrinensi, Osvviecimensi, Zatoriensi singuli tantùm eliguntur. *Vid.* Johan. Nixdorff. *de Tribunalitio Judicio cap.3.* Possunt verò secundum StatutumLithvanicum in Deputatos hujus judicii eligi Principes, Palatini,aliiqve Magistratus,ut & privati Nobiles. Horum Deputatorum munus tantum est annuum. Iidem enim Judices, qvi hiberno tempore judicant Petricoviæ,judicant æstivo Lublini. Et in M.D. Lithv. Judices iidem, qvi tempore æstivo judicant Vilnæ, judicant etiam hyberno tempore Novogrodci vel Minsci secundum alternatam. Cavetur etiam legibus, ne qvis Deputatorum,sive ab eodem, sive ab alio Palatinatu in seqventem, tertium vel qvartum annum idem Deputati munus subeat,sed eligi demùm iterum potest qvadriennio elapso. *Constit. An.1611. inter Constit. Lithvan.fol.40. & Const. An.1616.fol.3.* Judices verò Spirituales biennio elapso iterum ad hæc judicia eligi possunt. *Const. An.1633. fol.24. Conf. Constit. An.1670.fol.50.* Si Judex Judicii Terrestris electus fuerit in Deputatum ad Judicium Tribunalitium, tùm in judicio Terrestri alium sibi substituit. *Statut. Lithvan. cap. 4. art. 4. & in appendice de Tribunali.* Nemo tamen potest Nuncius ad Comitia & simul Deputatus ad Tribunal eligi. *Constit. An. 1616. fol. 3. & An. 1631. tit. o Poborcach.* Absens qvoqve non debet eligi in Deputatum ad Tribunal, *ex Constit. An. 1616. tit. o Deputatach.* Si Deputatus ipse habet causam pro Tribunali, differri illa debet usqve in seqventem annum,nisi pars altera, nulla contradictione interpositâ, illud permiserit. *Constit. An. 1611. fol.40. tit. o Deputatach.* Item si Judex vel alius Assessor Judicii Terrestris,vel alterius alicujus,electus fuerit in Deputatum, & ab ejus judicio causa fuerit devoluta ad Tribunal, tùm Judex ille in dicta causa nullum habet votum. *Constit. An.1578.fol.236. tit. Obieranie.*

XX. Electi Deputati conveniunt stato tempore in loco Judicii, auditoqve prius sacro curiam ascendunt,ubi in Conclavi,in qvo Judicium Tribunalitium exerceri debet, Terrestre Siradicense Judicium (in Tribunali Petricoviensi) supremo loco judiciali assidet mensæ, electosqve Judices sive Deputatos, primò qvidem Spirituales, postea Seculares juxta Ordinem Capitulorum & Palatinatuum, Terrarumqve ad præstandum jusjurandum vocat. *Vid.* Dn. Nixdorff. *loc. cit.* In Statuto Lithvanico jubentur Deputati Tribuna-

bunalitii jusjurandum præſtare coram Terreſtri Caſtrenſiqve judicio, ut & coram Nobilitate ibidem præſente. Jurant autem, qvod juſtè ſint judicaturi, nulla conſilia partibus litigantibus daturi, ſecreta judicii nemini revelaturi, munera non accepturi. Jurant etiam, qvod citra ullum ſtudium ſuum ſint in Deputatos electi. Tandem in Jurejurando, ſi injuſtè juraverint, invocant contra ſe vindicem Deum. *Vid. Statut. Lithv. loc. cit. & Conſtit. An. 1647. fol. 6. ſeq.* Circa hunc jurisjurandi præſtandi actum, licet Deputato illegitimè electo contradicere, qvâ contradictione interveniente, is cui contradicitur, à jurejurando præſtando tantisper removetur, dum reliqvi, qvi ipſum ſeqvuntur, jurârint. His factis Deputati omnes jurati ſeculares Marſchalcum, ſive Præſidem Judicii ſui eligunt, qvi non rarò eſt vir Senatorii Ordinis, ad majorem huic Collegio auctoritatem conciliandam. Spirituales autem Deputati binos Præſides aut Præſidentes, eosqve certos & perpetuos, alternâ tamen inter eos obſervatâ, ſibi deligunt, ſicqve jurisdictio fundatur. Poſt fundatam jurisdictionem Marſchalcus & Deputati contradictionem illam contra aliqvem Deputatorum, de qva paulo antè diximus, judicare poſſunt. Eâ autem legitimâ vel illegitimâ cognitâ, is, cui contradictum, vel removetur à jurejurando, vel ad præſtandum illud admit-

mittitur, & locus ipſi inter Deputatos conceditur. *Vid.* Nixdorff. *loc. cit.* Locum judicii hujus, anteqvam Deputati conveniant, præparat Capitaneus ejus loci; hoſpitia qvoqve Deputatis diſtribuit, qvod onus graviſſimum Cives illarum urbium ferre oportet.

XXI. Cauſæ pro Tribunali certo ordine ventilantur. Nam triduo ante ſeſſionem primam adeſt Notarius Terreſtris, ut partes litigantes cauſas ſuas hoc triduo inſcribant, & qvi illud dicto triduo facere neglexerint, non poſſunt poſtea admitti. *Vid. Statut. Lithvan. in Appendice.* Rediguntur illæ cauſæ in diſtincta Regeſtra, adeò, ut aliud ſit Regeſtrum cauſarum militarium & expeditiones bellicæ; aliud cauſarum Kapturalium; aliud paritatis votorum: aliud ex qvo judex: aliud cauſarum Palatinalium: aliud cauſarum extrapalatinalium: aliud cauſarum Spiritualium, qvod iterum eſt duplex, nempe vel compoſiti judicii vel mixti fori; aliud Summarii Proceſſus, de qvibus prolixè Dn. Nixdorff. *lib. cit. cap. 4. & ſeqq.* Sed hæc aliqvando mutari ſolent, ut conſtat ex *Conſtit. An. 1670.* ex qva qvàm optimè & varietatem Regeſtrorum, paulo à prædicta diverſam, & ordinem, qvo cauſæ ex Regeſtris illis judicantur, cognoſcimus. Conſtituitur enim ibidem, ut Tribunal Lublinenſe (qvoniam omnium Palatinatuum ad minorem Poloniam pertinentium, cauſæ

causæ intra semestre spacium æstivo tempore dijudicari non poterant) Palatinatus illos dispescat in duas classes, ita ut causas ex Cracoviensi, Sendomiriensi, Kioviensi & Russico Palatinatibus, ut & Districtibus ad Palatinatus illos pertinentibus primo semestri æstivo judicet: altero verò anno itidem intra æstivum semestre causas reliqvorum Palatinatuum ad minorem Poloniam pertinentium expediat, qvò pertinent Volhyniæ, Podoliæ, Belzensis, Lublinensis, Podlachiæ, Braclaviensis, Czernichoviensis Palatinatus cum suis qvisqve Districtibus. Ordo specialis tunc constitutus est seqvens: Primo die Lunæ post Dominicam Conductus Paschæ judicari debent ex Regestro causarum militarium, causæ merè militares, qvò pertinent causæ ex hibernis, vel expeditione publicá ortæ tàm criminales, qvàm civiles. In eodem Regestro comprehendi jubentur causæ remissæ: ex qvo judex: paritatis votorum: Residentiarum: Suspensionum: Functiones Commissionum, Legationumqve in Comitiis decretarum. Hæ causæ continuo cursu judicari jubentur usqve ad d. ult. Maji inclusivè; ita ut ad d. 24. Maji inclusivè causæ enumeratæ Secularium, reliqvis autem diebus usqve ad d. ult. Maji inclusivè causæ Spiritualium ejusdem generis dijudicentur. Deinde d. 1. Julii causæ Palatinales inchoari jubentur, & primò qvidem Palatinatus Cracoviensis, ejusqve Districtuum usqve ad 13. Augusti inclusivè; ita ut causæ Secularium usqve ad d. 5. Aug. inclusivè, spiritualium verò ad d. 13. Aug. inclusivè ventilentur. Eodem ordine causæ Palatinatus Sendomiriensis, postea Kioviensis, inde Russiæ judicari jubentur, ita ut judicia finiantur in Festo S. Thomæ. Causæ verò dictorum Palatinatuum, qvæ intra destinatum cuiqve Palatinatui tempus dijudicari non possunt, limitentur usqve ad aliud Tribunal. Seqventi anno eodem ordine ex reliqvis Palatinatibus primò dijudicari jubentur causæ ex Regestro militari, item ex Regestro Cassandarum, usqve ad ultimam Junii. Postea expediri debeant causæ Palatinales eodem, qvem supra descripsimus, ordine, nempe primò Secularium, deinde Spiritualium. Initium fiebat à Palatinatu Volhyniæ, deinde progrediebantur judices ad causas Palatinatus Podoliæ; inde Belzensis, Lublinensis, Podlachiæ, Braclaviensis, & tandem Czernichoviensis Palatinatuum. Causæ verò, qvæ celerem reqvirunt vindictam, ut blasphemiæ, apostasiæ, Sacrilegii Judaici, qvovis die & mense judicari puniriqve jubentur. Hæc Constitutio tamdiu erat valitura, donec Ordinibus aliud in Comitiis constituere visum fuerit. *Vid. Constitut. An. 1670. fol. 19. seqq.* Subsecuta est deinde, nempe An. 1676. alia Ordinatio Tribunalis, non tantum

tum Lublinensis, sed & Petricoviensis, in duos tantum annos valitura, de qva jam supra egimus num. XVII. Sed qvoniam antea sæpe mentio facta est judiciorum Spiritualium in Summis Tribunalibus, sciendum est, judicia Spiritualium pro Tribunali esse duplicia: alia videlicet COMPOSITI JUDICII, alia MIXTI FORI. Compositum judicium constat in Regno sex Spiritualibus & sex Secularibus Deputatis. In Lithvania qvaternarius est numerus *secundum Constit. An. 1641. fol. 17. fin.* Pertinent eò causæ omnes, qvæ fundos & proventus concernunt Ecclesiasticos, Ecclesias, Conventus, monasteria & Capitula spectantes; item ratione injuriarum excessuumqve personis locisqve religiosis illatarum, ait Dn. Nixdorff. *lib. cit. cap. 8.* Ad forum mixtum pertinent sex Spirituales, & omnes Deputati Seculares. Pertinent huc causæ merè Terrestres, juri & jurisdictioni Terrestri subjectæ, rationeqve Bonorum & injuriarum Terrestrium, nisi qvod inter litigantes, sive ab utrinqve, sive ab alterutra parte sit Clericus, sive persona sacros Ordines habens. *Vid.* Herburt. *Tit. Spirituales L. qvæ causa fol. 452. seqq.* Sed si tantum inter litis comparticipes reperitur Clericus, vel si causa agitari cœpta est cum secularibus, deinde verò Bona devoluta sunt aliqvo jure ad Clericum, tunc illam causam soli judicant Seculares. *ex Constitut. An. 1607. fol.*

fol. 833. seq. Posthæc An. 1670. hoc judicium mixti fori videtur esse restrictum ad causas solum prioritatum & taxationum Bonorum. *Vid. dicta Constit. fol. 20. med.*

XXII. Citationes ad judicium Tribunalitium fiunt sub integro titulo Regio, (ut & Citationes ad Comitia, & Post Curiam) sub sigillo illius terræ, in qva citandus est possessionatus, & in qva causam hanc in Officio Terrestri vel Castrensi cœpit. *Constit. An. 1578. fol. 331.* De Notario Summi Tribunalis in M. D. Lithvaniæ. *Vid. Const. An. 1635. tit. o Pisarzu*, ubi alia adhuc Constitutio de An. 1616. allegatur. Constitutum etiam est *An. 1647. fol. 7.* ut in M. D. Lithv. Deputatus ex illo Palatinatu vel Terra, cujus causæ judicantur, Marschalco assideat, & Decreta simul cum ipso subscribat. *Vid. Constitut. dicti anni tit. o Decretach.* Decreta signantur sigillo illius terræ, ubi Tribunal habetur. Si reus nolit parere Decreto, condemnatur in duplum, qvod *perlucrum* (Lithvani Ruthenico vocabulo *Peresudy* appellant) vocatur. Prior enim condemnatio *lucrum* dicitur. *Vid.* Mart. Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 192.* Si duplum ad certum diem condemnatus non solverit, Præfecti sive Capitanei (Executio namqve Decretorum Castrensi competit officio) in eo territorio, in qvo Reus Bona vel Domicilium habet, opem Actor implorat.

Ex decreto autem Capitanei Bona Rei Actori possidenda traduntur, adjectâ certâ mulctâ, qvod *vadium* vocant, si is prohibuerit. Si iterum id fecerit, duplicatur mulcta, si tertiùm, triplicatur, qvæ vadia duplicata, triplicata vocantur. Cromer. *loc. cit.* Qvamvis per Constit. An. 1670. ultra vadium Capitaneale simplex non detur progressus. *Vid. Const. d. an. n. 21. fol. 23.* Libri causarum pro Tribunali agitatarum traduntur Officio Terrestri loci illius, ubi judicia Tribunalitia exercentur. Qvinimò eædem causæ, qvæ pro Tribunali agitantur, inscribi debent per Notarium Terrestrem libris Terrestribus. Qvamobrem præter Notarium Tribunalis assidet etiam huic judicio Notarius Terrestris, ut & Judex & Subjudex ejusdem loci, votum tamen hi non habent. Et si Termini Terrestres in illo Districtu inciderint, ubi Tribunal habetur, tunc Termini Terrestres tantisper suspendi debent. Qvod si Notarius Tribunalitius vel ante vel intra cursum judiciorum moriatur, habent Deputati potestatem ex medio sui Deputatum aliqvem eligendi, qvi sacramento obstrictus hoc munere fungatur. *Constitut. An. 1616. fol. 43.*

XXIII. De Securitate hujus judicii qvoqve cavetur in sæpius allegata Constitutione de an. 1578. fol. 329. Et Constit. An. 1589. fol. 540. Summa eorum hæc est: Qvi causam pro Tribunali habet, plures qvàm tres Comites secum adducere non potest: Nemini, nisi solis Judicibus operto capite in loco judicii stare, vel sedere licet, nisi qvis fuerit rogatus. Dum vota expediuntur, nemini planè, qvi non est Deputatus, interesse conceditur. Judices verò & Subjudices Terrestres etiamsi suffragio, ut supra dictum est, careant, jurare tamen ipsos oportet super secretis judicii non revelandis. *Nic. Chwalkowsk. lib. III. cap. 4.* Porrò nemini licet locum Judicii intrare cum armis, excepto acinace vel gladio. Nemini præterea conceditur in urbe cum bombarda, per plateas vagari, multò minùs ex eadem displodere. Tandem nemini licet in duellum aliqvem provocare, cùm pœna gravissima in ejusmodi monomachos sit constituta.

XXIV. Qvamvis autem Judicium Tribunalitium sit supremæ instantiæ, adeò ut non liceat inde vel ad Regem vel ad Comitia provocare; aut etiam Decreta Tribunalitia mandatis Regiis vel Comitiorum annihilare. *Const. An. 1638. fol. 16.* Duobus tamen in casibus causæ à summis qvoqve Tribunalibus ad Judicia Comitialia remittuntur. Nimirum (1.) qvando pro Tribunali paritas est sententiarum. (2.) Qvando in Constitutionibus casus, qvi ventilari debet, nondum est decisus. *Vid. Const. An. 1607. tit. 30. & An. 1638. fol. 16.*

XXV. Progredimur jam ad JUDICIA COMITIORUM GENERALIUM. Dividit hæc Theod. Zavvacki feqventi modo. Judicia Comitiorum funt vel Civilia vel Criminalia. I. CRIMINALIA iterum vel funt (1.) *Publica* ad cujusvis delationem Inftigatore accufante, ut funt (*a*) Crimen læfæ Majeftatis, qvod in perfonam Regis committitur machinatione, confpiratione, violatione, conatu, &, qvod abfit, ipfo facto. (*b*) Crimen perduellionis, nempe factæ cum Reipubl. hoftibus confpiration s. Huc pertinent arcanorum concreditorum, caftri feu arcis proditio, Pactorum & Fœderum cum finitimis initorum convulfio, Rebellionis in actum deductio. (*c*) Crimen Peculatus, ut funt Thefauri Regii vel Reipubl. expilatio, monetæ adulteratio, inverfio proventuum Reipublic. &c. (*d*) Crimen violationis Comitiorum generalium vel particularium &c. *Vid.* Zavvacki *in Proceffu tit. ult.* (2.) *Privatorum* funt, homicidia; propinationes venenorum; injuridica punitio capitis fibi æqvalis; inceftus; adulteria & alia plura. *Vid.* Zavvacki *loc. cit.* II. CIVILIA funt etiam (1.) Inftigatoris Regii, qvò pertinent caufæ de Bonis menfæ Regiæ, ex citatione vel remiffione Tribunalis five Curiæ, five Commifforialis judicii; de Bonis nullo jure receptis; de fummis in Bonis Regiis affecuratis; de amiffione Capitaneatus ob non folutionem Qvartæ; de falisfodinarum corruptione; de extorto telonio non privilegiato; de confifcatione Bonorum Nobilium; de Bonis Regiæ Majeftati infcriptis; de caducis Bonorum Nobilium; de non comparitione Thefaurarii vel Deputatorum ad Qvartam percipiendam. (2.) Ex delatione partium funt: de exactione telonei per Nobilem nullum jus ad hoc habentem; de negligentia magiftratuum &c. (3.) Privatorum funt, vel fpiritualia vel Secularia. Spiritualia funt ex remiffione Tribunalis, ut de decimis ex Bonis Nobilium; de profanatione templorum: Secularia funt de facultatibus jurisdictionum; honoribus & Officiis Terreftribus; de incompatibilibus &c. *Vid.* Theod. Zavvacki *loc. cit. Conf. Proceffus Judiciarius in Comitiis An. 1611. conftitutus fol. 2. feqq.* ubi hac de re plura.

XXVI. In Judiciis his feqvens obfervatur ordo: Primò omnium Notarius Terreftris ejus loci, ubi Comitia celebrantur, caufas omnes ad hæc judicia pertinentes, ut Criminales remiffasqve ab aliis Judiciis Regeftro infcribit eodem ordine, qvo partes eas deferunt, deinde tradit Regeftrum Referendariis. Referendarii qvoqve eodem ordine eas judicandas proponunt; Regi tamen licet etiam extra ordinem caufas judicandas admittere. Alias autem caufas ad Comitia pertinentes, ut

ut de Qvarta; de causis Fisci; Bonis nullo jure receptis; de remissis à judicio Regio PostCuriali Notarius Decretorum Cancellariæ Regiæ eodem ordine inscribit, & Referendariis tradit. In Comitiis igitur propositione Regio nomine factâ, votisqve Senatorum expeditis prima Comitiorum hebdomas tota Actionibus Criminalibus dijudicandis impenditur. Finitâ hâc hebdomade diebus Lunæ judicantur actiones Thesauri, Qvartæ, & de Bonis nullo jure receptis; Diebus Martis ventilantur causæ tàm Criminales, qvàm Civiles ex M. Ducatu Lithvaniæ; Diebus Mercurii, Veneris & Saturni iterum Criminales. Diebus Jovis causæ ab aliis judiciis remissæ. In defectu autem aliarum causarum semper judicantur criminales. *Vid. Const. de an. 1578. An. 1589. & præsertim de An. 1641. fol. 8. seqq.*

XXVII. Judices in judiciis Comitiorum sunt Rex & Senatores. Olim aliqvando Rex ad hæc judicia aliqvot Senatores deligebat, qvi qvotidie ferè, festis diebus exceptis, judicabant, ab iis tamen dabatur provocatio ad Regem. Cromer. *lib. II. Descript. Polon. pag. 203. seq.* Deinde extremis Stephani Regis temporibus, cum causa Zboroviorum agitaretur, vel omnes vel aliqvos ex Nunciis Terrestribus in Collegio ipsorum electos Rex censuit admittendos, ut & ipsis æqvitas judicii Regii plana esse, teste Joan. Demetrio Solikovio *in Comment. rer. Polon. pag. 160.* Postea Sigismundus III. constituit An. 1588. ut in causis Criminalibus, qvando de Crimine læsæ Majestatis aut perduellionis ab aliqvo Nobili commisso agitur, admitterentur octo Deputati, iiqve jurati ex Nunciis Terrestribus, qvi judiciis his adessent. *Vid. Const. de An. 1588. init.* Sic etiam An. 1655. cum culpa traditi Moscis Smolensci conjiceretur in Illustriss. Philippum Obuchovicium Palatinum Smolenscensem; ad inqvisitionem Rex admisit ex Nunciis Terrestribus viginti qvatuor, ita ut ex singulis gentibus essent octoni, qvi in præsentia omnium Nunciorum in hoc crimen inqvirerent; & hoc concessum erat in hunc solum actum. *Vid. Const. An. 1655. fol. 2.* Sed postea compertum est, Obuchovicium prorsus fuisse culpæ expertem. Nuper tandem constitutum est, ut non amplius octo, sed duodecim (ex singulis gentibus qvaterni) ad hæc judicia destinarentur. *Constit. An. 1670. num. 9. fol. 15.* In aliis autem judiciis, præter crimen læsæ Majestatis & perduellionis adhuc Rex cum Senatu sine Nunciis judicat.

XXVIII. Judicia hæc Criminalia, præsertim læsæ Majestatis & perduellionis, sæpe magno tumultu agitantur, si Reus est potens. Qvando enim ejusmodi causa agitanda est, citatur Reus per Instigatorem cum scitu Marschalci supremi sex hebdomadis ante Comitia:

tia: Citatio valvis affigitur: Reus voce Præconis de more ter qvaterqve accersitur: Dicto judicii die sæpe locus Comitiorum, qvando Reus est potens, armatis completur, ut factum est in Zboroviorum judiciis, apud Solikov. *in Comment. rer. Polon. pag. 159.* Tunc Instigator (cui Delator adsistit, vel si certa & evidentia sunt contra Reum documenta, etiam sine Delatore) causam proponit: Reus, qvi non nisi viginti ad summum viris (in qvibus & amici & ministri censentur) comitatus, urbem ipsumqve locum judicii intrare potest, aut ipse per se causam agit, aut Patronum causæ sibi dari postulat, aut eum amici defendunt. Qvando Senatores & Nunciorum Deputati sententias dicunt, Rex absens est. (qvod etiam ex antiqvioribus Constitutionibus repetitur in Actis Electionis Sereniss. Regis Michaëlis.) Postqvam ex pluralitate votorum in absentia Regis decretum stetit, tunc præsente ipso Rege publicatur ex scripto per Marschalcum supremum, qvi etiam jure victos præsentes vinculis mancipari & capitis damnatos extremo supplicio affici jubet. *Vid. Const. An. 1588. in pr.* & Christoph. Varsevic. *lib. II. de opt. Statu Libert. pag. 218.* Aliàs executio Decreti Capitaneo, cui aliqvis Nobilis additur, demandatur; & si unus Capitaneus non sufficit, & vicinus accersi solet. Non rarò etiam jure victi, si sint absentes, proscribuntur sive banniuntur. Proscriptionis verò vis est hujusmodi, qvod is, qvi ei addictus est, intra fines Regni degere prohibetur, alioqvin à qvolibet impunè occiditur. Magistratus omnes, in qvorum ditiones divertit, eum tenere, & ad capitis pœnam servare obligantur, *ait* Piasec. *in Chron. fol. 15.* Supplicio tamen Magistratus non possunt damnatum eo modo captum afficere, sine informatione Regia. Piasec. *l. c. fol. 16.* Proscriptis verò non rarò in Comitiis literæ securitatis dantur. Et hactenus de judiciis Comitiorum.

XXIX. Cùm multa reperiantur in Polonia, atqve in M. Duc. Lithvaniæ contributionum genera, ut supra cap. II. num. VIII. diximus, peculiaria qvoqve judicia his sunt destinata. Antea qvidem in ipsis Comitiis solebant à Qvæstoribus rationes exigi, ne fraude & dolo publica illa pecunia in privatos usus converteretur. Sed cùm ob alia negotia rationibus his exigendis Rex in Comitiis vacare non posset, constitutum est An. 1613. certum judicium, qvod dicitur TRIBUNAL THESAURI. Locus, ubi hoc judicium ordinariè in Regno exercetur, est Radomia oppidum, unde etiam appellatur TRIBUNAL RADOMIENSE. In Magno Ducatu Lithvaniæ est Vilnæ. Judices hujus Tribunalis sunt, præter Thesaurarios, aliqvot Senatores in Comitiis

mitiis Regni generalibus ad hoc negotium electi, ut & ex ſingulis,& qvibusdam Terris (ut Dobrinenſi, Vielunenſi, Chelmenſi,Haliċienſi) ſinguli Nuncii Terreſtres,itidem in Comitiis electi. In Maſoviæ, Podlachiæ & Ravenſi Palatinatibus,qvoniam multæ reperiuntur terræ, alternatio obtinet in Deputatorum electione, ita ut ſemel ex una Terra,& deinde ex alia terra eligantur. In Maſovia verò præter alternatam illam An. 1674. miſſus eſt unus ex Generalatu,ut vocant. *Vid. Confœd. generul. An. 1674. fol. 26.* In Magno Ducatu Lithvaniæ tantum ex Palatinatibus, non verò ex Diſtrictibus ſinguli eliguntur. Vocantur hi judices Deputati. *Vid. Conſt. An. 1613. fol. 7. An. 1633. fol. 22.* Aliqvando verò in Comitiis non niſi Senatores nominantur,ex Nobilitate autem ſinguli jubentur eligi in particularibus cujusqve Palatinatûs Conventibus PoſtComitialibus,ut factum eſt An. 1638. *Vid. Conſt. d. an. fol. 24. An. 1670. fol. 17. 18.* Salaria Deputatis his in Comitiis electis ex theſauro asſignantur,Senatoribus præter propter mille floreni, *ut in Conſt. An. 1670. fol. 43.* Aliis ex Ordine Eqveſtri ducenti floreni, ut eſt in *Conſtit. 1654. fol. 4. An. 1655. fol. 22.* Sed An. 1658. conſtituti ſunt 250. floreni. *Vid. Conſtit. d. anni.* Deinde An. 1674. conceſſi ipſis ſunt 300. floreni. *Vid. Confœd. generalis dicti anni fol. 26.* Qvando autem Deputati ex Nobilitate

tate in Comitiolis à fratribus eliguntur, tunc etiam Nobilitas illis ſalarium determinat. *Conſtit. An. 1638. fol. 24. An. 1670. fol. 17. 18.* Judicantur in hoc Tribunali omnes Qvæſtores,Contributionumqve exactores: Capitanei qvoqve, qvi poſt exactionem pecuniam theſauro non intulerunt. Item Mercatores aliiqve,per qvos qvomodocunqve theſaurus damnum paſſus eſt. Ventilantur etiam hic cauſæ de Qvarta,ut & aliæ. *Vid. Conſtit. An. 1655. fol. 22. ſeq.* Tempus horum judiciorum non eſt certum, ſed ſemper determinatur in Comitiis; eſtqve pro ratione temporis vel duarum vel trium hebdomadarum. Neqve ſtatum tempus eſt conſtitutum,qvando ſive qvo anni tempore illud judicium debeat exerceri; ſed qvovis tempore neceſſitate exigente in Comitiis poteſt determinari. Cætera eodem fermè ſe habent modo,ut in ſummis Regni, & M. Duc. Lithvaniæ Tribunalibus. Confluentibus enim Deputatis,Capitaneus illius loci hoſpitia diſtribuit. Conſtit. An. 1649. menſ. Octobr. fol. 139. Anteqvam Judicia illa inchoëntur, præſtant Deputati Jusjurandum de juſtè judicando ſecundum formam An. 1613. deſcriptam, hoc tantum addito, qvod ipſi Deputati jurantes cum ſubditis ſuis nihil Contributionum debeant. *Conſt. An. 1667. fol. 7. ſeqq.* Eadem qvoqve ſecuritas eſt horum judiciorum, qvæ ſummorum in

in Regno & M. D. Lithvaniæ Tribunalium. Sed & præter hæc judicia Thesauri generalia, in singulis qvandoqve Palatinatibus ejusmodi judicia Thesauri solent institui, ut factum est An.1658. *Vid. Const. fol. 3. & 37. seq.* Confirmantur hæc *in Const. de An. 1659. fol. 33. item An. 1661. An. 1662.* Deinde An. 1667. additur, ut in singulis Palatinatibus hæc judicia exerceant Officiales Terrestres, additis à Nobilitate in Particularibus Comitiis congregata, dummodo illi non sint Contributionum Exactores. *Vid. Constitut. An. 1667. fol. 18.*

XXX. Affine huic illud judicium est, qvod appellari solet COMMISSIO AD EXSOLVENDA MILITIBUS STIPENDIA, imò aliqvando cum Tribunali Radomiensi conjungitur, ita ut iidem eligantur Commissarii (Sic judices hujus judicii vocantur) qvi & Deputati, ut discimus *ex Constit. An. 1658. fol. 5. 6. 7. An. 1659. An. 1653.* Aliqvando etiam licet per eosdem Judices hæc Judicia exerceantur, diversis tamen hoc fit temporibus, ut patet ex *Constit. de An. 1662.* Judicantur hic milites, qvi pecuniâ acceptâ in Castris non comparuerunt, qvi injurias & damna Bonis Nobilium aliorumqve intulerunt, & qvæ sunt reliqva talia. Assident his Judiciis Duces Belli, item Commissarii ex Senatu in Comitiis, & ex Nobilitate, vel in Comitiis, vel in particularibus Conventibus, eodem modo, ut supra

pra diximus, electi. Exercitus qvoqve duos ex suo numero eligit, qvi judiciis his intersint. *Videantur supra citatæ Constitutiones.*

XXXI. Habet qvoqve Generalis Exercituum Dux sua JUDICIA MILITARIA, in milites sibi subjectos, in qvos, pro gravitate delicti, potestatem animadvertendi habet, ne disciplina militaris collabatur. *Vid. Theod. Zawacki in Speculo, sub Tit. Exercituum Regni generalis. Et in Compendio Statutorum & Constitutionum Part. 5. tit. 4.* Limitata tamen est ejus potestas in qvibusdam per Commissiones illas, de qvibus superiore numero egimus, ut & per judicia Tribunalitia, ubi statim ab initio causæ militares judicantur.

XXXII. JUDICIA MARSCHALCALIA exercet supremus Marschalcus, & in ipsius absentia Marschalcus Curiæ, in omnes Aulicos, tàm Regis, qvàm Senatorum in Aula Regia degentium. Pertinent huc & advenæ, qvi in loco, ubi aula Regia est, commorantur. Item illi, qvi contra Statuta Marschalci de preciis rerum delinqvunt. Extendit se jurisdictio Marschalci non solùm ad Aulam Regiam, sed etiam ad Comitia, ut jam supra dictum est. *lib. II. cap. 1. & 2.*

XXXIII. JUDICIUM CAPTURALE, qvod sub tempus Interregni habetur, est duplex. Aliud enim est generale, de qvo jam supra

supra *lib. II. cap. 1. num. 9.* actum est. Hic tantum addimus, Judices Capturalis judicii generalis obstringi jurejurando, qvod Judices Tribunalitii præstare solent; item decreta in iis secundum pluralitatem votorum ferri. *Vid. Confœderatio generalis de An. 1648. fol. 9.* Aliud est particulare in singulis Palatinatibus. Assessores Capturalis judicii omnium Nobilium in Conventibus Particularibus sub initium Interregni congregatorum consensu, nulloqve contradicente eliguntur, obstringunturqve jurejurando rotâ judicii Tribunalitii coram judicio Terrestri. Citationes sub hoc titulo scribuntur: *Nos Proceres Palatinatus Cracoviensis* &c. Sententia ex pluralitate votorum pendet. Judicant verò Judices illi Capturales causas ad qvatuor articulos castrenses pertinentes, de qvibus supra num. 9. Item omnes causas facti violenti & personalis injuriæ, liqvidarum exemptionum &c. prout in confœdarationibus exprimi solent. Non judicant autem civiles causas & cognitiones jurium, neqve causas Bonorum immobilium, neqve finium regundorum. Neqve causas jam in aliis judiciis ventilatas, vel saltem cœptas, neqve tandem causas Fisci: Ea namqve judicia sub tempus Interregni prorsus cessant. *Vid. Constit. An. 1633. fol. 10.* Ast An. 1676. approbantur etiam judicia in causis Fisci exercita. *Vid. Confœderatio ejus Anni fol. 12.* Cessant judicia Capturalia particularia in singulis Palatinatibus & Terris, tribus hebdomadis ante Comitia Electionis (qvoniam tunc Nobilitas ad Electionem novi Regis confluit) in ipsa electione (qvoniam tunc in Comitiis Nobilitate congregatâ Judicia Capturalia generalia habentur) & tribus hebdomadis post Comitia Electionis secundum morem antiqvum. *Vid. Acta Electionis Vladislai IV. Conf. & Confœderatio An. 1674. fol. 6. 7.* Resumpta post Electionem judicia Capturalia particularia continuantur usqve ad Coronationem Regis, ultra initium verò Coronationis extendi non possunt. Causæ in his judiciis agitatæ, necdum verò appropinqvante Coronatione executioni datæ, judicio Castrensi committuntur. Cœptæ verò causæ & nondum decisæ pro Tribunali ante omnes alias causas ex peculiari Regestro, de qvo jam supra num. XXI. diximus, judicantur; Pœnæ qvoqve eædem irrogantur, qvæ in Capturalibus Judiciis sunt descriptæ. *Vid. Const. An. 1633. fol. 10. An. 1649. fol. 12. An. 1676. fol. 12.*

XXXIV. Sed pergimus jam ad judicia, qvæ in Civitatibus & pagis exerceri consveverunt. In Civitatibus & pagis habitant, vel Christiani, vel Judæi, vel (ut in Lithvania) Tartari. Christiani in urbibus & oppidis habent suos Magistratus, qvi ipsos judicant aut secundum Jus Magdeburgense sive Saxoni-

cum:

cum: aut secundum jus Culmense, ut in plerisqve Prussiæ Regiæ Civitatibus: aut secundum jus Lubecense, ut in Prussia Elbingæ, Brunsbergæ, Frauenburgi, ut in Dissertatione nostra de Originibus Juris Prussici docuimus. *Conf.* Czaracki *in Processu Judiciario Part. 1. tit. 2.* In his judiciis, si qvis gravatum se sentit, conceditur ulterius Provocatio ad judicium post Curiam, de qvo postea agemus. In Prussia verò non una est appellationum ratio. In Majoribus enim Civitatibus prima instantia est in judicio Scabinorum; Secunda in Senatu civitatis, & tertia apud Regiam Majestatem: In minoribus autem Civitatibus prima instantia est in judicio Scabinorum; inde appellatio datur ad Capitaneum illius loci; si verò 50. marcas excedit causa, à Scabinis dabatur provocatio ad Conventum generalem Prussiæ, & inde ad Majestatem Regiam. *Vid. Jus Culmense novissimè revisum lib. II. tit. 22. cap. 6.* Sed hodie cùm Conventus Generales Prussiæ non habeantur, tres tantum sunt instantiæ in Minoribus etiam Civitatibus. Aliàs & hoc notandum est, non in qvibusvis causis admitti appellationem à judiciis Civitatum Prussicarum, neqve à qvavis summa pecuniæ, ut ex peculiaribus harum Civitatum Privilegiis liqvet. *Vid. Jus Publicum Dantiscanum Dn. Eliæ Constantii von Trewen Schroder. lib. I. tit. 2. cap. 38. & lib. II. tit. 10. per totum. Reinholdi Curike Chronicon Dantiscanum lib. 2.* JUDÆI in urbibus & oppidis Regiis judicantur à Palatinis. *Vid. Constit. An. 1662. fol. 9.* Nec possunt Judæi provocare à suis Palatinis, nisi causa excedat centum florenos. *Constit. An. 1633. fol. 37.* Sed illi Judæi, qvi in Civitatibus aut pagis Nobilium habitant, in eos jurisdictionem habet Dominus ejus loci. *Vid.* Theod. Zawacki *in Flosculis Legum tit. Judæi.* Tartari in Lithvania aliisqve locis non habent propria judicia, sed judicantur in judicio Castrensi. *Constitut. An. 1611. fol. 47.* Si verò habent Bona Terrestria, conveniuntur etiam ratione Bonorum in judicio Terrestri, Tribunalitio, & aliis. *Constit. An. 1607. fol. 862.* Qvamvis in posterioribus Constitutionibus cautum sit, ne Tartari sibi Bona Terrestria acqvirant, etsi qvæ sibi acqvisiverunt, ut intra certum tempus ea Nobilibus vendant. *Const. An. 1616. fol. 45.*

XXXV. A judiciis oppidanis, ut superiore numero diximus, datur Appellatio ad Judicium Regium, qvod vocatur POST CURIAM. Illud autem duplex est. Aliud enim est Assessoriale, aliud Relationum. I. In ASSESSORIALI JUDICIO Præses est Cancellarius supremus, vel eo absente Procancellarius: Assessores sunt Referendarii, Notarius Decretorum Curiæ Regni, & Secretarii Regii ad id delecti. Agitantur hic causæ, qvæ à Civita-

vitatum Judiciis huc devolvuntur. Item datur huc Appellatio à judicio Palatinali, qvando Christianus cum Judæo litigans gravatum se sentit. Sed & aliæ multæ Controversiæ hic agitari solent, ut Causæ Fisci, sive Causæ ex proventibus Bonorum mensæ regiæ ortæ. *Constit. An. 1647. fol. 2. seq. Conf. Johan. Nixdorff. in Process. Judiciario Poloniæ & Prussiæ Regalis Part. 1. sect. 2. cap. 4.* II. In JUDICIO RELATIONUM præsidet ipse Rex, assidentibus Senatoribus & Referendariis, qvorum alter primò Statum, post hæc decisum causæ refert. Ventilantur hic causæ à Judicio Assessoriali devolutæ, estqve judicium ultimæ instantiæ. Aliqvando tamen provocatio interponitur ad Comitia Regni, præsertim cùm agitur de Bonis, qvæ Possessor jure hæreditario se possidere docet, vel de validitate Summæ in Bonis Regalibus inscriptæ, vel qvando actio afficit Proventus Reipubl. nempe Qvartam partem, disceptaturqve de lustratione seu Revisione. *Vid. Nicol. Chwalkowski lib. III. Jur. Publ. Polon. cap. 3.*

XXXVI. Dantur verò in Polonia adhuc alia Judicia, qvæ dicuntur mixta, qvoniam diversorum judiciorum judices in iis concurrunt. Et qvidem JUDICIUM PALATINALE & CAPITANEALE simul est, qvod PræConsulem judicat Constitutiones de prețiis rerum non exseqventem. Citatio mittitur

tur sub Titulo Palatini & Capitanei. *Theod. Zawacki in Processu Judiciario tit. 2.* Locus autem Præconsuli præfigitur à Palatino in Prætorio Civitatis primariæ sui Palatinatus. *Zawacki in Speculo Senatorum sub tit. Palatinatus.* Deinde JUDICIUM CAPITANEALE & CIVILE simul est, qvando Capitaneus vel ejus Officium Nobilem ob privatum Crimen juxta Statutum Thorunienſe in Civitate captum cum Officio Civili judicat. Cavetur verò *in Constit. An. 1633. fol. 24.* ne Cives cum solo Notario Castrensi hoc judicium exerceant; sed ut aut ipse Capitaneus aut ViceCapitaneus ab illo missus judicio intersit. *Conf. Chwalkowski lib. III. cap. 5. & 6.*

XXXVII. Expositis Judiciis Secularibus, pauca etiam de JUDICIIS ECCLESIASTICIS subjiciemus. Judicant in Polonia Episcopi vel eorum Officiales de Institutis & Ritibus Religionis, de hæresi, schismate, Magia, Incantationibus, fœnore, Sacerdotiorum cauponatione, qvam Simoniam vulgò vocant; de decimis, Censibus ac Reditibus Ecclesiasticis; de cæde, vi & injuria sacris initiato homini, reive aut loco sacro, seu Sacerdotii fundo illata. Ad hæc de jure Patrocinii sive Patronatus & de Sacerdotiorum jure qvævis controversiæ, itemqve de jure Matrimonii & Natalium, & de miserabilium egentium personarum injuriis, qvæqve ex obligatione in

in foro Ecclesiastico facta oriuntur. Testamentariæ causæ profanorum hominum in hoc æqvè ac profanis foris disceptantur, dummodò extra judicia testamenta sint condita, aliàs in foro disceptantur, in qvo sunt condita, nisi qvid fortè legatum fit pietatis ergò, & ad piam causam, hoc est, templis, Ecclesiarumve Ministris aut egenis, qvæ causa propria est Ecclesiastici judicii. *Vid. hac de re Constit. Sigismundi I. An. 1543. & Cromer. lib. II. Descr. Polon. pag. 179. seq.* Ab Episcopis datur Provocatio ad Archiepiscopos, & qvidem ad Leopoliensem ex Præmisliensi, Chelmensi, Camenecensi, Luceoriensi & Kioviensi Episcopatibus, ex reliqvis ad Archiepiscopum Gnesnensem. Sed & ab Archiepiscopo Leopoliensi provocationes admittuntur ad Archiepiscopum Gnesnensem, ut ad Legatum natum, hinc ad Pontificem Romanum. Executio in sacri Ordinis homines competit Episcopis; in Seculares verò aliis Magistratibus Secularibus. *Vid. Martin. Cromer. loc. cit. Conf. Joan. Januszov. lib. II. Constit. Part. 6. tit. 1. seqq.*

XXXVIII. Tandem notandum est ad judicia Spiritualia pertinere & JUDICIUM NUNCIATURÆ, qvod exercet Nuncius Apostolicus, eam ob rem in Polonia residens; qvamvis non desint, qvi ea judicia Legato Nato competere existiment. Anteqvam verò

verò ille judicia Nunciaturæ incipiat, solet in recognitionem Supremi Domini præsentare breve Apostolicum Legationis suæ Regiæ Majestati atqve principalibus Regni Ministris & alicui ex primis Senatoribus Secularibus ad latus Regium residenti. *Vid. Nicol. Chwalkowski lib. III. cap. 1. cap. 149.*

CAP. VIII.

De Militia Polonorum.

I.

Non dubium est, qvin à primis Polonici Regni incunabulis Principes Polonorum in bellum profecturi subditos suos nobiliores excire soliti sint, ut Patriam ab hostibus defenderent, aut etiam limites imperii ulterius proferrent. Hinc etiam Nobiles in Polonia (eodem modo ut apud alias gentes olim) dicti sunt Milites, ut ex variis Privilegiis potest probari. Præsertim notanda sunt verba Sigismundi Augusti ex Constit. de An. 1550. *Qvia*, inqvit ille, *Ordo militaris primas Partes in Regno hoc habet, nullus debet esse in Consilio nostro, nisi ex militari genere, tàm spiritualis, qvàm secularis.* apud Joan. Januszov. *lib.*

lib. III. *Constit. Part.* 1. *tit.* 1. *fol.* 269. Postea vox milites degeneravit in Eqvites, qvod etiam vocabulum militare apud Polonos hodie freqventissimum est. Fuit autem hoc militiæ genus antiqvis temporibus simplicissimum, nullisqve legibus circumscriptum, cùm omnia à nutu & voluntate Principum penderent. Sed ubi libertas, præsertim susceptá Religione Christianâ augeri cœpit, necessariæ visæ sunt leges, qvibus hæc militandi ratio definiretur. Hinc jam sub Boleslao Chrabri primo Polonorum Rege primùm legimus descriptam esse Eqvitibus Polonis militandi rationem per regiones atqve tractus, sive Palatinatus & districtus: ita ut ex præscripto certum armatorum numerum qvilibet Palatinatus è ditione sua ad expeditionem à Rege indictam educeret. Oppidanis qvoqve pedites & currus onusti commeatu ad numerum imperati sunt. Sed hæc arbitraria abusu qvodam postea facta sunt, magno Reipubl. detrimento. *Vid.* Joan. Dlugoss. *Tom.* 1. *lib.* II. *Hist. Polon. fol.* 141. *ad annum* 1008. *& fol.* 150. Mart. Cromer. *lib.* III. *fol.* 445. Qvamvis & jam antea Semovitus Piasti filius qvosdam Militum Ordines constituerit. *Vid.* Dlugoss. *lib.* I. *fol.* 82. Et hæc est illa MOTIO GENERALIS (Polonicè vocatur *Pospolite Ruszenie*) sive Expeditio generalis, qvæ adhuc hodie in usu est, & in qva Nobilitas propriis sumptibus militare cogitur, cujus ordinem nobis exhibet Constitutio de An. 1621. qvæ in multis aliis seqventium temporum Constitutionibus approbatur, nisi qvod semper qvædam necessitate exigente addantur, vel etiam immutentur.

II. Ad hanc Motionem sive Expeditionem generalem evocantur I. Omnes Nobiles possessionati tàm privati, qvàm in dignitatibus constituti, paucis exceptis, qvos infra enumerabimus. *Vid. Constit. An.* 1621. *fol.* 7. & Statutum Lithvanicum *cap.* 2. *art.* 1. Deinde II. Nobiles non possessionati, qvi in urbibus ex fœnore vivunt, idqve sub pœna confiscationis Bonorum. *Const. An.* 1578. *fol.* 335. III. Cives Bona terrestria possidentes, ex Constit. Alexandri An. 1505. Inter Cives autem, qvi Bona terrestria possidere possunt, sunt Cracovienses & Vilnenses, item qvi non ita pridem Cracoviensibus exæqvati sunt, Leopolienses. *Vid. Constit. An.* 1667. *fol.* 30. IV. Qvi Bona terrestria jure emphyteutico possident, aliiqve Arendatores, aut ipsi proficisci, aut cum iis, qvorum sunt Bona, comitatum justum mittere debent. *Constit. An.* 1621. *fol.* 8. V. Tenutarii Bonorum Regiorum, qvæ vel à Rege habent, vel Bonis terrestribus venditis ea sibi coëmerunt. *Const.* 1621. *fol.* 9. VI. Advocati omnes sive Sculteti Seculares. VII. Præter hos etiam Sculteti sive Advocati Bonorum

Ecclesiasticorum ad Bellum proficisci jubentur ex decreto Casimiri M. An. 1347. qvod Statutum ex Regestris Cancellariæ primus protulit Jacobus Prilusius, teste Stanislao Lubienski *in Respons. ad Protestat. Dignitarior. fol. 210.* Hoc Statuto commotus Sigismundus I. constituit An. 1528. ut si probatum fuerit Scultetos Spiritualium & Secularium teneri ad Expeditionem Bellicam, ut illud etiam fiat. Tandem An. 1544. probatâ forsan jam re idem Sigismundus omnes Scultetos & Regios, & aliorum Spiritualium, & Secularium, jussit huic oneri subjectos esse. Vid. hîc omninò Lubienski *loc. cit.* VIII. In summis Reipubl. periculis etiam Cives in urbibus habitantes, aut ipsi in bellum proficisci, aut alios pro se mittere obligantur, si illud in Comitiis decretum fuerit, ut habetur in Statuto Lithvanico *cap. 2. art. 1.* Sed hoc nonnisi in summis, ut dixi, periculis locum habet. Aliàs qvid ordinariè obtineat, jamjam dicetur.

III. Qvoniam autem justus exercitus peditatu destitui non potest, sunt etiam, qvi ad expeditionem hanc generalem pedites mittunt. Et qvidem primò in Bonis Regiis novendecim coloni, ut vigesimum justis armis instructum mitterent, & onera omnia interim pro ipso ferrent, constitutum est à Stephano Rege, *An. 1578. fol. 342.* qvod confirmavit Sigismundus III. *An. 1590. fol. 571.* Deinde specialius hoc explicatur, constituiturqve, ut ex viginti lanis seu mansis unus mittatur miles, acinace, bombardâ & securi armatus. *Const. An. 1595. fol. 663.* Repetitur hæc lex in seqventium annorum Constitutionibus non rarò. Sed cum hujus militis nullus fermè usus esset, constitutum erat An. 1649. ut loco militis ejusmodi coloni 60. florenos penderent, qvos Capitaneus simul cum Qvarta Ravam transferret. *Vid. Constit. dict. an. fol. 2.* Sed neqve hoc postea placuit Ordinibus, reducta itaqve est lex vetus de milite lecto, *in Constit. An. 1652. fol. 7. seq. An. 1653. fol. 9. An. 1662. fol. 15.* Ne verò hic dolus aliqvis intercederet, jussa est Nobilitas in Particularibus Conventibus lustratores lanorum & Capitaneos horum militum eligere. *Const. An. 1652. & 1653.* Antea revisio lanorum fuerat commissa Officio Terrestri. *Vid. Constit. An. 1647. fol. 2.* Postea indultum est Nobilitati, ut Capitaneos Militum horum in Conventibus Particularibus electos singulis trienniis mutare posset. *Constit. An. 1662. fol. 15. seq.* Deinde in urbibus & oppidis Cives secundum jura & privilegia sua subministrant currus & eqvos, & alia ad bellum necessaria. *Constitut. An. 1621. fol. 12.* Imminentibus verò Majoribus Reipubl. periculis, majora qvoqve Reipublicæ parantur subsidia, nihil tamen certi in legibus determinatum est. An. 1621. coacti sunt

sunt Cives pro facultatibus suis milites expedire, ita ut Civis ab octo millibus floren. eqvitem, & à qvatuor millibus peditem mitteret. *Vid. Constitut. dict. an.* Deinde An. 1655. ex omnibus Bonis Regiis & Nobilium, solis Bonis Ecclesiasticis exceptis, lecti fuerunt pedites. *Vid. Const. d. an. fol. 5. seq.* Superiore anno ex omnium Ordinum Bonis, Regiis, Oeconomicis, Terrestribus & Spiritualibus ex singulis viginti octo fumis i. e. habitationibus, unus miles consvetis cum armis expediri jubebatur, *in Const. An. 1676. fol. 13.* Hi milites dicuntur Polonico vocabulo *Wybrancii* i. e. lecti.

IV. Sunt tamen, qvi, aut ex toto, aut ex parte, ab hac expeditione generali sunt immunes. Referuntur huc I. illi, qvi non per se, sed per alios militant. Sic viduæ, orphani, minorennes, senes, ægroti, per necessarios vel alios Nobiles militant. *Constit. An. 1621. fol. 7.* De ægrotis præcipuè statuitur in Lithvania, ut, cùm non possunt ipsi per se in bellum proficisci, indicent morbum suum vexillifero, alisqve tribus Nobilibus, ne fraus aliqva subsit, & tunc ipsis conceditur, ut pro se alios mittant. *Statut. Lithvan. cap. 2. art. 11.* Sic etiam Castellanos, qvi ipsi morbo impediti in suis Districtibus Ordines non ducunt, oportet postea jurare cum sex aliis testibus possessionatis illius districtus, qvod verus fuerit morbus.

Const. An. 1658. fol. 20. (21.) Item An. 1621. concessum etiam illis est, qvi studiorum causa absunt, ut alios pro se mittant. *Const. An. 1563. fol. 263.* Similiter & Paterfamilias potest pro se mittere filium nondum emancipatum, si fuerit octodecim annorum, ita tamen, ut hoc prius indicet Vexillifero, & hic iterum Exercituum Duci. *Constit. Casim. An. 1454.* Statut. Lithvan. *cap. 2. art. 1.* Porrò Spirituales personæ in Regno ex Bonis tantum sibi hæreditariis, & in alios hæredes transmittendis, alios Nobiles expediunt: sed ratione Bonorum Ecclesiasticorum prorsus sunt immunes. *Constit. An. 1607. 1621. fol. 7. 1635. tit. Ordinacya Rzeczy pospolity.* Ast in M. Duc. Lithvaniæ & ex Bonis hæreditariis, & Ecclesiasticis mittere ipsos oportet, qvæ diversitas notatur in Statuto Lithvan. *in Additamentis ad cap. 2. art. 9.* Deinde II. sunt etiam ex parte ab hac militia exempti, qvi diversis in Districtibus vel Palatinatibus Bona Terrestria possident. Nam hi, qvando uno in loco sub signis eunt in bellum, ex aliis Bonis aut prorsus nihil mittunt, *ut An. 1621. fol. 7. seq.* aut etiam tantum postas ex iis expediunt, ut aliis in Constitutionibus determinatur. III. Nobiles pauperiores itidem hîc qvodammodo sublevantur. Nam plures ad unum Eqvitem armandum concurrunt, præsertim in Masovia. *Vid. Const. An. 1634. 1637. Confœderatio de An. 1674. Constit. An.*

An.1676. Fratribus qvoqve nondum divisim Bona terrestria possidentibus licet unum tantum fratrem idoneum mittere. *Const. An. 1621. fol.8.* IV. Qvi in Comitatu Regio sunt, ut ministri, Senatores Residentes, Legati bellici, Referendarii & alii, eunt qvidem cum Rege in Bellum; sub signis tamen Palatinatuum suorum comparere non coguntur. *Constit. An.1621. fol.7.* Aliqvando etiam, si contingat Regem ad expeditionem generalem non proficisci, prorsus sunt ministri Regii immunes. *Vid. Const. An.1658. fol.29. An.1655. fol.6.* V. Ministri Aulæ Reginalis, item aulæ Archiepiscopi Gnesnensis, qvandoqve etiam Episcopi Cracoviensis, Thesaurarii, aliorumqve, qvorum operâ Respublica in aliis negotiis opus habet. Præcipuè Legati cum omnibus ministris suis planè liberi sunt ab ejusmodi expeditionibus, ita ut ne postas qvidem ex bonis suis expediant. *Const. An.1655. fol. 6.* Præterea Capitanei in finibus Regni in arcibus sibi concreditis ad defensionem Provinciæ remanent. Statut. Lithvan. *cap. 2. art. 3.* In reliqvis Poloniæ terris ViceCapitanei arcibus defendendis & juri dicundo domi relinqvuntur. *Constit. An.1621. fol.9.* Tribuni qvoqve simul cum ViceCapitaneis in arcibus resident, excipiunturqve ab hoc onere generalis motionis. *ibid. fol. 7. & 9.*

V. Sed habent qvoqve Provinciæ nonnullæ

circa motionem generalem peculiaria jura & Privilegia. In Plocensi & Masoviæ Palatinatibus fratres disjuncti sex unum mittunt militem, secundùm Confœderationem de An.1674. Illi tamen, qvi proprios habent subditos, ipsi per se militant. In Palatinatu Podlachiæ & terra Lukoviensi secundùm jura & Privilegia ex decem lanis sive mansis unus mittitur eqves benè armatus. *Const. An.1676. fol. 12.* Habent qvoqve Kioviensis, Braclaviensis & Czernichoviensis Palatinatus hîc pecularia Privilegia, qvæ ipsis confirmantur An.1676. *loc. cit.* Palatinatus Podoliæ secundum jura antiqva in expeditione generali ad Cameneciam consistit sub Ductore suo. *Constit. 1667. fol. 12.* Tandem Prussi in Expeditione generali non nisi ad Vistulam, Ossam & Drevanciam progrediuntur, vigore Privilegii Culmensis An. 1251. concessi, qvod etiam confirmatur in Constit. *An.1659. fol.10. & An.1676. fol. 12.* Hæc omnia, qvæ hactenus recensuimus, adeò strictè observari volunt leges, ut nisi in Comitiis Regni generalibus hic vel ille excipiatur, (qvod non raro fit) neqve Rex ipse possit aliqvem ab hoc onere eximere. Statut. Lithvan. *cap. 2. art. 3.* Pœna verò absentium est confiscatio Bonorum, qvæ impendi jubentur in solutionem stipendiorum militarium. *Constit. An. 1676. fol. 12.* Conf. Joan. Janusz. *lib. VI. Const. Polon. tit. II. ubi leges reperiuntur*

tur antiqviores. Qvoniam autem omnis Nobilitas Polonica ad Expeditionem generalem excitur, ideò omnia Nobilium judicia eo tempore cessant. *Constit. An. 1634. fol. 3.*

VI. Ex his omnibus tantus conflari potest exercitus, ut, si ordo accedat debitus, vel maximis gentibus sub jugum mittendis sufficere posse videatur. Olim Basko Historicus Polonicus (nondum editus) scripsit, sub Boleslao Chrabri ex solo Lenciciensi Palatinatu Nobilium cataphractorum duo millia, & aliorum cum fundis qvatuor millia exciri potuisse, apud Bartholom. Paprocki *in Opere Stemmatum fol. 708.* De hodierno tempore hæc habet Illustriss. Fredro: *Asserunt nonnulli CCCXL. vel ultra, millia eqvitum potuisse aliqvando numerari, cum mota sedibus suis sub signis stetit Nobilitas.* Ipse tamen Fredro putat ducenta millia, aut parum ultra, posse numerari. *in Hist. Henrici pag. 20. seq.* Consentit cum his Simon. Starovolsc. *in Descript. Polon. pag. 200. seqq. & p. 287.* De peditibus verò illis Starovolscius dicit: *Imbellis hæc peditum turba non ita ad pugnam, qvàm ad labores castrenses evocatur, ut nimirum fossas, dum opus est, fodiant, vallum excitent, pontes construant, vias sternant, tormenta & impedimenta bellica conducant, atqve demum castra ipsa custodiant.* Hæc ille p. 276.

VII. Jam progrediendum nobis & ostendendum est, qvo Ordine hæc tanta Populorum moles sedibus suis moveatur. Expeditionem hujusmodi generalem Rex indicere non potest, nisi id fiat omnium Ordinum consensu. Consultat autem prius Nobilitas ea de re in Conventibus antecomitialibus, postea si Motionem ejusmodi generalem in Comitiis generalibus per Nuncios suos approbat, tum demum rata esse solet. *Const. An. 1576. fol. 254.* Promisit etiam Sigismundus I. An. 1538. se Expeditionem generalem non indicturum nisi in maximo Reipubl. periculo. *Vid.* Januszov. *lib. VI. Constit. Polon. tit. 1. fol. 691.* Approbatâ sic ab omnibus Ordinibus expeditione generali, ingruentibus periculis, evocat Rex antiqvo more Nobilitatem, dimissis qvoqvo versus per præfecturas literis sigillo Regni, vel M. Duc. Lithvaniæ consignatis (moderno Regi Sereniss. Joanni III. ante coronationem concessum erat, sub sigillo camerali, qvod Augustus Rex testante Varsevicio primùm introduxit, Nobilitatem convocare, qvod pro illa vice tantum currere debuit. *Vid. Acta Electionis in Denunciatione Regis electi.*) Literæ deinde in pertica resti (unde etiam restium nomen acceperunt, Polonicè dicuntur *wici* à baculo vel pertica cui alligantur) alligatæ, per ministeriales terrestres ad Dignitarios & Officiales s. Magistratus Primoresqve Nobilitatis cujusqve præfecturæ sublimes & conspicuæ cir-

circumferuntur,& in foris urbium & oppidorum altâ voce publicantur. Ter autem restes illæ mitti debent,intra 4. hebdomadarum spacium successivè. Non possunt verò singulæ literæ vel restes à Rege pro binis mitti, nisi hoc in Comitiis ita decernatur, (ut plerumqve fieri solet.) *Const. An.1550.fol.5.* In Interregno post abitum Henrici Regis inGalliam extra ordinem electi fuerunt summi Duces Belli, qvi etiam restes mitterent in Palatinatus. *Confœd. Ordinum An.1576.fol.235.seqq.* Ante extraditionem Universalium tertiarum Rex Tribunalia compellare solet, & tum illa, qvoniam Nobilitas ad bellum excitur, limitantur usqve ad Expeditionem finitam. Castrensia autem & Qverelarum, ut & alia Judicia durant usqve ad publicationem tertiarum Universalium, post eam verò cessant. *Constit. An.1634.fol.4.* Ultimis restium literis excita Nobilitas prius agit Conventus particulares in suis Palatinatibus & terris, ubi Castellanus cum Nobilitate conveniens,constituit cum ipsa locum Conventûs armati, diemqve qvo Conventus ille agi debet. *ex Constit. An. 1520.* In Statuto Lithvanico id Vexillifero injungitur, ut per literas, per præcones in Urbibus, mercatibus & Diœcesibus publicandas, indicet diem & locum ad censum *(do podpisu)* ubi lustrari debet Nobilitas armata. Eo itaqve in loco lustrum conditur Provinciale sive

Cen-

Census; lustrantur & describuntur per Palatinos & Castellanos viri,arma,eqvi,eorumqve colores &c. Hæc enim, videlicet arma & eqvos, post lustrum conditum mutare non licet. Statut. Lithvan. *cap.2.art.6. & 10.* Eodem in loco Palatinus inter diversos Castellanos sui Palatinatus dividit Districtus, qvibus qvisqve præesse debet. Ubi verò terræ peculiaria habent Comitiola & Palatinus non adest,ibi Castellanus cum Capitaneo aliisqve Officialibus terrestribus lustrat exercitum. In Palatinatibus, ubi unus tantum est Castellanus, licet ipsi partem Exercitus alteri Officiali,ut Succamerario, vel, hoc absente,proximè seqventi committere, ad Palatinum postmodum deducendam. *Const. An. 1621.fol.2.* In Lithvania post Castellanos hoc munus competit Marschalcis Districtuum.

VII. Lustratione peractâ contendit ex eo loco Castellanus, vel etiam in ejus defectu Marschalcus illius Districtus (ut fieri consvevit in Magno Ducatu Lithvaniæ) vel aliqvis alius Officialis,ut Succamerarius, vel alius, à Castellano, vel ex decreto Conventus Particularis,substitutus, cum toto Districtus illius Exercitu ad Palatinum, ad qvem etiam aliorum Districtuum illius Palatinatus Nobilitas ab aliis Castellanis, vel,si unus tantum est Castellanus in toto Palatinatu, ab aliis Officialibus per Castellanum constitutis deducitur.

 Ibi

Ibi rursus à Palatino lustratur Exercitus; absentes notantur; præsentium arma & eqvi describuntur. Jurisdictio, anteqvam perveniatur ad Palatinum, competit Castellano, vel ejus Substituto; qvi adjunctis sibi aliis Officialibus animadvertere potest in delinqventes: Postqvam ad Palatinum perventum est, jurisdictio omnis traditur Palatino; causæ verò capitales reservantur judicio Ducis generalis, vel potiùs Regis, cui hodie adjuncti sunt qvamplurimi Consiliarii Bellici sive Legati. In itinere Stationes suas Nobilitas habere non potest in Bonis Nobilium, neqve in bonis Regiis, sed in patentibus campis consistere, sibiqve victum propriis impensis procurare debet, ne Civitatibus & pagis sit oneri. Pedites qvoqve illi lecti per dimidium annum propriis se sumptibus sustentant; si verò Bellum diutius protrahatur, dantur singulis ex thesauro duo floreni. *Vid. Constit. An. 1616. fol. 4. An. 1653. fol. 9. An. 1676. fol. 13.* Tandem qvilibet Palatinus, ex Palatinatu qvisqve suo ducit Exercitum ad locum à Rege universo Nobilium Exercitui designatum, ubi tradit imperium Duci generali. De his omnibus *Vid.* Stat. Lithvan. *cap. 2. art. 6.* Item Constit. *An. 1621. tit. Sposob. Pospolite go Ruszenia.* Hic magna fuit olim Ducis Exercituum potestas. Qvod si enim aliqvem in castris in vincula conjiciebat, aut etiam capite ple-

plecti curabat, adeò illud firmum erat, ac si in Comitiis illud esset factum, in Constit. *An. 1590. fol. 569. seq.* Consensus tamen hic reqvirebatur aliorum tribunorum, exceptis motibus subitaneis; tum enim & absqve consensu Præfectorum aliorum delinqventem etiam capite plectere potuit, ex Constit. *An. 1593. tit. Declaratia. fol. 640.* Sed hodie potestas illa magis adhuc restricta est, postqvam Exercituum Ducibus certi à Republ. adjungi cœperunt Legati. *Vid.* Constit. *An. 1673. & 1676.* Conf. & ea, qvæ à nobis dicta sunt. *Lib. II. cap. 2. num. 7.* Alias Constitutiones vide in Statuto Lithvanico *ad cap. 2. art. 6. additas.*

VIII. Præter summos Belli Duces ipse Rex in generali Expeditione adesse legibus adigitur. *Sigism. August. An. 1557.* apud Januszov. *lib. 6. fol. 692. conf.* & Piasec. *in Chron. fol. 51.* Imò jam ante Sigismundum Augustum hoc fuisse observatum discimus exemplo Regis Alexandri. Hoc enim ægrotante, cùm Nobilitas ad signa se moturam negaret, nisi præsente Rege, Rex coactus est ire ad castra etiam æger. Id autem factum est artibus Michaëlis Ducis Glinscii, qvi Regem vitæ periculo conabatur objicere, apud Kojalovvicz *Part. 2. Hist. Lithv. lib. VI. ad An. 1506. pag. 309.* Non inusitatum etiam est, in ejusmodi generali motione, uni alicui summum imperium deferre, cùm in bello Monarchia perqvam sit ne-

necessaria. Sub Sigismundo III. in bello Chotinensi contra Turcas gesto summæ belli præ- fuit *Carolus Chodkievicius Lithvanus, Vir Magnanimus & vera Martis soboles, qvo nullus Imperator militaris fortius unqvam pugnavit, nullus austerius servavit disciplinam militarem*; qvo elogio ipsum ornat Paulus Piaseci- us *in Chron. fol. 449. fin.* Chodkievico verò in castris defuncto, commissum est summum Imperium Stanislao Lubomirscio, cui cum Lithvani parere detrectarent, revocati sunt ad officium non tantum ob eam rationem, qvia antea Poloni Lithvano Duci paruerunt, sed etiam qvia ipse Serenissimus Princeps Vladislaus sub imperio Lubomirscii se militaturum profitebatur. *Vid.* Illustrissimus Jacobus Sobiescius Castellanus, dum viveret, Cracoviensis, moderni Regis Serenissimi Joannis III. Pater. *lib. III. de Bello Chotimensi.* Hoc etiam notandum est, Polonos ante prælium, Patrium Pæana decantare consveviſſe, cujus initium est. *Bogarodzica Dziewica, Blogoslawiona Maria* &c. Qvem hymnum composuit B. Adalbertus Archiepisc. Gnesnensis, qvi à Prussis gentilibus, ad qvos convertendos venerat, prope oppidum Samlandiæ, Fischhausen dictum, cæsus est. Præfixus est hymnus ille Constitutionibus Joannis Lasci, ut & Constitutionibus Joan. Januszovii.

IX. Qvoniam autem Poloni rebus suis contenti (ut plerumqve fit in Regnis limitatis) nunqvam bella offensiva viciniis populis inferunt, nisi fortè prius lacessiti ab illis, idqve potius ad ulciscendum injurias, recuperandumqve ablata, qvàm ut invadant possessiones eorum & dominentur illis, ut refert Starovolsc. *in Polonica sua pag. 274.* ideò militiâ hâc defensioni tantum Patriæ destinatâ, non cogitur Nobilitas militare extra fines Regni, ut jam olim constituit Casimirus M. *An. 1368.* excipit tamen ille casum, si urgente periculo Rex Nobilitatem exoraverit, & illa ipsa consenserit, tùm in hostico etiam posse bellum geri. Postea Wladislaus Jagello constituit, ut si necessitate exigente Rex extra fines Regni ducat Nobilitatem, ea non cogatur propriis sumptibus militare, sed Rex singulis Eqvitibus 5. marcas in singulos menses pendat (5. marcæ tempore Cromeri faciebant qvinqve coronatos Gallicos vel Italicos, ut testatur *lib. II. Descript. Polon. pag. 209.* Vid. Constit. *An. 1433. & An. 1454.* Sed Henricus Rex An. 1573. promisit, se nunqvam terrigenas in generali Expeditione extra fines regni tracturum, neqve precibus ad illud inducturum, neqve solutione qvinqve marcarum coacturum. Si verò consensu omnium Ordinum extra Limites Regni duci deberent, se exercitum non divisurum; singulis, anteqvam extra limites Regni proficiscantur, qvinqve marcas solutu-

rum; in eo etiam statu supra qvadrantem anni Nobilitatem non detenturum, qvæ etiam approbavit Stephanus Rex apud Januszov. *lib. VI. Constit. fol. 694. in lib. privileg. p. 111. med.* conf. Starovolsc. *in Polonia pag. 277.* Extra Regni limites proficiscentibus Nobilibus Rex pro damnis satisfacere captivosqve redimere debet. *Constit. Ludovici Regis An. 1374. & Vladisl. Jagellonis An. 1433.* Exemplum Redemptionis è captivitate Tartarica habemus, apud Januszov. *lib. VII. Constitut. tit. 4. fol. 718.* Conf. Statut. Lithvan. *cap. 2. per tot.* Theod. Zavvacki *in Memoriali Processus Judiciarii, sub tit. Bellum.*

X. Finito bello non licet Nobilitati domum discedere qvando vult, sed dimittitur à Palatino ex Regestro sive Catalogo, ut habetur in Statut. Lithvanico. *cap. 2. art. 16.* Discedentes singuli testimonio muniuntur à Palatino suo, ex Constitut. *An. 1621. fol. 9.* Instituti hujus ratio est, ne Nobiles statim è loco belli dimissi injurias & damna inferant colonis; deinde etiam ut sciatur, qvinam Nobilium Officio suo satisfecerint, & qvinam castra deseruerint. In hos enim maximæ pœnæ sunt constitutæ. Scilicet castrorum desertor bona & famam perdit. *Vid.* Statut. Lithvanicum *cap. 2. art. 14.*

XI. Verùm in hoc militiæ Polonicæ genere, non immeritò Starovolscius duo desiderat, nempe celeritatem & obedientiam. De obedientia igitur ita loqvitur: *Tardè Nobiles sub Signa conveniunt, Comitiis primo tot hebdomadas celebratis, sine qvibus bellum edici non potest, & difficulter ab Oeconomia sua, Uxoribus atqve liberis divelluntur, usqve tertium Edictum expeditionis bellicæ pravâ consvetudine expectantes &c. pag. 294.* De eadem re Joannes Demetrius Solikovius Archiepisc. Leopol. dicit, qvod Polonici moris sit hosti obviam ire non nisi post tempus. *in Comment. rerum Polon. pag. 109.* De obedientia verò hæc Starovolscius habet: *Cumqve jam ad locum designatum convenerint, tum se unitos & armatos animadvertentes, aut contra Regem, aut contra Senatum tumultuantur. Hinc etiam illud oritur, qvod cùm Regnum Poloniæ non modò frugibus, sed & carnibus, vel duo alia Regna, prout ipsum est, possit sustentare, nihilominus Poloni in qvalibet expeditione bellica fame laborant, atqve sæpissimè res jam ad finem perductas propter commeatuum penuriam turpiter deserant, qvod totum procedit ex socordia Præfectorum belli, aut potius Reipubl. Ordinum, qvi dum aliqvorsum bellum edicunt, nusqvam in partibus illis de Comeatu provident, sed qvod cuiqve militi sors offert, id rapit in transitu, qvo postea sese cum eqvis & famulis in castris sustentet.* Hæc & alia Starovolscius à *pag. 287. ad fin. libri.* Inde etiam singulis ferè

ferè in Comitiis reperiuntur Leges de Disciplina militari, ut Ann.1609.1613.1629.1628.1633. 1638. qvæ approbantur *in Constit. An 1659.fol. 8. inter Constit. Lithvanicas.* Addunt alii plura militiæ hujus incommoda, incredibilem nimirum colonum & servorum in castris multitudinem: *Perpetuum malum castrorum Polonicorum, in qvibus si sint decem millia bellatorum, ad minimum qvinqvaginta millia calonum totidemqve eqvorum supervacaneorum possunt numerari,* ait Piasec. *in Chron. ad An. 1634. fol.570.* Hoc tamen laudat Piasecius, qvod major honestas servetur in castris Polonicis, qvàm in cæteris Christianorum castris, qvia nulla scorta circumducunt. Consentit cum prioribus Piasecii verbis & Fredro *in Hist. Heinrici I.* qvando ait pag. 111. *Singuli Nobilium ultra comitatum, qvem armis capiendis secum trahunt necessarium, decenos vicenosqve viros, totidemqve eqvos paulò pauciores currus post se trahunt.* Non minus verò malum ex hac militia promanans recenset Fredro, qvando *l. c. pag. 22. seqq.* in domibus Nobilium nulla ferè arma reperiri refert. *Priscis legibus,* ait ille, *lustrum provinciale, generalem expeditionem ante, condebatur. Prodibant in campum Nobiles pro posse fortunarum, arma, eqvos, comitatum, qvacunqve bello oportuna visenda daturi, & nomina præsentes illaturi in tabulas, absentiam pœnâ publica infamiæ vindicante. Inoleverat tandem mos in annos singulos lustrum provinciale condere,* (Constit. Annorum 1562.1563.1627.) *qvia utile videbatur commonefacere Nobiles officii, qvat. arma non negligentius curarent & parati lustro non imparati repentinis adessent casibus. Sed postea pœnâ infamiæ remissâ, mulcta tantum indicitur illis, qvi ad lustrum non venirent.* (An. 1620. & 1627.) *Inermes tandem venire jubentur. Hinc jam pauci convenèrunt, jam nulli, cùm multa negligentius repeteretur, donec tandem lustra annua interierunt. Hinc torpor invasit Nobilitatem, ut belli ignara in bellum tamen procurrens nec Ordines servare nec superiori parere possit.* Vide de his fusè Fredronem differentem l. c. Peragebatur verò lustratio illa in locis, ubi Comitiola haberi solent. *Vid.* Constit. *An. 1607. tit.22.* & Constit. *An.1633. fol. 47. & 49. & 50. seq.*

XII. Præter hoc Militiæ genus utuntur etiam Poloni MILITIA MERCENARIA. Antiqvitus qvidem, cùm penes Reges absoluta potestas esset, nullus fuit sine dubio mercenarius miles, præsertim cùm Nobilitas à Regum nutu penderet. Sed postea accedentibus tot privilegiis & immunitatibus Nobilium, coacti sunt Reges Stipendiarium conscribere militem. Franciscus Marinius Vladislaum Jagellonem primum mercenario milite usum esse dicit, idqve asserit ex fide, ut putat, Cro-

Cromeri *lib.II. Descript.Poloniæ.* Sed valdè dubito, an Cromerus hæc l. c. habeat. Nam idem Cromerus alibi asserit, jam Casimirum I. Regem Poloniæ Sec XI. sexcentis militibus Germanicis, qvos secum è Germania adduxerat usum esse in bellis. *lib.IV. de Ort. & reb.gestis Polon.fol.451.* Neugebauer. *lib.III. pag.59.* Sic Dlugossus de Boleslao II. Rege dicit: Rex in honorandis militibus externis, qvi ad vulgatam famam ejus nominis militiæ advenerant, erat effusior: propter qvod multorum Virorum & militum illustrium ad curiam suam affatim advenientium fiebat concursus. *Tom.1. lib.III fol.240.* Porrò sub Boleslao Crivousti mercenarios ex Ungaria milites fuisse accitos contra Pomeranos. Cromerus refert *lib. V. Polon. rerum fol. 472.* Neugeb. *lib. III. Hist. Polon. pag.80.* In seqventibus temporibus crebra fit mercenarii militis mentio, qvæ satis apertè falsitatem assertionis Marinianæ indicant. Concedimus tamen à Wladislai Jagellonis, vel Casimiri IV. Jagellonidis tempore, magis inolevisse usum mercenarii militis. *Vid.* qvæ habet Cromerus *lib.XXV.fol.763.* & Neugeb. *lib.VI. pag. 372.* Ex his etiam patescere potest, apud Polonos mercenariam militiam constare posse & ex incolis Regni, & ex exteris gentibus. Hoc tamen semper olim observatum est, ut conducti milites externi sub signis & imperio Ducum indigenarum militarent, donec tandem Sigismundo III. permissum est, ut advocaret auxilia contra Svecos ex Germania sub ductoribus externis, ut notat Piasec. *ad An. 1629. fol. 484.* Hoc tamen discrimen etiam observatur, ut stipendiarii eqvites plerumqve sub indigenis, pedites verò ex externis constituantur. Starovolsc. *l. c.* Sed & de hoc militiæ genere conqveruntur passim Scriptores Polonici. *Vid.* Starovolsc. *in Polon. pag. 301.* Stanisl. Lubienski *de Statu rerum Polon. ac militari confœderatione fol. 193. seqq. Operum.* Ad alendum hunc stipendiarium militem singulis fermè in Comitiis Contributiones sciscuntur ab Ordinibus, qvæ tamen nunqvam sufficiunt.

XIII. Præter Militiam mercenariam usus etiam est in Polonia MILITIÆ SOCIÆ. Et jam olim Boleslaus Chrivousti auxiliares habuit Russorum copias, illasqve ex fœdere, teste Cromer. *lib. V. fol. 472.* Neugeb. *lib. III. Hist. Polon. pag. 80. & 92.* Postea qvoqve Alexander Vitoldus Magnus Dux Lithvaniæ Tartarorum auxiliis usus est in Prussia contra Cruciferos, ut plurimi testantur Historici. Posterioribus etiam temporibus Tartari cum Polonis fœdera inierunt, ut An. 1467. Casimirus IV. Rex Scythis Tauricanis Imperatorem præfecit Mendligerejum, qvi operam suam pollicebatur Polonis contra hostes Prussos,

Ei

Ei gratiæ actæ in Senatu, & militaturis liberalia stipendia promissa sunt. *Vid.* Kojalovvicz *Part. 2. Hist. Lithvan. lib. V. fol. 234.* Et hinc puto originem traxisse illa stipendia à Sigismundo I. Tartaris promissa. (*Vid.* Neugeb. *lib. VI. pag. 465.*) & qvotannis à Regibus pendi solita. Reges enim Poloniæ, ait Piasecius, olim graviora bella contra Germanos & Cruciferos gerentes copias Tartarorum auxiliares advocare solebant, & qvo ea promptiores ad omnes casus haberent, stipendium annuum sive honorarium ipsis concesserant, qvod duobus millibus vestium ex melotis sive pellibus agnorum consutarum, ac mediocri copiâ pannorum laneorum Anglicorum constabat, nimirum æstimatione decem millium nummorum aureorum sive florenorum in Polonia usitatorum. *in Chron. fol. 62.* Hæc donativa Tartari qvotannis poscebant sub nomine *Tributi*, Polonis illud non adeò curantibus, donec tandem Stephanus Rex, impatientia actus, negavit se bestiis istis tributum pendere velle. Hinc magni motus orti sunt in Polonia, Tartaris tributa illa poscentibus, & Polonis illa negantibus An. 1591. petiit à Republica Polonica Tartarorum Cham in Comitiis per Nuncium suum donativum illud; non tamen impetravit; sed promissum fuit, si Tartari qvietius imposterum viverent, non ipsis hoc denegatum iri, *Vid.* Piasec. *ad dictum*

dictum An. Tandem sub Joanne Casimiro Rege pax hac conditione facta est: *ut Rex Poloniæ ex liberalitate ordinarium stipendium Chamo Tartarorum retentum hactenus penderet, & imposterum, ubi id per Legatos Camenecíam missos peteret, daret, Chamus Tartarorum vicissim adesse Regi, qvandocunqve hic jusserit, cum omnibus copiis suis contra qvemvis hostem teneretur.* Joach. Pastorius *lib. I. Belli Cosacici pag. 69.* Sed qvæ fides Barbaris? Fideliores Socii Polonorum sunt Domini Prussiæ orientalis. Jam enim tempore Casimiri Jagellonidis, cùm Prussi à Cruciferis ad Polonos transiissent, & tandem post multa bella vario Marte gesta Anno 1466. inter Regem Poloniæ & Magistrum Prussiæ pax inita esset, inter alias Conditiones & hæc fuit, ut Cruciferi contra qvosvis hostes Regi adessent. Neugebauer. *lib. VI. pag. 385.* cumqve illud fœdus Sigismund. I. Cum Alberto Marchione Brandeburgico primoqve Prussiæ Duce renovaret An. 1525. inter alias Conditiones & hæc fuit, *ut in expeditionibus Dux Prussiæ cum centum eqvitibus hastatis Regi ad fines usqve Prussiæ, militaret propriis sumptibus, si verò illi extra fines Regni educerentur, ut stipendio Regio fruerentur.* Vid. Neugeb. *lib. VII. Hist. Polon. pag. 507.* Pacta ipsa habentur apud Januszov. *lib. VII. Constit. tit. 1. fol. 913. seqq. & inter Privilegia Prussica.* Cum etiam An. 1663. Sere-

Sereniss. Friderico Wilhelmo Elect. Brandeb. supremum in Prussia dominium concessum esset, inter alia puncta & hoc continebatur, ut Sereniss. Elector Regi Poloniæ bis mille milites mitteret auxilio, stipendio Regio militaturos. Pacta ipsa *Vid. in Diario Europ. Continuat. VI.*

XIV. Societas illa cum Tartaris peperit Polonis novum mercenariorum militum genus. Cùm enim Tartari etiam contra Pacta excursiones in Poloniam facerent, Sigismundus Augustus QVARTAM PARTEM reditum ex omnibus Bonis mensæ Regiæ perpetuo Reipubl. concessit, ut miles ordinarius contra Tartaros in finibus Regni excubaret. Factum id est An. 1562. Ordinatio autem hujus Qvartæ exacta prodiit An. 1569. ut ex Constitutionibus dictorum annorum apparet. Qvarta verò illa sic intelligitur. Primò constitutum fuit, ut ante omnia Tenutario Regiorum Bonorum, sive Capitaneo salarium ex Bonis illis penderetur, residuum verò in qvatuor partes divideretur, qvarum tres mensæ Regiæ, qvarta stipendiis dictorum militum exsolvendis, cederent. *Conft. An. 1562. fol. 20.* Deinde specialius ita hoc determinatum est, ut tres partes impenderentur in mensam Regiam, qvarta in militem hunc, & qvinta cederet Tenutario. *Conftit. An. 1638. fol. 4.* Duplicata est hæc Qvarta aliqvoties, necessitate id exigente, ut apparet *ex Conftit. An. 1590. fol. 575. An. 1619. fol. 2. 1620. fol. 13. An. 1627. tit. Qvarta. An. 1637. tit. eod.* Aliqvando etiam tripla Qvarta reddi jussa est, *ut An. 1613. tit. Qvarta.* Constitutum est postea, ut post mortem tunc viventium Capitaneorum & Tenutariorum novi Donatarii & Cessionarii primo anno possessionis suæ ex Bonis Regiis qvadruplam Qvartam thesauro inferrent. *Conft. 1658. fol. 15.* Administratio hujus Qvartæ talis est: In Comitiis eliguntur duo Senatores, ita ut unus sit ex minori, alter ex majori Polonia, & duo ex Ordine Eqvestri. Hi cum Thesaurario circa Festum Pentecostes Ravam se conferunt, ut Qvartam à Tenutariis Bonorum Regiorum recipiant. Resident autem ibidem per tres hebdomadas. Salarium Thesaurarii sunt mille floreni; Deputatorum ex Senatu trecenti, & reliqvorum ducenti floreni. Eligi autem in singulis Comitiis alii Deputati Ravenses jubentur. Qvando inde pecunia Leopolim ad exsolvenda militibus stipendia est deferenda, tum ea mittitur per unum ex Deputatis illis, ut hæc omnia *in Conftit. An. 1569.* determinantur. Ad custodiam Qvartæ pertinet etiam præter Thesaurarium & Deputatos, Capitaneus Ravensis. *Conftitut. An. 1588. fol. 470.* Qvoniam verò hæc pecunia Ravæ asservatur, vocatur etiam non raro in Constitut. QVARTA RAVENSIS. Ca-

vetur etiam in Constitutionibus aliqvoties, ne Qvarta in alium usum impendatur, qvam in solutionem stipendiorum militis in finibus Regni contra Tartaros excubantis. *Const. An. 1627. fol. 3. An. 1635. §. Obrona. An. 1667. fol. 10.* A Qvarta hac redituum Regiorum parte vocantur hi Milites QVARTIANI. Institutum est hoc militum genus in Comitiis Varsaviensibus An. 1564. ut tradit Kojalovvicz *Parte 2. Hist. Lithvan. lib. VIII. pag. 458.* vel potiùs *An. 1562.* Petricoviæ, ut est *in Volumine Constitutionum ab Andrea Petricovio J.U. D. & Typographo Regio. Cracoviæ An. 1625. edito fol. 21.* & apud Januszov. *lib. IV. Constit. tit. 6. fol. 310.* ubi plurimas Constitutiones hac de re invenies, præsertim verò An. 1569. in qva totus Ordo hujus Qvartæ describitur. Sed & ante hæc tempora simile militiæ genus instituere tentarunt Poloni. Nam An. 1551. in Comitiis Vilnensibus sciverunt Ordines, ut miles ordinarius esset, qvi contra Scythas & Moscos pro finibus excubaret, in stipendium verò à jugo boum qvinqve grossorum vectigal concesserunt, apud Kojalovvicium *Part. 2. lib. VIII. pag. 416.* ubi ad marginem notat Auctor, qvod hæc sit Qvartiani militis origo. Hæc verò præsidia militaria, qvæ jam Augustus Rex instituerat, Stephanus meliori Ordine disposuit. Piasec. *in Chron. fol. 51. & seq.* Conf. & Constitut. *An. 1624. tir. Supplement. Woiska Qvarciannego. fol. 1. & seq.*

XV. Præter dictos illos dantur etiam alterius generis milites in Polonia, qvi dicuntur VOLUNTARII. Originem horum à primis fermè Regni Polonici temporibus accersere possumus. *Cùm enim antiqvis Seculis majores nostri*, ait Illustriss. Fredro, *Regum ærario contribuere ducerent haut ingenuum, æqvius illud cum decoro retinuerunt, ut periculosis temporibus pro facultatibus ternos sexenosve armatos eqvites in castra singuli ducerent, proprio ære militarent; qvare ingens conflabatur Exercitus.* Fredro *in Henrico I. pag. 19.* Inde seqventi tempore rarescentibus publicis vel universalibus motionibus, nihilominus Proceres Regni aliiqve Nobiles ditiores solebant integras eqvitum cohortes, & alias, sumptu proprio in castra adducere, vel solius Patriæ amore. Pauperiores verò plures una collecti ducem sibi virum aliqvem strenuum eligunt, & ultrò sine stipendiis Imperatorem seqvuntur, ob idipsum Voluntarii appellati. Starovolscius *in Polon. pag. 302. seq.* Sed hi posteriores ob varia damna, qvæ Nobilium aliorumqve Bonis inferebant, sublati sunt, *per Constit. An. 1634. fol. 11.* Exempla eorum, qvi totas cohortes in bellum propriis sumptibus auctoratas miserunt. *Vid.* in Constit. *An. 1621. fol. 11.* Sic non ita pridem Illustr. atqve Reverendiss. Dn. Dn. Andreas Trzebicki Episcopus

pus Cracovienſis & Dux Severiæ, contra Turcas aliqvot cohortes propriis ſumptibus conſcriptas miſit.

XV. Tandem datur etiam adhuc aliud genus militum ſatis celebre apud Polonos, videlicet KOSAKORUM, qvorum origo ſatis obſcura eſt. Et qvidem qvod ad nomen Koſſakorum attinet, derivatur hoc ſecundum Piaſecium à voce Polonica *Koza*, qvod capram ſignificat, ſicqve illi appellati eſſe dicuntur, qvia inſtar caprarum curſu veloci ad omnia agiles incurrunt, vel qvod caprinis pellibus contra injurias aëris teguntur. *Vid.* Piaſec. *in Chron. ad An. 1645. fol. 53.* Sed Clariſſ. Dn. M. Joannes Herbinius vocem hanc potius derivandam eſſe putat à Slavonico nomine *Koſa* i. e. *falx.* Unde *Koſſak* id eſt *falcifer. Vid.* Herbinius *in Kijovia Subterranea cap. 2. pag. 7.* Unde milites hi primam habeant Origenem, nemo, qvod ego qvidem ſciam, indicavit. Ego putaverim à primis usqve Tartarorum in Poloniam irruptionibus rem eſſe accerſendam. Congregabantur ſine dubio multi agreſtres ad oras Boriſthenis ad loca naturæ miraculo munita, qvæ Boriſthenes ad oſtia ſua vergens alluit. Catadupas olim veteres appellarunt Geographi, nunc à Roxolanis ſive Ruſſis vernaculo ſermone *Porobi* vocantur. Inde *Coſaci Zaporobenſes* dicti ſunt. *Vid.* Illuſtriſſ. Jacobus Sobieski *lib. II. de bello Chotimenſi pag. 110.* & Joach. Paſtorius ab Hirtenberg *de Bello Coſacico pag. 7.* In illis locis Tartarorum copias cum præda ex Podolia aliisqve locis revertentes cædebant. Et qvoniam illud non rarò fieri ſolebat, ut Tartaros præda onuſtos ſpoliarent, magnisqve damnis afficerent, non potuit diſplicere Regibus Poloniæ horum hominum inſtitutum. Imò credibile eſt, Nobiles in illis locis habitantes ipſos foviſſe, & auxilia ſæpè miſiſſe, qvò melius Tartarorum irruptionibus reſiſterent. Hinc inclareſcere cœperunt apud finitimas gentes. Et qvo militia ipſorum fieret ordinatior, elegerunt ſibi Duces bellicos, qvi Reges Poloniæ, ut Dominos ſuos agnoſcebant. Hinc jam Sigismundi I. temporibus Ducem ipſorum Euſtachium Daskovicium claruiſſe deprehendimus. *Vid.* Kojalovvicz *Part. 2. Hiſt. Lithvan. lib. VII. pag. 334. & alii.* Non tamen ſupra ſex millia Koſakorum tum fuiſſe memorantur. Hanc militiam, ut Regno Poloniæ utiliſſimam Stephanus Rex melioribus legibus ſociatam multis Privilegiis donavit. An. 1576. Caſtello Trechtimirovo cum toto Diſtrictu in Boriſthenis fluvii littore, omnemqve illum tractum, qvi viginti milliaria Germanica intra Kioviam complectitur. In Trechtimorovo igitur Palatinatus Kiovienſis oppido aſſervantur Koſakorum Privilegia, tormenta bellica, varia ex Turcarum emporiis

riis olim importata spolia, militaris etiam supellex, tum Regia vexilla, qvæ illis in signum supremi Dominii, qvotiescunqve pro Republic. arma sumebant, à Regibus Poloniæ ex insigni benignitate mittebantur. Multi Cosaci cum Duce suo & præsidio satis firmo in castro Trechtimirovo manebant, cæteris omnibus Cosacis hyberno tempore licitum erat in suas domos & ad bona sua se conferre, & res suas curare.

XVI. Successu temporis, dum fœcunda culpæ secula & eorum priscum morem depravassent, in dies hæc colluvies excrescere cœpit. Non jam ex virtute & meritis censebantur milites, sed passim dabant nomina ex ditionibus Russiæ ab agricultura à variis opificiis profugi, Infamia notati, tum nonnulli ex Germania, Gallia, Italia, Hispania etiam ob patrata facinora extorres ad illos confugiebant: qvi tamen Religionis Græcæ cultum observare, Ruthenicam lingvam exercere, abjecta generis, si qvæ inerat, claritudine, plebeja cognomina assumere, atqve omni civitate deposita agrestem vitam degere cogebantur. Hi prædabundi vagabantur passim per Russiam, Lithvaniam, Kioviensem & Braclaviensem Palatinatus, patebant eorum libidini Ecclesiæ, Fisci & Nobilitatis bona. Copiis etiam Reipubl. Duce Stanislao Zolkievio decertatum est cum Nalevaikone exercitus illorum Præfecto,

fecto, qvi profligatus & cum sceleris sociis captus in Comitiis Varsaviensibus enormi supplicio dignas luit pœnas. Qvotiescunqve aliqvam suscipiebant expeditionem, numerosos Exercitus ex rapina ditionum Regni alebant, ex bello reversi, qvasi colonias qvasdam per vicos & urbes tàm Regias qvàm Nobilitatis ducebant, omniqve Præfectorum ac Dominorum suorum obedientia se exsolvebant. Pauci ex Veteranis in suis ad Boristhenem domiciliis commorabantur, reliqvi parta toties præda locupletati, rei tantum Oeconomicæ cum Uxoribus & liberis navabant.

XVII. Summum apud illos obtinet Regimen Exercitus Præfectus, qvi loco insignium gestat baculum ex arundine confectum, atqve ut tumultuario modo non suffragiis, sed solis acclamationibus & freqventibus pileorum in Candidatum ejectionibus eligitur, ita sæpius instabilis vulgi libidine Magistratu privatur; qvamdiu tamen munere suo fungitur, penes eum remanet supra qvemlibet Cosacorum vitæ & necis arbitrium, Secundum honoris obtinet gradum qvatuor bellici Consiliarii vocati Assaulii, cum Legato, qvi substitutus Præfecti Exercitus nominatur. Seqvuntur postea Castrorum, bellicarum machinarum, Legionum Præfecti, tum Centuriones & publicus Notarius, qvi census & sumptus eorum no-

notare, & conſilio Religionis Græcæ monachorum literas ad Regem & Proceres Regni exarare ſolet.

XVIII. Qvando arduum aliqvod negotium in Exercitu incidit, ad concionem vocatur ab ipſo Duce univerſa plebs, atqve is primum vultu ad Reverentiam & modeſtiam compoſito aliqvoties verſus multitudinem ſe inclinans, deſtinatum ingreditur locum, & detecto capite ſub extenſo Regio vexillo inter cæteros aſſidentes ſolus cum 4. Conſiliariis ſtat, ſtatumqve cauſæ, qvæ in deliberationem pleno Comitatis ſermone proponit. Tunc vel crimina, ſi qvæ illi objiciuntur, diluit, aut in proprium uſum aliqvem ab exercitu favorem ſubmiſſè petit. Illic omnia, qvæcunqve accepit munera proferre, atqve ut ea ſibi concedantur, multitudinem flagitare debet. Hæc ſi renuat, omnia libidini ejus non vulgari in voce & geſtu cultu permittit. Dum Præfectus Exercitus eos alloqvitur, verba illius ſummo ſilentio excipiunt, poſtea ſententias ſuas alternis obruunt acclamationibus.

XIX. Ad bellum maritimum aptiſſimos longus effecit uſus, vehuntur lintribus, qvibus à latere ad inſtar tabularum faſciculos ex arundine confectos contra tempeſtates & fluctus maris adnectunt, ac ſumma velocitate onuſtis triremibus Turcarum in Ponto Euxino ſæpiſſimè potiuntur. Plurimi eorum frameis

meis non utuntur, ſed ſclopetis omnes; qvo militiæ genere Reges Poloniæ potentiſſimorum in orbe terrarum Principum peditatum adæqvare poſſunt. Caſtra etiam dextrè in aliqvot Ordines redactis plauſtris ad normam fortiſſimi propugnaculi muniunt, qvæ Tabor appellant, & contra hoſtium impetum extremum ibi qværunt refugium. Hæc à medio *num.* 15. totidem ferè verbis habet Illuſtriſſ. Jacobus Sobieski Caſtellanus Cracovienſis *lib. II. de bello Chotimenſi pag. 109. ſeqq.* ubi etiam teſtatur, ſe nihil ſcripſiſſe, niſi qvæ à peritis accepit, aut ipſe propriis oculis videns annotavit. Multò pluribus verbis Coſacorum militiam terreſtrem & Navalem deſcribit Illuſtriſſ. Andr. Maximilianus Fredro *in Hiſt. Henrici I. pag. 218. & ſeqq.* ubi inter alia de ipſorum maritima militia: Cùm, inqvit, mare aſcendunt, tempeſtate ſuperveniente arundinis cumulos lateribus navigii undeqvaqve alligant, qvo fluctibus irati maris facilius ſupernatent. Navigiis utuntur parvis, qvæ LX. virorum cum juſto commeatu capaces ſunt, celoces aut ſcaphæ dici poſſunt; velociſſimè ſeqvuntur & fugiunt. Turcis damna inferunt, ſuburbana aliqvando Conſtantinopolitana invadunt (inde Amurathis Turcarum Imperatoris dictum erat, cùm inter arma Principum in ſe conſpirantium Conſtantinopoli degens in utramqve dormiret aurem,

 ſolos

ſolos Coſacos eſſe ejectamenta Polonorum, qvi tanti Principis turbarent ſomnum) civitates & oppida Pontico litori proxima populantur, furtim omnia præſtant, neqve dum pugnandum, ſegnius reſiſtunt. Numerus horum militum incertus eſt, viſa ſunt aliqvando XVIII. aliqvando XXX. millia. Niſi qvod moderna rebellio Chmielniciana ultra ducenta millia Coſacorum ſub ſignis aliqvoties eduxerat in prælium, tota Ruſſia in perfidiam & rebellionem actâ. *Hæc ille.*

XX. Sic igitur, ut ex ultimis Fredronis audivimus verbis, & hoc militiæ genus Poloniæ Reges in ſuam perniciem inſtituerunt. Qvod ut eò dilucidius explicetur, placet paulò preſſius Origines rebellionum Coſacicarum inveſtigare. Cùm Coſaci utilem Reipubl. contra qvosvis hoſtes, præcipuè verò Tartaros, navaſſent operam, multa privilegia ipſis, ut audivimus, Reges Poloniæ conceſſerunt. Et attributis pluribus agris etiam certam pecuniæ ſummam qvotannis Kioviam mittebant, teſte Jacobo Sobieſcio. *l. c.* Datus etiam ipſis eſt certus pellicearum veſtium numerus ut patet ex Diario Europ. *Contin. XIX. pag. 563.* Sed Coſaci rebus ſecundis elati, inſoleſcere cœperunt. Præſertim verò durante pace Turcicum imperium infeſtabant, adeò, ut Turcarum Imperator bellum minaretur, niſi licentia ipſorum ſiſteretur. Qvapropter jam tempore

Stephani Regis Dux Coſacorum Podkovva capite plexus eſt, teſte Johanne Demetrio Solikovio *in Comment. rerum Polon.* Deinde etiam ſeveris legibus licentiæ Coſacorum obviam itum eſt, cautumqve, ne Coſaci latrocinia exercerent, mercatoribus nullum damnum inferrent, ne Bona Nobilium invaderent, ne vicinos populos incurſionibus adverſus Polonos irritarent. Hæc & alia plura habet Conſtit. *An. 1590. tit. Porzadek Zſtromy.* Ex qvibus liqvet, qvibusnam ſtudiis operam dederint tum temporis Coſaci. Sed nihil hac Conſtitutione effectum eſt. Hinc Sigismundus III. Rex An. 1596. coactus eſt decernere, ut tota hæc gens ad internecionem exſcinderetur, & bona ipſis conceſſa Regiæ menſæ addicerentur. *Vid.* Conſtit. *dicti anni. tit. o Koza Kach.* Verùm poſtea, cum Polonis contra Svedos aliosqve auxilio adfuiſſent, iterum in gratiam recepti ſunt. An. 1601. *per Conſtitut. Comitiorum ejus anni tit. o Koza Kach.* Non qvieverunt tamen poſtea, adeò, ut ſæpius neceſſe fuerit Conſtitutiones repetere de licentia Coſacorum coërcenda. *Vid.* Conſtitut. *An. 1607. tit. 73. & 1609.* Porrò *An. 1611.* conſtituit Sigismundus III. cum Ordinibus, ne Coſaci ad bellum evocarentur ob licentiam intolerabilem, niſi id ſummum Reipubl. diſcrimen exigeret. *tit. O ſwey woly. fol. 26.* Præterea An. 1613. Duces Exercituum jubentur con-

contra Cosacos, ut contra communem hostem movere, eosqve exstirpare. *tit. o Kozakach fol. 10.* Constitutum etiam est An. 1618. ne Cosaci vicina Regna infestent. *Vid.* Constit. *dicti anni fol. 2.* qvo ipso videntur aliqvo modo Cosaci in Ordinem redacti esse, ut patet *ex Constit. An. 1620. fol. 13. & ex Commissione An. 1624. in Ukrainiam missâ. tit. Commissya Kozacka. conf. & Constit. 1628. tit. Obrona Ukrainy.* Posthæc An. 1635. prohibitum est severè in Comitiis, ne Cosaci infestent Turcas, *tit. Pohamowanie inkursyi fol. 3. seq.* sed repressa paululum levissimorum hominum licentia eo majori postea erupit impetu. Qva de causa Dn. Koniecpolski supremus Exercitus Polonici Dux exstruxit ibidem munimentum fortissimum An. 1637. Hudak sive Kudak dictum, eo in loco, ubi Samara in Boristhenem se effundit, ut eò facilius Cosaci possent in Ordinem redigi. Dehinc An. 1638. Dux Cosacorum Paulukus Varsaviæ capitis supplicio affectus est, Cosacisqve omnia Privilegia cum oppido Trechtimirovvo erepta sunt. *Vid.* Constit. *ejus anni fol. 6. seq.* His exasperati Cosaci Nicolaum Potocki Polonici Exercitus Imperatorem pessimè exceperunt cum exercitu venientem, & planè Polonis obedientiam denegarunt. *Vid.* Pastorius *in Historia Scythico-Cosacica.* Hodie pars Cosacorum subest Magno Moscoviæ Duci, pars Poloniæ Regi. *Vid.*

Vid. qvæ hac de re diximus *lib. I. cap. 9. num. ult.* Pars etiam Cosacorum Duce Doroszenko contra Polonos non ita pridem Turcas & Tartaros in auxilium vocavit. Sed de his jam supra dictum est *lib. I. cap. 10. num. 6.*

XXI. Expositis omnibus militiæ generibus placet pauca de Polonorum Ducibus bellicis, Polonorumqve militum armis addere. Duces Exercituum generales, qvibus subest miles, sunt duo. Alter est in Regno, & dicitur Dux Exercituum Regni Generalis (Polonicè *Hetman wielky Koronny*) Alter est in Magno Ducatu Lithvaniæ, & dicitur Dux Exercituum Magni Ducatus Lithvaniæ generalis (*Hetman wielky W. X. Lithewskiego*) Et hi sunt summi moderatores belli secundùm Regem, & vicarii Regis, qvilibet in suæ gentis Exercitu. Hi ducunt Exercitum; capiunt locum castris; acies instruunt; dant signum pugnæ & receptus; commeatum & annonæ curam in bello gerunt; in delinqventes animadvertunt; & ut paucis reliqva complectar; in Exercitu & tempore belli indicti uterqve Autoritate ferè Regiâ utitur. His Ducibus Exercituum generalibus adduntur alii duo Vicarii. Alter in Regno, qvi dicitur Dux campestris Regni (Polonis *Hetman Polny Koronny*) Alter in Magno Ducatu Lithvaniæ, qvi dicitur Dux campestris M. Duc. Lithvan. (Polonis *Hetman Polny W. X. Lithevvskie-*

skiego.) Hi excubiarum potissimum explorationumqve curam gerunt, mercenariis militibus, præsertim in Ducum generalium absentia, præsunt, & jurisdictionem in exercitu eodem tempore exercent. *Vid.* Constitut. *An. 1601.* Concessa qvidem est An. 1653. eadem potestas Duci Campestri, qvam habet Dux supremus. *Vid. Constit. dicti anni fol. 7.* Sed Anno seqventi 1654. abrogata est illa Constitutio. *fol. 5.* Officia hæc Ducum generalium & Campestrium infra Senatoriam dignitatem censentur, hoc tamen plerumqve observatur, ut nonnisi Senatoribus ad majorem Autoritatem conciliandam conferantur. Hoc autem jam antiqvis temporibus observatum fuisse testantur Historiæ. Conferebantur etiam antehac Officia Ducum exercitus etiam supremis Regni Officialibus, ut Marschalcis & Cancellariis & Thesaurariis. Sic qvondam Joannes Zamoscius fuit supremus Regni Poloniæ Cancellarius & simul supremus Exercituum Regni Dux, cujus elogia vide apud Piasec. *in Chron. fol. 269.* & Stanisl. Lubienski *in Parænesi ad Thomam Zamoscium Joannis hujus filium fol. 223. Operum.* Hodiernus qvoqve Rex Serenissimus Joannes III. antea munere Marschalci supremi, ut & supremi Ducis Belli gloriosissimè functus est. In Lithvania non ita pridem Gonsievvski fuit Thesaurarius Regni & Campestris Dux Exercituum.

tuum. Sed recentioribus temporibus, ne qvis Senator munere hoc Ducis Exercituum auctus nimiam sibi potestatem vendicare ausit, Reipublicæqve damnum aliqvod inferat, consultatum est non raro in Senatu, qvibusnam modis potentia Ducum Belli sit moderanda. Et qvidem An. 1666. in Comitiis Varsavienfibus decretum erat, ne dignitas Ducum Exercitus esset perpetua, sed ut in triennium tantum concederetur. Constitutum etiam fuit, ut Illustriss. Dn. Potocki Dux Exercituum Generalis nomine Ordinum rogaretur, officio suo ut renunciaret, aliisqve bono exemplo præiret. Cùm verò hoc ob multa incommoda non procederet, constitutum tandem est, ne imposterum Dignitas Ducum Exercitus conferatur Archimarschalcis, Cancellariis vel Thesaurariis. *Vid. Pacta Conventa Sereniss. Joannis III.* Præter hos Duces Belli habent qvoqve Cosaci proprium Ducem Belli, qvi unus esse debet, secundùm *Constitut. An. 1661. fol. 60.* Inter alios Præfectos Bellicos eminet etiam Generalis Artilleriæ Magister in Regno, & alter in M.D. Lithvan. qvi instituti sunt An. 1637. à Ducibus tamen Belli dependent, *ut habetur in Constit. Anni 1638. fol. 14. seqq.* Debet autem Generalis Artilleriæ Magister esse possessionatus. *Constit. An. 1653. fol. 7.* Munus ipsius est armamentaria instruere, pulverem pyrium procurare, tor-

tormenta bellica sub sua habere inspectione. *Constit. An. 1641. fol. 10.* Reliqvas dignitates bellicas hic recensere nimis esset prolixum, illud saltem addemus de Officio Notarii Campestris, qvod eum oporteat singulis qvadrantibus anni numerum militum inire, & singulorum nomina notare, ita ut Catalogum eorum primò thesauro, deinde verò Marschalco Nunciorum Terrestrium tradere possit. *Const. An. 1654. fol. 5.* In Lithvania singulis mensibus nomina peditum Notarius Campestris consignare, unumqve Catalogum Duci Belli, alterum Thesauro tradere debet. *Const. ejusdem anni fol. 30.*

XXII. Armis olim Poloni usi sunt magni ponderis, ut putant Historici Polonici. Cùm verò Boleslaus II. Audax cum Prussis Bellum gereret, & Poloni multi amnem Ossam transmittere volentes, armorum pondere & aqvarum altitudine essent absorpti: Cæteri verò exuti armis & loricis, qvæ magni ponderis erant antiqvitus, minori periculo tranassent, ex illo tempore gravioribus armis & loricis Poloni minus utuntur. Cromer. *lib. IV. fol. 456. pr.* Qvibus armis hodie utantur Poloni, optimè explicuit Simon Starovolscius in Polonia sua, ita ut etiam personato illi Francisco Marinio in Patriam suam hanc ob rem injurius esse videatur, qvod Secreta Patriæ suæ evulgasset. Sic verò Starovolscius: *Ex Eqvitibus*

bus alii sunt gravioris armaturæ, & alii levioris, & qvi gravioris armaturæ dicuntur, alii sunt hastati & vulgò Hussari vocantur, & alii sclopetis tantum armati & vocantur Harcabusseri, utriqve autem isti ferrreis thoracibus atqve galeis sunt vestiti. Levioris deinde armaturæ alii sclopetis oblongis, alii autem pharetris & lanceis brevioribus sunt armati: & utriqve loricis induti atqve communi nomine Cosachi appellati. Pedites verò alii vocantur Haiduci, qvi sunt è Polonia aut Hungaria conscripti: alii Cosaci Zaporohenses, qvi è partibus Russiæ vicinis Scythiæ, & Ducem suum proprium disciplinamqve castrensem habent. Omnes autem isti frameis incurvis seu acinacibus & sclopetis oblongis in prœlio utuntur, nisi qvod illi priores uniformi vestium colore à Rege donantur: isti rudi panno tecti eqvos singuli ferè atqve currus habent, qvibus deinde castra sua muniunt &c. Hæc Starovolsc. *in Descript. Polon. pag. 282. seqq.* Plura forsan reperiet, cui ad manus est ejusdem Starovolscii *Eqves Polonus ad Urbanum VIII. scriptus,* qvem mihi videre non contigit.

XXIII. *Qvantum ad MUNITIONES & FORTALITIA,* ait rursus Starovolscius, *candidè fatendum est, illa omnino in Polonia nulla existere, præter aliqvot castella privatorum: idqve sparsim per provincias & Regnum, ut est Zamoscium, Lancutum, Zbarissium, Nesvizta,*

Lachovicia, Medirecia, Dubna aliæqve munitiores populationes H. J. pag. 305. In Constitutionibus Anni 1658. recensentur fortalitia sequentia: Cracovia, Leopolis, Varsavia, Camenecia, Posnania, Lubovvla, Halicia, Czestochovia, Brescia. Habuerunt Poloni etiam alia firmissima propugnacula, ut Rigam, Smolenscum, Kioviam, Kameneciam Podoliæ &c. sed nunc illa in aliorum sunt manibus. Modernus Rex Serenissimus Joannes III. promisit, duo se fortalitia excitaturum propriis sumptibus. *Vid. Pacta Conventa* §. *Fortece dwie.*

CAP. IX.

De *Forma Reipublicæ Polonicæ.*

I.

EX tribus Rectarum Rerumpublicarum formis, de qvibus Arist. *lib. III. Polit. c. 7.* statim ab ingressu in has oras Regia Rempubl. administrandi ratio Polonis placuit. Nisi fortè duo tempora excipias, videlicet unum post extinctum Lechum, alterum post voluntarium Vendæ Virginis Ducissæ Poloniæ in-

teritum, de qvibus supra *lib. I. cap. 2.* actum est. Cùm autem qvinqve species Regni enumerentur apud Arist. *lib. III. Polit. cap. 14. & 15.* paulò pressius nobis investigandum erit, ad qvamnam speciem Regni Polonicum Imperium sit reducendum. Prima species Regni apud Aristotelem est regnum HEROICUM, qvod Heroibus, qvi aliqvid Civitati salutare sive pacis sive belli tempore gesserant, solebat conferri. Et talia Regna qvondam fuerunt illorum, qvos postea ut Deos credula coluit antiqvitas, ut fuit Saturnus Rex Italiæ, Jupiter Rex Cretæ, Vulcanus Rex Ægypti. Non erat tamen illorum potestas absoluta, sed certis legibus limitata, consistens potissimum in jure sacrorum, in jure belli, & in disceptatione causarum Civilium, qvas judicabant alii jurejurando præstito, alii sine jurejurando & solummodo per elevationem sceptri. Secunda species Regni apud Aristotelem est Regnum BARBARICUM, qvod exercebatur in gentes barbaras ad servitutem pronas. Constat enim fuisse & adhuc esse qvasdam gentes, qvæ non possunt vivere, nisi serviant, qvos justó Dominio subjici non est injustum. Magis autem Asiaticas gentes natura esse aptas ad servitutem, qvàm Europæas, tradit Arist. l. c. Tertia species est Regnum ÆSYMNETICUM, qvod qvidem absolutam omnium habuit potestatem, non fuit tamen

perpetuum. Solebant enim olim liberæ gentes in ſtatu Ariſtocratico vel Democratico viventes ingruentibus ſubitis belli periculis, imperium ad unum devolvere. Viderunt enim, qvod plurium imperium bello ſit inutile. Simulac verò periculis illis Respubl. fuerat defuncta, abrogari ſolebat Æſymnetis Imperium. Tales Æſymnetæ fuerunt olim apud Romanos Dictatores, de qvibus *Vid.* Dionyſ. Halicarnaſſ. *lib. V. Antiq. Roman. cap. 79. & 83.* Qvarta Species eſt Regnum LACONICUM. Apud Lacedæmonios enim olim duo Reges erant ex duabus certis familiis electi, qvorum tamen poteſtas fuit exigua pacis tempore. Nam illas tantum ipſis prærogativas à populo fuiſſe conceſſas refert Herodotus, ut in Conviviis primi accumberent; duas partes, & qvidem lautiores, præ cæteris Convivis acciperent; libamina & coria immolatorum ſibi vendicarent; In ſpectaculis etiam certis præſiderent; duos eligerent Pythios, qvi Delphos mitterentur ad oracula conſulenda; ipſis etiam ad publicas cœnas non venientibus mitteretur certus cibus, & certa vini menſura. *Vid.* Herodotus *lib. VI. Hiſt. ante med. pag. 374.* Bellicis autem temporibus hi Reges vitæ & necis jus habebant, teſte *Ariſt. lib. III. Polit. cap. 14.* Confer. Cornelius Nepos *in Vita Hannibalis cap. 7.* Qvinta Species dicitur Παμβασιλεία i.e. Regnum, ubi unus ſuprema poteſtate præditus nullisqve legibus adſtrictus, abſolutè imperat, & ad communem reſpicit utilitatem.

II. Ad harum qvinqve ſpecierum unam Regnum Polonicum pertinebit, aut ſaltem proximè ad illarum aliqvam accedet. Sed qvoniam Regnum Polonicum mille præter propter annos jam ſtetit, varias in illo contigiſſe mutationes, non eſt, qvod dubitemus, unde etiam, modò ad hanc, modò ad illam ex dictis ſpeciebus potuit reduci. Antiqvisſimis temporibus obtinuiſſe Regnum Barbaricum vel Dominatum poſſet aliqvis colligere ex Cromeri verbis, qvæ habet *lib. II. Deſcript. Polon. pag. 124.* ubi ait: *Fuit initio liberior Dominatus Principis Poloniæ & nullis propemodum legibus adſtrictus, infinitam non modò omnium rerum, ſed etiam vitæ necisqve omnium poteſtatem habens.* Verum Regnum Barbaricum, cùm ſit tantum inter illas gentes, qvæ ad ſervitutem pronæ ſunt, & propterea qvoqve dicatur Dominatus juſtus, Polonis antiqvis illud tribui non poteſt, qvi non ad ſervitutem, ſed ad Libertatem fuerunt nati. Audiamus de antiqvis Slavis, qvi tunc Orientalem adhuc Viſtulæ ripam accolebant, diſſerentem Procopium Seculi VI. Scriptorem. *Antarum*, ait ille, *Slavinorumqve nationes non ab homine aliqvo uno reguntur: Sed ab antiqvo plebeja communiqve libertate vivunt, & idcir-*

idcircò res omnes, qvæ vel utiles sint, vel fortè difficiles in commune consilium deducuntur. lib. III. *de Bello Goth. cap. VII. pag. 542. Edit. Lugdun. An. 1594.* Adde, qvæ supra diximus *lib. I. cap. 2. num. 4.* Verò itaqve non est absimile, Polonos, cùm in has oras, qvas jam possident, commigrare vellent, Ducem itineris sibi præfecisse Lechum, qvi etiam introductâ in has provincias gente Principatum obtinuit. Jam verò persvadere mihi non possum, Polonos Lecho servilem in modum sese tum subjecisse. Affectarunt qvidem seqventibus temporibus Dominatum in libera hac gente Principes qvidam, ut Popielus junior; hoc tamen ad Dominatum illum justum, qvem supra l.c. describit Aristoteles non potest applicari. Nam Popielus iste liberæ genti jugum imponere voluit, adeoqve ad Dominatum injustum adspiravit, qvem tamen non obtinuit, Deo scelera ipsius condignâ pœnâ ulsciscente. Propius ad veritatem accedunt, qvi primis illis temporibus imperio Polonico Regnum Heroicum applicant. Hoc enim fuit, qvando ob ingentia in populum merita, Regnum ad unum deferebatur, ut supra audivimus. Jam verò Lechus, cum Polonos feliciter in has oras, ubi jam degunt, introduxisset, ingenti ipsos sibi devinxit beneficio, qvo & sibi, & (ut qvidam volunt, sed minus rectè) posteritati suæ peperit Imperium. In hac sententia est *Mich. Piccartus in Comment. ad lib. III. Polit. Arist. cap. 14. pag. 465.* Verùm neqve hæc regni species Regno veteri Polonico exactè respondet. Nam regnum Heroicum fuit legibus adstrictum, nec infinitam omnium habuit potestatem; ast Polonici Monarchæ, qvantum ex hodiernis Scriptoribus Polonicis constat, omnibus legibus fuerunt soluti. Convenientius itaqve est, ut dicamus, in Polonia tum fuisse Παμβασιλείαν vel Regnum simpliciter & propriè ita dictum, ubi Rex vel Principes, Patris instar, sine ullis legibus, liberam omnium in libera gente habebat administrationem, omnia tamen ad communem omnium, ut filiorum, referebat utilitatem. Neqve objici potest, Cracum leges tulisse, ut diximus supra, adeoqve jam secundum leges imperasse, qvod Regno propriè sic dicto non convenit. Nam adhuc dubitari potest, an Cracus ullas tulerit leges, cùm Dlugossus, & qvi eum hac in re seqvuntur, multò sunt recentiores, qvàm ut de tam antiqvis rebus nobis indubitatam facere possint fidem. Deindè, posito qvòd leges tulerit, eæ tamen fuerunt paucæ, nec Imperium Regium ullo modo limitarunt, sed datæ fuerunt subditis, ut secundum illas vitam suam instituerent.

III. Cùm Poloni Religionem Christianam suscepissent, limitari cœpit hoc Regnum. Cùm enim Principes multa Privilegia subdi-

tis suis contulissent, sine dubio in inauguratione sua more aliorum Principum Christianorum jurarunt, se Privilegia & libertatem Regni conservaturos, adeòqve illa forma proximè accedebat ad illam speciem, qvæ Aristoteli dicitur Regnum Heroicum, non qvidem ratione collationis, attamen ratione potestatis. A Temporibus Casimiri Magni & Ludovici Regum, jam cœpit misceri Aristocratia cum Monarchia, ita tamen, ut Regnum prævaleret. Hodie magis adhuc potestas Optimatum crevit. Si itaqve qværamus, qvænam ex supra datis ab Aristotele speciebus Poloniæ conveniat, respondit jam ante Seculum Martinus Cromerus *lib. II. Descript. Polon.* Regnum Poloniæ à veteri Lacedæmoniorum vel hujus temporis Venetorum non multum differre. Consentit his Stanislaus Orichovius *in Orat. ad Proceres habitâ, qvæ præfixa est Corpori Constitutionum Regni Poloniæ à Jacobo Prilusio edito. Rex Poloniæ,* ait Orichovius, *nihil aliud est, qvàm os qvoddam Regni Vestri vobiscum conjunctum, libero ac legitimo vestro suffragio, ut is prorsus nihil agat, nihil moliatur, ac ne loqvatur qvidem, nisi id, qvod ex intimo sensu vestro publicè sit profectum. Senator autem, qvem Majores Præsidem Libertatis atqve custodem esse voluerunt, eâ ratione Regi adjungitur, ut custos is sit ac vindex illius cupiditatum, ac ut in sententiis dicendis Regi præeat, illumqve doceat, qvia illi pro communi vestra salute agendum edicendumve sit &c.* Sed magnum adhuc discrimen intercedit inter Regnum Laconicum & hodiernum Polonicum. Spartani duos simul habuere Reges pari potestate ac dignitate ex Aristodemi filiis Procle & Euristhene oriundos. Herod. *lib. VI. Hist.* Hinc Respubl. Laconica propius accedebat ad formam Aristocraticam, qvam Polonica, qvæ unum tantum habet Regem. Qvapropter etiam à Dionysio Halicarnass. Respubl. Laconica inter Respublicas Aristocraticas refertur. Hic enim dicit: Romæ cum Aristocratica forma introduceretur, exemplo Spartanorum duos Consules esse creatos. *lib. IV. Antiqvit. cap. 79.* Deinde potestas Regum Spartanorum fuit perexigua. Pacis enim tempore duo ipsis Sacerdotia, more aliarum gentium, fuerunt commissa, nempe Jovis Lacedæmonii, & Jovis Cœlestis. Inter Magistratus duos tantum Pythios eligere poterant, qvos ad consulendum Oraculum Delphicum mitterent, ut & Proxenetas sive Præsides hospitum publicè advenientium. v.g. Legatorum aliorumqve curam gerentes. Ast Rex Poloniæ solus omnes ferè dignitates seculares & Ecclesiasticas, qvarum ingens est numerus, confert, qvod non minimum est inter Majestatis Jura. Licet autem munus Sacerdotale non gerat, ut Spartani Reges; hoc

tamen Majestati ipsius non officit, cùm munus Sacerdotale hodie in omnibus Rebuspublic. Christianis à Regio sit disjunctum. In Bello verò major potestas Regum Laconicorum fuisse videtur. Testatur hoc Herodotus: *Jus Belli*, inqviens, *habent in qvamcunqve libuerit Regionem inferendi, ut id nulli Spartiatarum prohibere fas sit. lib. VI. Hist.* Qvamvis neqve hæc ita simpliciter accipi possint. Nam bello navali Reges raro præficiebantur, idqve cum fiebat, non præficiebantur terrestri, ut probat Nicol. Cragius *de Republ. Lacedæm. lib. IV. cap. 4. & 5.* Deinde non videntur Reges Lacedæmoniorum bellum ullum gerere potuisse, nisi esset prius à populo decretum. Id enim indicant verba Xenophontis: *Qvocunqve*, ait ille, *Civitas militum copias mitteret, Ducis munere fungebatur.* lib. de Republ. Lacedæm. circa fin. Aristoteles qvoqve dicit: Cùm Rex egreditur extra Regionem, imperium habet eorum, qvæ pertinent ad bellum. *lib. III. Polit. cap. 14.* Exutio itaqve tantum belli à Republ. decreti absolutè competebat Regibus Spartanis, qva in re major ipsorum fuit potestas, qvàm hodie est Polonorum Regum, qvi in ipso bello admittunt consilium bellicum à Republica sibi adjunctum *ex Constit. An. 1620. fol. 1. An. 1673. Vide supra lib. II. cap. 2. num. 7.* Porrò alii honores Regibus Lacedæmoniorum exhibiti fuerunt per-

perexigui; opes etiam mediocres, adeò ut his ante alios cives non excellerent, ut ex Herodoti & Xenophontis *ll. cc.* manifestum est. Præterea potuerunt Reges Laconici pecuniâ mulctari, ut Archidamus Rex à Republ. mulctatus est, eò qvod parvam Uxorem duxisset. *Plutarch. de educand. lib. in pr.* Potuerunt etiam in exilium ejici, ut Leotychides & Pausanias experti sunt. Imò etiam capite plecti potuerunt, exemplo nobis potest esse Agis, qvi ab Ephoris in carcere necatus est. *Vid.* Xenophon. *& Herod. ll. cc.* ut & Pausanias *in Laconicis.* Justin. *lib. III. Hist. cap. 3.* Inde verè dixit Cornelius Nepos: Lacedæmonios habuisse duos Reges nomine magis, qvàm imperio. *in Vita Agesilai in pr.* Ast multò majores Polonorum Regibus exhibentur honores, ut qvivis animadvertit.

IV. Cùm Venetorum Republ. etiam non planè convenit Regnum Polonicum. Nam in duce Veneto, licet species qvædam Regiæ dignitatis reperiatur, verè tamen forma Reipublic. est Aristocratica. Annua Duci pensio persolvitur aureorum ter mille nec non qvingentorum, sed qvatuor temporibus ex his convivia debet celebrare. *Janottus de Republ. Veneta. pag. 197.* Duces etiam suos Veneti mulctare possũt, cùm ignominia & exilio, tùm etiam cæde. Nicol. Crassius *pag. 387. & 391.* In defuncti etiam Ducis vitam inqviritur,

ritur, & si minus rectè Rempublicam administraverit, mulctam pecuniariam pendere coguntur hæredes. Janott. *pag.168.* Et ut verbo omnia complectar: Dux Venetus in Republ. planè nullum ex majoribus Majestatis Juribus exercere potest solus. Sed in Polonia multò majorem Regum esse potestatem ex superioribus elucebit. Testantur illud passim Scriptores. Audiamus Fredronem, qvi Duces Venetos cum Regibus Poloniæ conferens, ait: *Illic* (Venetiis) *abesse fateberis corrumpendæ libertatis (ut ita dicam) venena, ab ea potestate Principis, qvæ parva est, cùm ille solo nomine sit, reipsa verò primus Senator, primusqve Patricius, primusqve Reipublic. Civis. Nobis verò Polonis majoris authoritatis, tituli & potentiæ sunt Reges, qvibus divisa licet cum Republ. jubendi consulendiqve potestas inest; Majestas tamen Regum alia. Tituli verò, honores, munia Reipubl. & benè meritorum præmia in manu & arbitrio illorum sunt.* Hæc Fredro *in Fragment. Polit. pag.187.* Concludimus itaqve, Regnum Polonicum non esse qvidem prorsus idem cum Laconico, proximè tamen ex dictis Regni speciebus ad Laconicum accedere, & esse Regnum ex Monarchia & Aristocratia mixtum.

V. Dices, Regnum Polonicum eodem modo esse ex Regno, Aristocratia & Politia mixtum, ut fuit mixtum Laconicum Regnum. In

In Polonia namqve Regia forma conspicitur in Rege, Aristocratia in Senatu, Politia in Nunciis terrestribus, qvi Ephororum instar libertatem populi propugnant. In hac Opinione est Simon Starovolsc. *in Polonia sua pag. 246.* Idem etiam de Republ. Veneta asserit Joannes Cotovicus, qvod mixtionem omnium statuum admittat: Videlicet dicit ibi conspici Monarchiam, qvæ penes Ducem est; Aristocratiam, qvæ constat ex Senatu, Decemviris & Præconsultoribus; Democratiam, qvæ ex universo Patriciorum constat conventu. Verum hæc minus accuratè dicuntur. Nam ad Politiam, sive ut alii vocant, Democratiam hoc reqviritur, ut & plebs sit imperii particeps, ut Lacedæmone fuit, teste Justino. Ibi enim Lycurgus *administrationem Reipubl. per Ordines divisit. Regibus potestatem bellorum: Magistratibus judicia per annuas successiones: Senatui custodiam Legum: populo sublegendi Senatum, vel creandi, qvos vellent, Magistratus potestatem permisit: Fundos omnium æqvaliter inter omnes divisit, ut æqvalia Patrimonia neminem potentiorem alterò redderent. lib.III. Hist. cap.3.* Sed in Veneta Republ. & præcipuè in Polonico Regno plebeji planè excluduntur ab administratione Reipubl. qvod adeò verum est, ut etiam plebeji ne Causidici qvidem esse possint in Judiciis Nobilium, ut & in summis Regni

& M.

& M. Duc. Lithvaniæ tribunalibus. Mittunt qvidem in Polonia Civitates nonnullæ Nuncios suos ad Comitia, ut sunt Cracovia, & Vilna; non faciunt tamen illæ diversum Reipubl. statum, sed Nobilitati accensentur, qvia Consules (sic dicuntur Senatores in Urbibus ad differentiam Senatorum Regni) in ejusmodi Urbibus consecuti sunt jura Nobilium. De Vilnensibus & Cracoviensibus *Vid.* Aaron Alexander Olisorovius *lib. II. de Politica hominum societate cap. 1.*

VI. Si tandem qværatur, qvænam hoc tempore forma prævaleat, utrum Regnum, an verò Aristocratia? Non verebimur asserere, prævalere Aristocratiam in plerisqve. In aliis maximum Regibus suis deferunt honorem Poloni, adeò, ut non ex vano glorientur, nullam unqvam gentem tanto amore suos Reges prosecutam esse, qvanto Polonia suos proseqvitur. Qvod si enim turbæ, tumultus & rebelliones aliarum gentium, sæpius etiam cum cæde Principum conjunctæ perpendantur, felix hoc nomine prædicari potest Polonia, qvæ in maxima libertate, ita sæpissimè turbas ciebat, ut tamen salvam erga Principes suos servaret reverentiam. *Vid. Auct. Defensæ Poloniæ contra Barclajum*, apud qvem multa in hanc rem occurrunt. Illud etiam gloriam genti Polonicæ parit non exiguam, qvod Adamus de Kobilino Konarski Episcopus Posnaniensis ad Henricum Poloniæ Regem electum dicere potuerit: *Consessurus es in eo solio, qvod non novit hucusqve nec veretur sicarium, in eo, in qvo nusqvam captivi consedere Reges*, apud Andream Maximilianum Fredro *in Hist. Henrici I. pag. 99. fin.* Non minus eleganter qvoqve Albertus Jnes *Part. 3. Lechiad.* in Henrico Valesio: *Etsi*, ait, *aliqvos Regum, qvos ipsa impietas proscripserat è solio ejecimus, nullum tamen de vita.* Neqve exterorum desunt testimonia, qvibus fides Polonorum erga Reges suos deprædicatur. Fridericus de Marselaër dicit: Polonos Regibus semel sumptis semper fidos esse. *lib. I. de Legat. cap. 29. pag. 159.* Et non ita pridem Samuel Schurzfleisch. *Comitari Regem*, ait de Polonis, *in qvacunqve fortuna decus interpretantur. Multas gentes ferro sævisse in suos Reges compertum. Poloni servatorum Regum gloriam tulerant. Dissentiri qvidem & obniti indignariqve insuper, sæpè & edere irati animi signa non rarum. Sed manus Regum imbuere sangvine & insontes deposcere ad necem generoso hactenus populo piaculum fuit. Magna hæc fides, gloria autem fide major, pietas longè maxima.* Hæc ille, *in Lineamentis Sarmaticis num. 10.*

VII. Ut autem ferè nunqvam adeò felix succrescit seges, ut non simul infelix inveniatur lolium, ita etiam laudem hanc gentis Poloni-

lonicæ aliqvando ferme qvorundam subvertit ferocia. Conqveruntur ea de re Polonici Scriptores passim. *Vid.* Stanisl. Lubienski *in Differt. & Qverela de Statu rerum Poloniæ An. 1622. fol. 139. seqq.* Christoph. Varsevicius *in libb. de opt. Statu Libert.* Sed hæc toti genti non possunt imputari: *Paucos excipimus*, ait iterum Schurzfleisch, *qvibus sensum obseqvii sive innata ferocia seu pertinacia excussit. Hos rebus studuisse novis, recessisse à fide erga Reges, exuisse Reverentiam sicut notum, ita universæ genti neutiqvam imputandum.* Hæc ille. Contigit An. 1620. ut Sigismundus III. à qvodam Michaële Piekarski vulneraretur, sed hoc exemplum in opprobrium gentis non cedit, satis cùm Piekarscius iste fuerit mente motus, satisqve Poloni in hoc casu indignationem suam ostenderint. Res tota sic se habet: Cùm Sigismundus III. Rex huic Piekarscio, ut furioso, Curatores assignasset, ille hanc injuriam reputans, Regem in templum euntem clavâ mucrone eminente munitam (*Czekan* Polonis dicitur) semel atqve iterum percussit. Statim Sicarius comprehensus, qvæstionibus subjectus, deinde sententia Comitiorum damnatus, ignitis forcipibus laniatus, postea manu dextra & digitis articulatim præcisis, eqvis in diversum incitatis à pedibus distra-

ctum carnifex flammis consumpsit, ejusqve Cineres in profluentem Vistulam abjecit. Bona qvoqve sicarii in Fiscum redacta sunt; uti hæc omnia refert Paulus Piasecius *ad dict. an. fol. 404.* Sed restant majora, qvæ forsan gloriam illam Polonorum infringent. Detestantur multi pernitiosissimum istud *Rokosz*, qvod *vulgatum nomen est gentis tessera, qvâ in tumultu aliqvo auditâ omnis, qvi censetur Nobilis, licet sit alligatus obseqvio alicujus Principis vel Nobilis, relicto eo ad communem concurrentis Nobilitatis cœtum venire pœnis gravioribus obligatur.* apud Piasecium *in Chron. fol. 69.* Hoc verò nomen *Rokosz* petitum est ab Hungaris, gente ad seditiones nata, ut dicit Stanislaus Lubienski *in vita Matthiæ Pstrokonii Episcopi Wladislaviensis & Regni Cancellarii fol. 423.* Exemplum hujus rei (præter antiqvius illud sub Ludovico Poloniæ & Hungariæ Rege) habemus tempore Sigismundi I. An. 1537. Tum enim etiam acclamatum est Rokosz. Nobiles omnes Rege & Proceribus relictis invicem conjuncti severiorem rationem administrationis Reipubl. ab ipsis reqvirebant, & Senatores qvosdam malorum Consiliorum Auctores penè oppresserant. Piasecius *in Chron. ad An. 1606. fol. 280.* Confer & Neugebauerum *lib. VII. Hist. Polon. ad An. 1537.* Confœdera-

rationes qvoqve militum in Polonia qvis non novit? Imò inter ipsos Polonos communi proverbio jactatur illud: POLONIA CONFUSIONE REGITUR. Verùm neqve hæc gloriam inclytæ gentis hujus infringunt, cùm seditionum talium Exempla rara sint, neqve apud alias gentes desint. Ad proverbium illud respondet Illustrissimus Andreas de Pilca Corycinius Castellanus Vislicensis: *Multa*, inqviens, *mira paradoxa in hoc ævo leta, gi. Illud verò est culmen omnium paradoxorum, in qvod consentiunt moderna ora cum veteribus, & dicitur jam bis mille annis ab incunabulis hujus Regni*; CONFUSIONE REGITUR POLONIA. *Felix illa Confusio dicenda, qvæ inter tot sudata bella & pericula Virgo hujus gentis gloria est eluctata.* Hæc Coricinius *in Perspectiva Politica cap. 6. pag. 103.*

TANTUM.

ADDEN-

ADDENDA.

Constitutiones Anni 1677. typis exscriptæ sunt, cùm jam opusculum hoc sub prælo sudaret, adeò, ut omnia dicti anni decreta huc pertinentia supra non potuerint annotari. Hæc itaqve ex dictis Constitutionibus adjicienda sunt.

Ad lib. I. cap. XI.

Australis Livoniæ imperio Polonico subjectæ Ordinatio jam pridem promissa, hoc demum anno edita est, in qva Livonia neqve ad Regnum neqve ad M. Duc. Lithvaniæ refertur, sed manet utriqve genti communis, habetqve peculiaria sua jura & privilegia. In electione namqve Senatorum illud observari jubetur, ut primò eligatur Polonus, post ejus obitum Lithvanus, & tandem Livonus. Ordinarias verò contributiones Livoni alternis annis Thesauro Regni Poloniæ & Magni Duc. Lithvaniæ inferre jubentur. *Vid. Constit. fol. 32. seq. tit. Ordinatia.* Reliqva in jam jam seqventibus adjiciemus.

Ad lib. II. cap. III.

In Pactis Olivensibus cum Svecis An. 1660. initis abrogatæ sunt Dignitates Senatoriæ in Livonia; qvoniam tamen pars australis Livoniæ Polonis per Pacta illa relicta est, instituti jam sunt tres ibidem Senatores, videlicet Episcopus Palatinus & Castellanus, sub titulo generali Ducatus Livoniæ, ita, ut dicantur Episco-

ſcopus Ducatus Livoniæ, Palatinus Ducatus Livoniæ & Caſtellanus Ducatus Livoniæ. *Conſtit. fol.32.ſeq.*

Ad lib. II. cap. IV.

In Palatinatu Podlachiæ inſtituitur Tribunus, daturqve ipſi locus poſt Enſiferum. *fol.31.*

In M. Duc. Lithvan. inter Magiſtratus Diſtrictuum minores talis inſtituitur ordo; ut poſt Officium Caſtrenſe demum ſeqvantur Podczaſzy, Czeſnik, Horodniczy, Skarbnik, Lowczy, Moſtowniczy, Budowniczy. *Inter Conſtit. Lithvan. fol.18. tit. Opiſanie.*

Ad lib. II. cap. V.

Qvi antehac ad jura Nobilitatis admiſſi ſunt, non commendante eos Rege, neqve Ducibus Belli, prærogativâ hâc uti prohibentur, usqve ad deciſionem ſeqventium Comitiorum. *Conſtit. fol.42.*

Ad lib. II. cap. VI.

Promiſi in ipſo Opuſculo Conſtitutionem me additurum de Marſchalcis Nunciorum Terreſtrium, ſed nullam in Volumine Conſtitutionum hujus anni reperio; unde colligere licet, poſt multas controverſias ea de re agitatas nihil tandem certi determinatum eſſe.

Comitia Relationum Ducatui Zatorienſi An.1667. conceſſa, nunc approbantur. *Conſtit. fol. 16. tit. Aſſecuracya.*

Palatinatus Podoliæ ob deſtructam Haliciam Comitia Ante- & Poſt Comitialia Leopoli habe-

habere debet, donec Halicia reſtauretur. *Conſtit. fol. 18. tit. Seymiki.*

Livoni Nuncios ad Comitia mittendos eligant Duneburgi. *Conſtit. fol.33.*

Tertia Imperii Polonici Comitia generalia Grodnæ debent ordinariè celebrari. *Inter Conſtit. Lithvan. fol.10.*

Ad lib. II. cap. VII.

Palatinatui Belzenſi duo conceduntur Deputati ad Tribunal mittendi. *Conſtit. fol.12. tit. Declaracya.*

Ex Palatinatu Lublinenſi duo mittuntur ad Tribunal Deputati, ita ut ſemel uterqve ex dicto Palatinatu, deinde verò alter ex Palatinatu Lublinenſi, alter ex terra Lukovienſi eligatur. *fol. 12. tit. Deputat.*

Judicia Succameralia Terreſtria & Caſtrenſia ſtatis temporibus, etiam tempore Comitiorum generalium, exerceantur, ita tamen, ut illi, qvi in Comitiis cauſam aliqvam habent, eximantur usqve ad Comitia Relationum. Producere tamen debent à Marſchalco teſtimonium, qvod in Comitiis fuerint præſentes. *Conſtit. fol. 13.*

In Livonia, eodem modo, ut in Regno & M. Duc. Lithvaniæ, judicia debent exerceri. Officiales terreſtres & Caſtrenſes jusjurandum præſtare debent ſecundum formulam jurisjurandi à Lithvanicis judicibus præſtari ſoliti. Appellatio à dictis judiciis Livonicis, ſi cau-

si causa qvingentos excedit florenos, datur ad judicium Regium Assessoriale. Assidet tunc etiam Referendarius, vel Notarius Magni Ducatus Lithvaniæ, cui Livoni adhuc alium suæ Nationis sub titulo Secretarii adjungere debent. Judicantur autem illæ causæ à Livonicis Judiciis ad judicium Assessoriale devolutæ Januario & Februario mensibus. Decreta signantur sigillo Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ. *Constit. fol. 32. seq. tit. Ordinatia.*

INDEX RERUM.

Primus numerus nempè Romanus, notat librum; Secundus caput; Tertius ut & seqventes, numerum capitis.

Ca-

ex

Cosa-

Fer- Ge-

M.

N.

O.

Nun- Oſſo-

Q.

R.

Reli-

S.

Titu-

 Var-

SOLI DEO GLORIA.

DISSERTATIO,

De

ORIGINIBUS POMERANICIS.

I.

IN Origines Pomeranicas inquisituri, tres Periodos ab aliis jam notatas, in sequentibus, observabimus. *Prima* est Veterum Germanorum. *Secunda* Slavorum. *Tertia* iterum Germanorum. Quod ad primam attinet Periodum, antiquitus ignorarunt Scriptores, quænam hunc tractum inhabitarint gentes. Herodotus certè (qui vixit tempore Artaxerxis Longimani Persarum Regis, Olymp. 84.) *de extremitatibus Europæ, quod pro comperto referat, non habere se testatur*, nisi quod tenui & du-

biâ famâ quasdam gentes ad Eridanum fluvium habitantes, succinum colligere ipsi relatum sit. lib. III. qui dicitur Thalia mult. supr. med. p. 234. Quæ Pytheas post Herodotum de his gentibus tradiderit, alibi ostendimus, cum de Originibus Prussicis ageremus. Julius Cæsar post hæc multa quidem de *Svevis* memoriæ prodidit lib. IV. Comment. in pr. quæ Johan. Micrælius ad suos quoque Pomeranos applicat; non posse tamen ea gentibus ad mare Balthicum habitantibus competere, probavit jam ante Philip. Cluverus lib. III. Germ. Antiq. cap. V. ibi enim ostendit, per *Suevos* Julium Cæsarem intelligere *Chattos* (qui hodiè *Hassi*) Ubiis conterminos. Imò malè & hos à Cæsare appellari Svevos multis evicit argumentis. Idem ille *Julius Cæsar*, referente Æthico in pr. Cosmographiæ, *cum consulatus sui fasces erigeret, ex Senatus Consulto censuit omnem orbem jam Romani nominis admetiri, per prudentissimos viros & omni Philosophiæ munere decoratos: A Consulatu Julii Cæsaris & M. Antonii usque in consulatum Augusti decimum annis*

annis XXIX. mensibus VII. diebus X. à Theodoro septentrionalis pars dimensa est. Si hæc Æthici relatio vera est, confectæ fuerunt sine dubio tabulæ Geographicæ, quæ has oras Septentrionales, earumque incolas oculis Romanorum subjicerent. Sed mihi res hæc suspecta est, & quamvis authoritatem Æthici sequatur Clariss. Micrælius lib. 1. Chron. Pomeran. n. 8. mihi tamen religio non erit, hoc ipsum negare. Ut enim jam illud prætercam, Æthicum, ut dubiæ ætatis, & fidei Scriptorem, non posse nobis certum testimonium perhibere, de re tam antiqua, hoc tantum commemorabo, ex Strabone fide digno Scriptore, qui sub Augusto & Tiberio Imperatoribus floruit, contrarium probari posse. Hic enim ad sua tēpora has oras Romanis fuisse incognitas disertis verbis testatur. lib. VII. Geograph. circa pr. fol. 291. ubi Drusum Germanicum pervenisse refert, tantum ad insulam, cui nomen Byrcanis, in Oceano Septentrionali. Postea quoque refert alias quoq; gentes potuisse innotescere, *si Augustꝰ militibꝰ permisisset, ut transmisso Albi*

Albi eo rebellantes persequerentur. Sed promptius censuit Augustus, se bellum, quod erat præ manibus, confecturum, si populos ultra Albim sitos ac nihil moventes missos faceret, neque irritatos maleficio ad societatem cum hostibus ineundam invitaret. Et fol.294. *Quæ*, ait, *trans Albim ad Oceanum sunt, nobis prorsus sunt incognita: Nam neque priorum quempiam compertum habemus istud litus prœternavigasse versus orientem usque ad Caspii maris fauces: neque ultra Albim sita Romani adiverunt: sed ne terrestri quidem itinere quispiam illa perlustravit. Neque an tota illa in ora Oceani aliqua sit portio, quæ vel ob frigus vel alia de causa habitari nequeat: item an aliud genus hominum Orientalibus Germanis & Oceano sit interjectum, eadem ignoratio reliquorum deinceps ad Boream vergentium ab eo indicatur.* Ex quibus luce clarius elucet, non fuisse tempore Julii Cæsaris has oras Romanis cognitas. Addi his potest & Dio Cassius, qui Drusum Albim transsire & has gentes peragrare volentem spectrum prohibuisse refert. Etenim mulier quædam humanâ amplior formâ

formâ ei obviam facta: *Druse*, inquit, *quò tandem nullum cupiditati tuæ modum statuens contendis? non tibi fatis concessum, hæc omnia videre.* Hæc Dio lib.LV. in princ. illud tamen concedimus Strabonem per *Butonas*, qui Moroboduo suppetias contra Romanos tulerunt, fortassis intellexisse nostros *Gutonas* sive *Gothos*, de quibus postea dicendi erit locus. Nam licet Romanis exactè non fuerit cognitum, quæ gentes, & qui mores ipsarum in his oris fuerint; potuerunt tamē à finitimis cognovisse vel etiam ex antiquis Scriptoribus hausisse nomen Guthonum sive Gothorum, quos hic habitasse crediderunt.

II. Cum itaque post Strabonis tempora Septentrionales Germaniæ partes innotescere cœpissent, compertum est, SVEVOS Pomeraniam hodiernam incoluisse. Manifestum illud est ex Taciti lib.de Morib.Germ.post med. Lucanus etiam de Svevis ita loquitur lib.II. vers.51.

Fundit ab extremo flavos Aquilone Svevos
Albis, & indomitum Rheni caput.

Vi-

Videlicet habitarunt Svevi, latissima gens, magnam hodiernæ Germaniæ partem *à Danubio* usque *ad mare Balthicum*; Trans mare quoque Balthicum *Blekingiam*, *Sconiam* & *Hollandiam*, *Svediam*, *Norvegiam*, *Botniam Occidentalem*, *Finmarchiam*, *Scritofinniam*, *Lappiam* & *Biarniam*, uti has aliasque regiones enumerat Cluverus lib. III. Germ. Antiq. cap.XXIV. Sic itaque generale nomen Pomeranorum, quod ipsis cum multis aliis gentibus commune fuit, cognovimus, quod antiquitus dicti sint SVEVI. Probatur illud etiam exinde, quod mare Balthicum, cui adjacet Pomerania, olim dictum sit *Svevicum*, teste eodem Tacito lib. cit. cap. XLV. sed etiam quod fluvius Pomeraniæ præcipuus dictus sit olim *Svevus*, ut ex Ptolemæo patet, qui lib. II. Geogr. cap. XI. fol. 58. amnes in mare Balthicum se exonerantes hos enumerat: *Chalusum*, *Svevum*, *Viadum*, *Vistulam*. Hic quidem inter Eruditos non convenit, quis amnis per Svevum sit intelligendus, dum alii ipsum Varnam esse contendunt, ex eo capite, quia Ptolemæus

lemæus à Chaluso (Trawe) usque ad Svevum dicit habitasse Pharodenus, per quos illi Varinos i. e. hodiernos Mechlenburgenses intelligunt. Alii per Svevum intelligunt ostium illud Oderæ, quod vocatur die Schwiene. Micrælius autem intelligit illud ostium, quod nomen habet der Gellen / cui urbs Stralsundensis assidet. lib.I.Chron.Pom. num.20.p.28.seqq. Vid.de Svevis Wolffg. Lazius lib.VII. & VIII.de migrationibus gentium.

III. Specialia nomina horum populorum ad mare Balthicum habitantium fuerunt illa, quod dicti sint VANDALI & GOTHI, qui deinde in alias gentes fuere divisi: Ex his Vandali à Chaluso præter propter porrigebant se usque ad Oderam. *Vandalos* enim Ulmerugis & Gothis conterminos facit Jornandes lib. de reb. Got. cap.IV. p. 613. GOTHI dicebantur, qui inter Oderam & Vistulam mare accolebant. Colligi id etiam potest ex illis Pauli Diaconi verbis, quando ait: *Eodem tempore erant Gothi, & aliæ gentes multæ ac maximæ, trans Danubium in*

in Hyperboreis locis habitantes, ex qvibus rationabiliores quatuor sunt: Gothi sc. Hypogoti, Gepides & Vandali, nomen tantum & nihil aliud mutantes, unâque linguâ utentes. lib. XIV. Hist. Miscellæ ante med. p. 429. Sed de Gothis fusius agemus infra, hic de Vandalis notandum est, illos secundum communem opinionem dictos esse à Vandalo, qui Svevi filius fuisse perhibetur, testibus Beroso, Aventino & aliis. Hoc nomen Vandalorum, licet non sit adeò generale, ut prius illud Svevorum, complectebatur tamen præter hodiernæ Pomeraniæ partem occidentalem, etiam Varinos i. e. hodiernos Mechelburgenses & alias etiam gentes, ut ex sequentibus apparebit.

IV. Specialissima Pomeranicarum, gentium nomina varia apud varios reperiuntur. Pomponius Mela, qui sub Tiberio Imp. vixit, cum Sinum Codanum, quod est nostrum mare Balthicum, descripsisset, addit: *In eo sunt Cimbri & Teutoni: ultra ultimi Hermiones.* lib. III. de Situ Orb. cap. III. Ex quibus HERMIONES esse populos mare Balthicum accolentes, adeoque Pomeranos, probat Is. Vossius in Animadvers. ad l. c. Melæ. p. 137. Verum quomodo hæc cum Plinii & Taciti horum populorum descriptionibus conveniant, non apparet. Plinius enim ita hac de re loquitur: *Alterum genus Ingævones, qvorum pars Cimbri, Teutoni à Cauchorum gente. Proximi autem Rheno Istævones, quorum pars Cimbri; Mediterranei Hermiones, quorum Svevi.* lib. IV. Nat. Hist. cap. XIV. Quamvis non nesciam ab aliis ita apud Plinium legi: *Istævones, quorum pars Cimbri mediterranei: Hermiones, quorum Svevi.* Tacitus verò qui in his ex antiquioribus accuratissimus est: *Manno*, ait, *tres filios assignant, è qvorom nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, cæteri Istævones vocentur.* lib. de morib. Germ. cap. II. Si itaque Hermiones medii fuerunt inter Ingævones & Istævones, non potuerunt certè in hodierna Pomerania habitasse. Illud, quod Plinius de Svevis dicit, quod sint pars Hermionum, ita intelligendum erit, quandam Sveviæ, latissimæ illius Provinciæ, partem mediterraneam fuis-

se partem Hermionum, quod de illa Sveviæ parte dici potest, quæ adhuc hodiè cis Danubium Svevico nomine insignitur. Multò enim latior fuit illis temporibus gens Svevica, ut patet ex Taciti lib. de Morib. Germ. cap. XLV. Plinius his in oris collocat *Vindilos* sive *Vandalos*. Inter Vandalicas autem gentes numerat *Burgundiones, Varinos, Carinos, Guttones*, lib IV. Nat. Hist. cap. XIV. *Varinos* hîc excludimus, qui in Mechelburgensi Ducatu olim habitarunt, ut & Burgundiones, qui Poloniam Pomeraniæ hodiernæ finitimam incoluerunt. Relinqvuntur itaque in Pomerania secundùm Plinium CARINI & GUTONES. Ptolemæus sic illas gentes describit: *A Chaluso fluvio usque ad Svevum tenent Pharodeni* (pro quibus Cluverus legendum putat Svardones) *post Sideni usque ad Viadum fluvium. Sub ipsis Ruticilii, usque ad fluvium Vistulam. Interiores autem atque mediterraneæ gentes maximæ sunt Svevi Angili, qui magis Orientales sunt, quam Longobardi, protensi ad septentrionem usque*

que ad medium Albis fluvii. Tum Svevi Semnones qui habitabant post Albim à præfata parte versus ortum usque ad Svevum fluvium. Præterea qui protenduntur ad Buguntes, qui cætera tenent, quæ inde subseqvuntur usque ad Vistulam, supra quos etiam sub monte Asceburgio Corcontæ. lib. II. Geogr. cap. XI. fol. 58. Ex his populis excludimus *Svevos Semnonas*, qui habitarunt in hodiernâ Marchiâ Brandenburgensi. Item *Burguntas*, qui iidem sunt cum Burgundionibus. Relinqvuntur itaque SIDENI, RUTICILII, CORCONTÆ, & forsan etiam Longobardi & Svevi Angili. Urbes his in oris apud Ptolemæum enumerantur: *Laciburgum, Virunum, Viritium, Rugium.* Ex quibus *Rugium* & *Viritium* Pomeraniæ adscribimus. Tacitus fusius recenset has gentes. Numerat verò *Reudignos, Aviones, Anglos, Varinos, Eudoses, Svardones* & *Nuithones*, quos *Hertham* i. e. terram matrem colere dicit, cui nemus castum in insula quadam dicatum fuisse affirmat. Deinde cum à Danubio versus Septentrionem habitantes in Germania populos

 recen-

recensens, jam *Marsignos Gothinos, Osos, Burios, Helvecones* aliosque enumerasset, tandem subjicit: *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius, quam cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemovii, omniumque harum gentium insigne rotunda scuta, breves gladii & erga Reges obsequium.* Hic iterum removemus Reudignos, Aviones, Varinos, qui partim in Mechelburgico, partim in Luneburgico Ducatibus habitarunt. Remanent ergo tandem in Pomerania EUDOSES, SVARDONES, RUGII, LEMOVII, GOTHONES sive GOTHI, ut & secundum Micrælium, ANGLI & LONGOBARDI.

V. Jam populis illis, quos in Pomeraniâ hodiernâ olim habitasse diximus, singulis suæ sunt assignandæ sedes. Quod GOTHI, qui & GOTHONES dicuntur, habitarint in Pomerania orientali, à nemine potest dubitari. Probatum à nobis id est alibi. Hic tantùm illud addimus, *Gothorum* sive *Gythonum* memoriam forsan adhuc durare in *Samogithiis* popu-

populis Lithvanicis. Cum n. ex Pomerania Gothi in Prussiam essent Progressi, facile ex Sambia Prussorum in Samogitiam hodiernam migrare potuerunt, quæ etiam est conjectura Beutheri in Comment. ad Tacit. lib. de morib. German. pag. 206. Si tamen hoc verum est, certè & mores & lingvam immutarunt, ab Alanis, ut & Prussi olim nostri corrupti. Tenuerunt autem Gothi secundum Jornandem Pomeraniam orientalem (quam Germani ulteriorem vocant, nobis autem est citerior) ab Odera forsan usque ad Vistulam. Paulatim verò, cum in Prussiam aliasque regiones migrassent, locum reliquerunt aliis gentibus, adeò, ut tempora Taciti tantùm in Pomerellia ad Vistulam amnem habitarint. Gothis contermini fuere LEMOVII, iis videlicet in locis habitantes, ubi *Lauenburg, Bütau, Hele, Puzik*, ut & urbs Pomeranica *Stolpe* dicta reperiuntur. *Lemoviorum* vestigia deprehendas in urbe *Lauenburg*, ut & fluvio *Leve*. Eos à Scriptoribus post tempora Taciti viventibus appellatos fuisse HERULOS, probat

 Cluve-

Cluverus lib. III. Germ. Antiq. c. XXXV. Paulus Fridebornius *Lemovios* ponit in *Pomerania Occidentali* inter *Panim* & *Veram* lib. I. Chronic. Stetin. pag. 2. Idem etiam ſtatuit Ph. Cluver. in Introduct. Geogr. lib. III. c. 2. ſed ſententiam mutauit, ut conſtat ex lib. III. Germ. Ant. c. XXXV. Et certè, ſi Taciti verba penitius inſpiciantur, id aſſerendum eſſe videtur. Nam Tacitus incipiens ab Oriente, ſic populos illos recenſet: *Gothi, Rugii & Lemovii, Reudigni, Aviones, Angli, Varini.* Ubi *Gothos* inter & *Lemovios* adhuc ponit *Rugios*. Sed melius ponuntur in aſſignatis à nobis locis. Tacitus etiam conjungit Rugios & Lemovios, adeò ut ex verbis Taciti nihil certi poſſit elici. Tertii (poſt Gothos videlicet & Lemovios) verſus occidentem ſunt RUGII, quos Jornandes appellat *Ulmerugos*, ad differentiam aliorum Rugorum, qui dicti ſunt *Etbelrugi*, & ponuntur à Jornande inter Scantiæ populos cap. III. de Reb. Geticis p. 612. Edit. Hug. Grotii. *Etbe rugos* alii dictos volunt, quaſi die Edlen Rügen: Ulmerugos autem die Holm Rügen / quod

quod iterum diverſimodè exponunt. Beutherus in Taciti Germ. p. 206. vocem Holm Veteribus Germanis inſulam ſignificare vult, indè etiam urbem Stockholm nomen traxiſſe dicit. Illos itaque Ulmerugos dictos fuiſſe vult, quia ex *inſula* Rugia fuerunt progreſſi in oras Pomeraniæ maritimas. Micrælius verò Ulmerugos dictos eſſe putat, quaſi Holm und Strandt Rugianer / ſo im feſten Lande gewohnet / lib. I. Chron. Pom. num. 21. p. 35. Et certè melius ſentire videtur Micrælius. Nam licet Holm & inſulam & terram continentem poſſit ſignificare, cum in genere notet einē auß gepfälten Ort in paludibus, quod & in inſula & in terra continente fieri poteſt; hi tamen Ulmerugi non in inſula, ſed in terra continente habitabant, unde quoque poſtea in inſulam, quæ hodiè Rugiæ nomen ſervat, commigrarunt, poſt tempora Taciti. Habitarunt Ulmerugi ad mare Balticum propè Vipperam amnem, qui eos dirimebat à Lemoviis, usque ad Oderam ſive Viadrum, ubi hodiè Rugenvvaldia, Coslinum, Colberga.

Treptovia. Urbis etiam *Rugii* nomen conſervari quidam volunt in urbe *Rugenwaldiâ*, vel alia *Regenwaldiâ* ad *Regam* fluvium ſitâ. Micrælius tamen ex longitudine & latitudine loci à Ptolemæo obſervata colligit, Rugium urbem in illo loco fuiſſe ſitam, ubi hodie urbs *Freyenwalde*, vel *Stargard* lib. I. Chron. Pom. num. 19. p. 28. Verùm neque hoc certò ex Ptolemæo probari poteſt, cum Micrælius ipſe concedat, Ptolemæum circa latitudinem maris Baltici, & per conſequens horum etiam locorum errare. lib. I. Chr. Pomeran. num. 20. p. 30. Conf. de Rugiis Wolffg. Lazius lib. XII. de migrationib. gentium fol. 630. ſeqq. *Rugios* ab auſtro contingebant CARINI, & qui *Carinis* ab occidente fuerunt contermini, SIDINI. Maxima pars *Carinorum* Veterum jam ſubjecta eſt regno Poloniæ, & forſan Pomeraniæ non niſi exigua particula Veterum Carinorum accenſetur: ea videlicet, ubi hodiè eſt urbs Newen Stetin. SIDINI in hodierno Ducatu Stetinenſi habitarunt, ut vel nomen ipſum indicat. Quamvis Cluverus *Sidinos* includat *Drago* & *Viadro* fluviis, qui etiam eam partem Pomeraniæ occidentalis, ubi hodiè viſuntur Stettin / Garz / Prenzlau / NVITHONES incoluiſſe contendit. EVDOSES Cluverus conjicit in illum locum, ubi hodiè *Wolgaſtum*, *Grypſwaldia*, *Stralesundia*. SVARDONES in eo loco collocat Cluverus, ubi hodie Anclamenſes & Paſvvalcenſes. Alii *Svardones* antiquos apud *Sverinenſes* hodiernos in Mechelburgenſi Ducatu reperiri exiſtimant. Conf. Jodoc. Willichius in Tac. de Morib. Germ. Part. II. num. XIX. pag. 606. ſeqq. Sed certa hic indicia non adſunt, quibus hæc vel approbare vel imbrobare poſſimus. ANGLOS Micrælius collocat in illo loco, ubi urbs eſt *Anclam*, quos pedetentim in Ducatum Mechelburgicum ad Albim conceſſiſſe auguratur. Verum hæc mera tantum eſt conjectura, quæ non niſi levi convenientia *Anglorum* & *Anclamenſium* nititur. Aliud etiam verba Ptolemæi ſupra citata indicant, quæ Anglos ad Albim habitaſſe referunt. Tacitus etiam, licet inter ſeptem illas gentes etiam Anglos Hertham

coluisse referat; cum tamen. singulis illis gentibus sedes certas non assignet, nihil certi ex illo colligi posse videtur, adeoque hoc, quod Micrælius de Anglis asserit, in dubio relinquo. RUTICILII apud Ptolemæum post Sidinos memorantur usque ad Vistulam. Videtur itaque per *Ruticilios* intelligere omnes Pomeraniæ Orientalis populos, præsertim cum non faciat mentionem *Rugior. Lemovior.* & *Gotborum*, qvos cis Viadrũ in orientali Pomerania collocavimus. Ibidem tamẽ etiã ad *Asciburgium* montem Ptolemæus collocat CORCONTAS. Pars illius *Asciburgii* montis in Pomerania dicitur **der Gollenberg.** Cluv. lib. III. G. A. c. XXXII. Insulam, in qua *Hertba* Dea collebatur à septem illis populis, non insignit certo nomine Tacitus. Sine dubio tamen fuit insula, quæ hodiè RUGIA dicitur, in quam post tempora Taciti migrâsse videntur *Rugii*. LONGOBARDOS quoque Micrælius trahit in Pomeraniam, ubi etiam urbem eos condidisse atque à suo nomine *Barth* appellâsse refert. Probat

bat id ex insignibus hujus urbis, in quibus caput humanum cum longa barba depictum visitur, lib. VI. Chron. Pomer. pag. 609. Sed & hoc nullo nititur fundamento. Nam nemo Veterum Scriptorum Longobardos maris Balthici accolas fuisse tradit. Ptolemæus certè illos mediterraneos facit, ut ex supra citatis verbis ipsius apparet. Idem ex Taciti lib. de Morib. Germ. cap. XL. probari potest. Pauli Diaconi authoritas ab hac sententia nos dimovere non potest, utpote qui Scriptor fuerit jam recentior. Ad hæc incertum adhuc est, an *Longobardi* dicti sint *à longis barbis*, an verò aliunde nomen illud traxerint. A *longis* quidem *barbis* eos dictos esse, statuunt Isidor. lib. IX. Orig. cap. II. Otto Frising. lib. II. cap. XIII. Guntherus lib. II. Ligurini, & alii. Sed alii Longobardos dictos esse volunt quasi **die Landwarter** / quod custodes sint regionis. Alii à *longis barbis* i. e. bipennibus. Sed optimè sentire videntur, qui eos derivant à Celtica gente *Bardis*, qui fuere confines Holsatis, quorumque mentionem facit Helmoldus lib. I. Chr. Slav.

Slav. cap. XXV. conf. Cornutus, vel quicunque ille sit Scholiastes in Juvenal. Sat. XVI. verſ. 13. Henr. Meibom. in Not. ad Hiſt. Bardevici. in pr. p. 152. Frider. Beſſel in Not. ad Eginharti cap. VI. pag. 27. ſeq.

VI. Inventis jam Veteribus Pomeraniæ populis, ſedibusque ipſorum cognitis, jam ordo poſtulat, ut origines illorum quæramus. Antiqui Germani putarunt ſe eſſe αὐτόχθονας ſive Aborigines i. e. gentem, quæ nulli alii genti originem ſuam debet, ſed quæ ex illa ipſa terra genita eſt. Veteres enim non putabant ex uno parente genitos eſſe omnes homines, ut nos ex ſacris literis docemur: ſed multas gentes opinabantur ex ipſa terra prognatas eſſe, quod apud ipſos honori ducebatur. In hac ſententia de Germanis Aboriginibus eſt Cornel. Tacitus lib. de Morib. Germ. cap. II. Sed, ut quilibet animadvertit, hæc ſententia Taciti nobis, aliter è Scriptura S. edoctis, placere non poteſt. Igitur ut omnes alias gentes à Noacho ex Aſia derivamus, ita etiam inde Germani noſtri ſunt deducendi.

di. Notum eſt Noachum poſt univerſale illud diluvium inter tres filios *Sem*, *Cham*, *Japhet*, diviſiſſe terrarum orbem. *Semo* obtigit Aſia, *Chamo* Africa, *Japheto* Europa noſtra. *Japheti* filius fuit *Gomer*, & hujus primogenitus *Askenas*. Hæc nobis ex Scriptura S. de Originibus Europæis innoteſcunt. Ex altera parte Germanorum Veterum ſententia fuit, quam etiam antiquis carminibus decantabant *Thviſthonem Deum terrâ editum & filium Mannum* originem genti dediſſe conditoresque ejus fuiſſe. *Manno tres filios aſſignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingævones, medii Hermiones, cæteri Iſtævones dicentur. Quidam autem licentiâ vetuſtatis plures Deo ortos, Marſos, Gambrivios, Svevos, Vandalos affirmant*, ut Tacitus loquitur l. c. Beroſus verò de Tviſthone ſive Tuiſcone refert, *Janum Patrem hunc Tuiſconem conſtituiſſe Regem Sarmatiæ à Ponto Euxino usq; ad Rhenum*. lib. I. pag. 10. & lib. IV. pag. 30. a. Hæc alii cum Sacra Scriptura conciliare volentes *Tviſthonem* illum putant fuiſſe ipſum *Aſcenacem*, vel etiam *Aſcenacis filium*, qui Ger-

Germanicam condiderit gentem. Vid. Aventin. lib.I. Annal. Bojor. Jodoc. Willich. in Comment. ad lib. Taciti de mor. Germ. pag. 423. Micræl. in Chron. Pomeran. lib. I. num. 22. seqq. Quæ cum nitantur conjecturis satis probabilibus, hinc illa negare non audemus, præsertim cum meliora proferre nequeamus.

VII. Cum verò Germania vetus adeò latè patuerit, ut etiam Daniam, Svediam & Poloniam hodiernam fuerit complexa, quæritur, utrum SVEVI in his sedibus, in quibus illos collocat Tacitus, primi fuerunt incolæ, postquam ex Asia huc se Noachi posteri contulerunt, & utrum fines Veteris Sveviæ, statim ab initio tam latè fuerint extensi, atque ipsos extendit Tacitus: an verò ex aliqua parte Sveviæ Veteris progressi, aliis incolis prioribus expulsis, fines suos postea dilatarint. Sunt enim, qui nescio quibus argumentis inducti, *Svevos ex Svedia*, ortos, Germaniam hodiernam intrasse volunt, quod & non ita pridem asseruit Vir quidam Clarissimus in Dissertat. de Rebus SvevoGothicis num. 8. Hic

Hic enim cum de geminis *Scanziæ* populis, *Gothis* videlicet & *Sveonibus*, asseruisset, quod *Gothi* varias susceperint migrationes: *Sveones* verò in Scantia regnum suum stabiliverint, adjicit: *Nec tamen in solidum negabo antiquis illis temporibus migrasse Sveones, ut quorum posteros fuisse Svevos haut fas sit dubitare. Finitimos coluisse Veteres tabulæ signant: propinquos fuisse historia demonstrat.* Et antea num. 2. Rerum SveoGoth. dixerat: *Nec verò præterierimus, Svedos etiam quandoque sedibus suis egressos regnum apud exteros condidisse ac Svevorum nomine venisse ævo Jornandis, qui p. 125. de Reb. Gothicis commemorat Theodorici Gothorum Regis cognatum, & ut plane loquar, ab una stirpe & gente oriundum fuisse: Assentiuntur ex Doctis Reunerus Reineccius. Franciscus Gvillimannus. Joh. Stumpfius Viri insignis judicii & accurationis, cumque his fermè omnes rerum Svevicarum conditores. Peterm. Etterlinus. Felix Faber & Mart. Crusius.* Hæc ille. Sed hæc probare nos non possumus. Si enim Svevi ab Askenace oriundi sunt, certè Svediam hodiernam ingredi non potue-

potuerunt nisi per Germaniam. Etenim *Prussiam, Curlandiam, Livoniam, Finlandiam* antiquissimis temporibus tenuerunt *Venedæ* aliæque *Sarmaticæ* gentes, ut à nobis in Originibus Prussicis demonstratum est, igitur Sveones per Sarmatas non potuerunt usque in *Svediam* hodiernam penetrare. Satius itaque est, ut dicamus, Svevos, postquam ex Asia progressi sunt, primò in Germania Cisbalthiana, quam vacuam invenerunt, consedisse, ibique auctos mari Balthico transmisso Scandinaviam occupasse. Adeòque Sveones Germanis cisbaltianis, non verò Germani Sveonibus originem suam debent, uti hoc egregiè diducit Joh. Micræl. lib. I. Chron. Pom. num. 28. pag. 45. Neque nobis objici potest illud, quod ex Sabellico habet Joh. Bœmus Aubanus, videlicet *Svevos* primos fuisse *Prussiæ* incolas, lib. III. de Moribus Gentium cap. XVI. ideòque ex Prussia potuisse in Svediam commigrare, inde vero in Germaniam. Non potest, inquam, hoc objici, cum citati Scriptores multò sint recentiores, quam ut ipsis fidem habere possimus,

mus, de rebus adeò antiquis; præsertim cum aliis non desint argumenta, quæ Venedas primos fuisse Prussiæ incolas evincunt. Allegatos â Viro Clarissimo Scriptores evolvere non putavi esse operæ precium, præsertim cum mihi cognitum sit, quosdam ex illis contrarium asserere. Certè Martin. Crusius Part. I. Annal. Svev. lib. VI. cap II. fol. 135. disertis verbis asserit, *Svevos Germanos transiisse in Svediam*. Reinerus Reineccius *Svevorum* populum facit *Sviones*, quos deinde Sveconum sive Svedorum facit parentes. Part. III. Syntagmatis Heroici fol. 434. Addit ibidem sequentia verba: *Nec dubitarim de Svedis & Sveonibus, nomen à Svevis esse, sed prolatione seu sono nonnihil variatum.* Etiamsi verò omnes illi pro Viro Clarissimo facerent, liceret tamen nobis eosdem hîc ut recentiores rejicere. His omnibus inducti Svevos in Germania Cisbathiana agnoscimus αὐτόχθονας, sive Aborigines, non quidem eo sensu, quat. αὐτόχθονες dicuntur, qui à nullo alio sunt oriundi, sed ex ipsa terra sunt nati. (Novimus enim, Germanos fuisse à Noachi po-

ſteris ortos) Verum in alio ſignificatu, quat. Aborigines dici & illos in more poſitum eſt, qui licet Nepotibus Noachi Originem ſuam debeant, non ſunt tamen ab alterius Regni incolis prognati, ſive, ut Taciti verbis utamur, *qui minimè aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixti ſunt.* in lib. de Mor. Germ. cap. II.

VIII. In ſpecie verò de GOTHIS magna eſt controverſia, unde illi ſint oriundi. Alii *Gothos* deducunt ex *Sarmadia*, ut Matth. à Michov. lib. I. de Sarmat. Aſiana & Europ. cap. XI. fol. 131. Tom. I. in Corp. Hiſt. Polon. Jodocus Lud. Decius lib. I. de Vetuſtat. Polonorum. fol. 270. ut & Paul. Piaſecius in Chronico. fol. 56. (48.) Alii ex *Scandinavia*, officina illa Gentium & vagina Nationum, ut illam appellat Jornandes, Gothos deducunt, ut Jornandes lib. de Reb. Get. cap. IV. probatque illud non tantum ex Ablavio & Dexippo, ſed etiam ex antiquis Gothorum carminibus. Hunc ſequuntur alii magno numero Scriptores. Alii Gothos ex Scanzia oriundos eſſe negant, & per Conſeq. in Pomerania fuiſſe ipſos αὐτόχθονας affirmant, ut Anton. Bonfin. Dec. I. Rer. Hung. lib. II. fol. 33. 35. 41. Edit. Baſil. & Ph. Cluver. lib. III. Germ. Antiq. cap. XXXIV. Notatur propterea Cluverus noſter à Viro quodam Clariſſimo, qui ipſum in Diſſert. de Reb. Sveo-Goth. num. 6. *ſæpe intempeſtivè audacem Virum* appellat. Conf. &. n. 2. Diſſertationis citatæ. Verùm non eſt, ut Virum de Republ. literaria optimè meritum hîc inſectemur. Certè ut Svevorum in Svediam ingreſſum ex Germania aſſeruimus eſſe factum, ita etiam de Gothis idem aſſerere non veremur, cum nulla alia detur via, quâ commodius in Svediam tranſmittere potuerint. Deinde Gothos, jam ducentis antè Chriſtum natum annis in his oris ſuccinum collegiſſe, teſtatus eſt Pytheas apud Plinium. Quod verò Gothi eo tempore Svediam tenuerint, non probabitur ex ullo Scriptore, qui ante Chriſti tempora vixit. Dexippus & Ablavius, quos ſequitur Jornandes, multò ſunt Pytheâ juniores, Antiqua illa Carmina Gothorum, an habuerint aliquid de migratione ſuæ gentis è Scanzia ſive Scandi-

navia, adhuc incertum eſt, cum Jornandes illa Carmina tantum allegare videatur de migratione Pontica, quæ facta eſt ex Pomerania: hæc enim ſunt ejus verba: *Hæc igitur pars Gothorum, quæ apud Filimer dicitur in terras Ovim emenſo amne tranſpoſita optatum potita ſolum. Nec mora illico ad gentem Spalorum adinveniunt, conſertoque prælio victoriam adipiſcuntur: exindeque jam velut victores ad extremam Scytiæ partem, quæ Pontico Mari vicina eſt, properant: quemadmodum & in priſcis eorum carminibus penè Hiſtorico ritu in commune recolitur: quod & Ablatius deſcriptor Gothorum gentis egregius veriſſimâ atteſtatur Hiſtoriâ.* Jornand. cap. IV. de Reb. Geticis. Johannes Micrælius, ne Jornandis authoritatem prorſus in dubium vocet, mediam ſequitur ſententiam. Nimirum dicit, antiquiſſimis temporibus Gothos ex Germania migraſſe in Svediam, quoniam nulla alia via reperiri poteſt, quâ ingreſſi ſint in Scanziam: poſtea verò, quamvis dubiè concedit, partem quandam eorum ad cives ſuos regredi potuiſſe in Pomeraniam.

niam. lib. I. Chron. Pom. n. 32. p. 55. ſeq. Eâdem ratione LONGOBARDOS quidam ex Scanzia deducunt. Sequuntur hi Ducem Paulum Warnefridum Sec. IX. Scriptorem, qui hæc de Longobardis tradit lib. I. de geſtis Longobard. cap. II. Eadem habent Theophanes Græcus, ut & Conſtantinus Porphyrogenetus, citati ab Hug. Grotio in Proleg. ad Hiſt. Vandalicam, Longobardicam & Gothicam, cũ quibus & ipſe facit l. c. pag. 27. & ſeq. Verùm hæc faciliori adhuc negotio refutari poſſunt, quam ea, quæ de Gothis afferebantur, cum ea de re neque Jornandes, neque Procopius Sec. VI. Scriptores quicquam habeant. Paulus Diaconus, qui ab illis temporibus eſt remotior, non poterit ejus rei idoneus eſſe teſtis. Cum autem Longobardi in Pomerania non habitarint, plura de ipſis addere non attinet. Non defuerunt tandem, qui has gentes Pomeranicas etiam ex aliis oris accerſerent. Vt enim jam in Originibus Pruſſicis oſtendimus, non defuerunt, qui à MACEDONIBUS & ALEXANDRI M. poſteris Rugios aliasque gentes deducerent.

rent. Primum hujus fabulæ authorem fuisse Witechindum Corbejensem Monachum deprehendo, qui hæc in pueritia audivisse se testatur lib. I. Rer. Saxon. in pr. quamvis de Rugiis nullam faciat mentionem, quos alii addunt, ut Abbas Stadensis ad An 917. p. 99. a. Gobelinus Persona in Cosmodr. æt. V. cap. 11. fol. 105. Horum ultimas Macedonas iter suum in Rugiam, Prussiam & Saxoniam navibus instituisse per mare Caspium, crasso sanè errore, tradidit. Aliam adhuc viam Macedonas elegisse refert Godfridus Witerbiensis in Chron. Part. 15. fol. 421. cujus versus licet incultos hîc dabimus. Sic autem ille:

Nunc benè procedo, dum tempora Saxonis edo,
Saxo velut credo, Patria fuit ante Macedo
Regis Alexandri miles ubique fuit.
Rege diem functo tulit à Babilone meatum
Circuit Italiam ratibus veniens Arelatum
Siciliãq; Pharon transit in Oceanum:
Inde per Oceanum Britannica litera transit
Gvisara Saxonica terminus ejus erat &c.

Sed hæc recensere, refutare est. Prius enim coacti fuissent terrestri itinere usque ad mare mediterraneum contendere, quod an ob illam causam, ob quam illi hanc migrationem instituisse dicuntur, fieri potuerit, valdè dubito. Cœtera jam lubens prætereo. Ex quibus iterum elucet, veteres Pomeraniæ populos non fuisse advenas, neque aliarum gentium adventibus mixtos.

IX. Jam pergimus ad Secundam Periodum, quam VENEDICAM sive SLAVICAM fuisse diximus. *Slavi* enim sive *Venedæ* in locum Svevorum & *Vandalorum* successerunt. Horum migrationem in has oras strictim commemorabimus. Habitarunt *Venedæ*, *Sarmaticæ gentes*, primis à Christo Nato Seculis in ripa Vistulæ Orientali, usque ad Sec. VI. Nam eo adhuc Seculo Jornandes de ipsis loquitur. *Introrsus*, inquit, *Scythiæ Dacia est ad coronæ speciem arduis Alpibus emunita.*

nita. juxta quorum sinistrum latus, quod in Aquilonem vergit & ab ortu Vistulæ fluminis per universa spacia venit, Winidarum natio populosa consedit. Quorum nomina licet nunc per varias familias & loca mutentur, principaliter tamen Sclavini & Antes nominantur. Sclavini à Civitate nova & Sclavino Rumnensi, & lacu qui appellatur Musianus, usque ad Danastrum & in Boream Viscla tenus commorantur. Antes verò, qui sunt eorum fortissimi, qui ad Ponticum mare curvantur, à Danastro extenduntur usque ad Danubium. Hæc ille lib. de Reb. Get. cap. V. p. 615. Eodem Sec. VI. sub Justiniano I. Imperatore Istro transmisso primas in Thraciam & Illyricum excursiones fecerunt Slavi. Vid Jornand. lib. de success. Regnor. & temp. in. fin. prorsus. Procopius lib. III de Bello Gothico passim: De iisdem irruptionibus Blondus Flavius Forojuliensis: *Cum Slavi*, inquit, *Histriæ imminerent, ejus Provinciæ Episcopis scribit:* (Gregorius I. Pont. Rom.) *Equidem de Sclavorum gente, quæ vobis imminet, & affligor vehementer & turbor. Quan-*

Quanquam verò Gregorius plura de hac Slavorum in Istriam irruptione non scribat, tamen nos compertum habemus, eam gentem, quam ultra Danubium sedes habere & socerum filiumque Mauritii illis expositos fuisse diximus, tunc primum oram Adriatici sinus dextri litoris occupasse, & ita habitationem in ea continuasse, ut quicquid prius Histria & Dalmatia dicebatur, ad tempora usque nostra dicatur Sclavonia. Nec tamen omnis illa gens reliquit primas ad Danubium sedes, quin iidem mutato nomine magnam obtinent partem illius regionis. Siquidem locutionis similitudo ac penè proprietas ostendit, eos, qui nunc Poloni & Bohemi dicuntur, ex Sclavinorum reliquiis fuisse: Hæc Blondus in Hist. ab Inclinatione Romanorum Decad. I. lib. VIII. circa fin. fol. 115. Edit. Basil. An. 1559. Cum itaque Slavis in Thracia, Dalmatia, Istria benè res successissent, videntur circa finem Sec. VI. aut principium Sec. VII. Germanorum Veterum provincias ad mare Balticum occupasse. Nam cum Sec. V. post Christum Natum, *Gothi*, *Vandali*,

Rugii, *Angli*, *Burgundiones*, quos deinde secuti sunt *Longobardi* sedibus suis exciti, *Italiam*, *Galliam*, *Hispaniam*, *Africam*, *Britanniam* inundassent, totumque hunc tractum ad mare Balticum fermè vacuum reliquissent, facilè *Venedæ*, non advertentibus fermè aliis gentibus, illa loca potuerunt occupare. Vid. Cromer. lib. I. de Ortu & Reb. gest. Polon. per. tot. Henricus Bangertus in Not. ad Helmoldi lib. I. Chron. Slav. cap. II.

X. Quo tempore Slavi Pomeraniam intrarint, probatum est à nobis. Cum verò quamplurimæ fuerint gentes Slavicæ, adeò, ut præter Polonos, Russos, Bohemos, Hungaros aliosque, in sola Germania hodierna Slavi fuerint in octodecim pagos sive regiones distributi, testibus Adamo Bremensi lib II. Hist. Eccl. cap. XIII. pag. 54. Helmoldo lib. I. Chron. Slav. cap. XIV. fin. & Alberto Stadensi ad an. 984. pag. 110. b. ideò indicandum nobis est, quænam ex gentibus Slavicis hodiernam olim insederint Pomeraniam. Optimè nos hoc edocere potest Adamus Bremensis Sec. XI. Scriptor.

Populi Slavorum, inquiens, *sunt multi*, *quorum primi ab occidente confinis Transalbianis sunt Waigrii* (Waigrii in hodierna Holsatia) *eorum civitas Aldenburg maritima. Deinde sequuntur Obotriti* (*Mecbelburgenses*) *Item versus nos Polabingi* (Razeburgenses) *ultra quos Lingones* (Lineburgenses) *& Warnabi*) Rostochienses) *Mox habitant CHIZINI & CIRCIPANI*, *quos à THOLOSANTIBUS & RHETARIS fluvius Panis separat & Civitas Dimine. Ibi est terminus Hamaburgensis Parochiæ. Sunt & alii Slavorum populi*, *qui inter Albiam & Oderam degunt*, *sicut Heveldi*, *qvi juxta Haliolam fluvium & Doxani*, *Liubuzi*, *Wilini & Stoderani cum multis aliis. Inter quos medii & potentissimi omnes sunt RHETARII*, *civitas eorum vulgatissima RETHRE*, *sedes Idololatriæ. Templum ibi constructum est dæmonibus magnum*, *quorum Princeps Redigast. Ultra LEVTICOS*, *qvi alio nomine WILZI dicuntur*, *Oddora flumen occurrit. Oddora vergens in Boream per medios Winulorum* (*Vendorum s. Vinidarum vel Slavorum*) *tran-*

transit populos, donec perveniat ad JLLMINEM, ube POMERANOS dividit à WILZIS. lib. II. Hist. Eccl. cap XI. pag. 50. seq. Helmoldus quoque cum ibidem dixisset, *Odoram transire per medios Winulorum populos & dividere* POMERANOS *à* WILZIS. Addit inter alia: *Post Odoræ lenem meatum & varios Pomeranorum populos ad occidentalem plagam occurrit Winulorum provincia eorum, qui THOLENZI & RHEDARI dicuntur, civitas eorum vulgatissima Retbre sedes Idololatriæ. Deinde venitur ad CIRCIPANOS & KIZZINOS, quos à THOLENZIS & RHEDARIS separat flumen Panis & civitas DIMINE. Kizzini & Circipani cis Panim, Tholenzi & Rhedari trans Panim habitant. Hi quatuor populi à fortitudine WILZI sive LUTIZI appellantur.* Deinde etiam Rugiam numerat inter insulas Slavicas lib. I. Chron. Slav. cap. II. Conf. Alb. Cranzius lib. II. Wandal. cap. XX. fol. 38. Ex quibus jam patet, *Pomeraniam* antiquis temporibus dictam fuisse illam tantum Pomeraniæ hodiernæ partem, quæ est inter *Oderam s. Viadrum & Vistulam.* In reliqua parte, Occidentali videlicet, habitabant *Wilzi* sive *Lutici* in quatuor populos divisi, ut in *Kizinos*: & *Circipanos*: item *Rhedarios* & *Tholenzios* distinctos à se invicem per fluvium Panim, qui tamen inter Pomeranicas gentes non censebantur. Nisi quod per varios Pomeranorum populos Helmoldus adhuc alios populos intelligere videatur, ut *Sidinos* aliosque. Hoc tandem addendum est, illam Pomeraniæ partem, quæ Vistulam attingit, dictam fuisse à Slavis CASSUBIAM, cujus tamen nominis Adamus Bremensis, Helmoldus, Albertus Stadensis mentionem nullam faciunt, forsan propterea, quia ipsis hæc ora, ut remotior, non fuit benè cognita. Imò neque apud Vincentium Kadlubkonem Scriptorem Historiæ Polonicæ, qui sec. XII. à Chr. N. vixit, illud nomen me legisse memini. Primus, nisi fallor, illius nominis mentionem facit Joan. Dlugossus. Sec. XV. sub Casimiro Jagellonide. Obiter hic notandum, non solos populos Venedicos in enumeratas Provincias Germanicas

nicas commigrasse; nam cum Venedis sine dubio huc etiam Prussi Veteres, (sive illos ab Alanis, sive à Finnis, sive ab Herulis derives) sunt ingressi, ut hoc evidenter probari potest ex lingua Werulorum in Meklenburgensi Ducatu. Quod si enim Orationem Dominicam ipsorum (ut illam tradit Wolffgangus Lazius lib. XII. de Migr. gent. f. 628.) conferas cum oratione Dominica, quam nos, linguâ veteri Prussicâ expressam, dedimus, in Originibus Prussicis n. V. spontè fateberis, Werulos illos cum veteribus Prussis unam habuisse originem.

XII. Quid nomina illa *Pomeranorum, Cassubianorum, Wilzorum* (qui & *Lutitii* & *Welatabi* dicebantur) significent, jam paucis inquirere lubet. Circa nomen Pomeranorum Joannes Micrælius, nescio qua de causa, Slavicas gentes aversatus, multa comminiscitur, ut illud à Germanico derivare possit. Dicit enim, Pomeranos eodem modo, ut *Dithmarsos, Stormarsos, Wismarsos, Colmarsos* appellari. Marser sunt incolæ alicujus Regionis eines Mohres oder Landes. Inde

Inde Pomeranos eosdem esse vultatque accolas arborum, quasi dicas, Bohm-marser. Producit etiam aliam adhuc conjecturam. Scilicet probabile esse dicit, Pomeranos ab antiquis Svevis dictos fuisse Pohmarer / quasi dicas Beym oder Peim Meere / ex quo Vendos deinde fecisse suum *Pomorska*, i. e. Pomerania, & *Pomorski* adjectivum. Ita hac de re differit Micrælius lib. II. Chron. Pomer. & lib. VI. Chron. Pomer. n. 3. p. 380. Sed antiquum hoc fuisse gentis nomen à Svevis impositum, nemini forsan persuadebitur, cum apud Veteres, qui has oras descripserunt, nullum hujus nominis occurrat vestigium. Et quomodo probare potuit Micrælius, apud quenquam, etiam sequioris ævi Scriptorem, occurrere nomen *Bomarsorum* vel *Pomarorum*. Nomen quidem *Pomerii* occurrit apud Guntherum in Ligurino lib. IV. circa princ. fol. 364. sed hoc propter metrum factum est; quamvis & Franc. Irenicus illo sit usus lib. XII. Germ. Exegeseos fol. 220. b. in Lit. P. Sed de Bomarsis, quantum mihi constat, nihil reperitur.

peritur. Melius itaque hoc nomen exponunt alii, qui dicunt esse illud originis Slavonicæ & significare *maritimos* populos sive *maris accolas*. POMORZANIE, ait Dlugossus, *dicuntur eò, quod maris septentrionalis oram maritimam incolebant, à quibus terra Pomerania est denominata.* Tom. I. Annal. Polon. lib. I. fol. 44. Idem habet Matth. à Michovia lib. I. Chron. Polon. cap. II. fol. 8. ut & Cranzius, Chytræus, Carion & alii plurimi. Nec dissentit Paul. Frideborn. Chronici Stetinensis Scriptor, qui lib. I. Chron. Stetin. p. 8. Pomeranos dictos esse vult, quia habitarunt propè mare (nechst am Meer.) Idem habet Dan. Cramerus lib. I. Chron. Pomer. Eccl. cap. IX. fol. 11. Imò quod hic maximè notabile esse existimo, jam Sec. XII. post Ch. N. Poloni illud nomen non aliter intellexerunt. Nam Vincentius Kadlubko propterea Pomeraniam non rarò simpliciter vocat MARITIMAM, ut lib. II. ep. XXIX. p. 222. lib. III. ep. V. p. 261. Ep. XV. p. 292. lib. IV. cap. II. p. 394. *Boleslaum* etiam *Crivoustum* appellat invi-

ctissimum

ctissimum Polonorum & *Maritimorum* monarcham. lib. III. ep. V. pag. 260. Pomeranos etiam simpliciter appellat *Maritimos*, quæ propriè ex Slavonico hujus Provinciæ nomine translata sunt. Sed objicit Micrælius, ex Polonis audivisse, particulam *po* non esse idem, quod Germanicum bey / sed bey esse Polonis *u*, adeoque bey dem Meer dicendum esse *u morza*, non verò *po morza*. Verum hæc ex ignorantia Linguæ Polonicæ fluunt. Et licet concederetur, *po* non significare idem, quod bey / nihil tamen communi sententiæ decederet, cum notum sit, aliquando vocem aliud extra compositionem, aliud in compositione significare. Ita si quis quæreret, utrum particula *in* significet idem, quod *non*, neganda esset quæstio, etiamsi in compositione maximè vim negandi habeat, ut in vocibus, *innocens*, *inconstans*, *&c.* Sic etiam particula *po*, licet extra compositionem nihil aliud significaret, quam auff / ut vult Micrælius (quod tamen Poloni aliter norunt) ast in compositione idem posset significare,

Tt quod

quod bey/ ut certè significat in sequentibus vocibus *Poziemny*, qui propè terram est, unde *fraga*, quæ ad terram nascuntur, appellari solent *Poziemki*. Item *Polcotzny*, quod idem est, ac ille, qui in angulo latet. Similiter *Polabianie* (Polabrani Slavica gens ad Albim) dicuntur accolæ fluminis *Labe*, i. e. *Albis*. Non secus *Porussos* vel contractè *Prussos* dictos esse existimo, quam quod fuerint accolæ *Russorum*, ut alibi ostensum est. CASSUBIORUM nomen etiam Slavonicum esse, multi docent. *Kaszubianie*, ait Dlugoss. *à plicatione rugarum in vestimentis, quibus primum vestiri consueverunt. Huba enim in Polonico sive Slavonico dicitur Ruga. Kasz autem dicitur plica in modo imperativo* lib. I. fol. 44. Eadem habet Matth. à Michovia lib. I. Chron. Pol. cap. II. fol. 8. Tom. II. in Corp. Hist. Polon. Consentiunt his Carion l. IV. Chron. non long. à pr. Micræl. lib. VI. pr. Tandem WILCI, qui & LUTICI, sive etiam VELATABI dicti sunt, nomen à fortitudine sortiti esse referuntur, ut supra Helmoldum audivimus

vimus testantem; qua ratione autem illud à fortitudine derivari possit, non ab re quispiam dubitaverit. Hoc quidem certum est, quod Slavis *Wilk* idem sit, quod *lupus*, & in numero Plurali *Wilci*, idem quod *lupi*. Inde igitur possent derivari, ac si essent *lupinâ rapacitate*, vel etiam *robore* præditi: sed obstat Veterum Historicorum authoritas, qui à Francis eos fuisse *Wilzos* appellatos affirmant: à Slavis verò *Welatabos*. Sic enim Eginhardus, qui Sec. IX. floruit, loquitur: *His motibus ita compositis, Sclavis, qui nostrâ consuetudine Wilsi, propriè verò, hoc est suâ linguâ Welatabi dicuntur, illatum est bellum.* In Vita Caroli M. cap. XII. pag. 45. Gemina hic habet Conradus à Lichtenau, Abbas Ursper-gensis in Chron. ubi de Carolo M. agit fol. 176. Edit. Argentorat. An. 1537. Derivare igitur possumus vocem illam *Welatabi* à Slavonico *Wiele*, i.e. *multum*. ita, ut *Welatabi* dicantur iidem, qui *Wielodzieliri* i. e. *Magnifici*, & qui maximas res gesserunt. Forsan etiam Franci hoc nomen *Wilci*, quod sciebant esse Slavonicum,

nicum, his populis imposuerunt, cùm tamen Slavi hoc nomen aversarentur, *Welatabos* sese appellantes. Unde *Lutitiorum* nomen derivetur, vix poterit à quoquam determinari.

XIII. A Slavis itaque *Pomeraniæ* nomen Provinciæ huic impossitum esse, ex dictis, ut puto, manifestum erit. Sed & illud dubio non caret, quo tempore illud nomen huic Provinciæ fuerit impositum. Non fuisse nomen illud à primo Slavorum in has oras ingressu usitatum, suspicatus Vir quidam Clarissimus in Dissertat. cui titulum fecit: *Origines Pomeranicæ.* Sed quoniam quædam in ipsius verbis desideramus, placet ipsa verba Viri Clarissimi audire: *De Carolovingico, ait, ævo omnis posteritas in manibus habet Chronica, Annales, Diplomata, in quibus nihil est invenire de vocabulo Pomeranorum. Occurrunt Abotriti, Sorabi, Hevelli, Wilzi, cumqve his Smeldingi sive Simeldingi & Linoves seu Linones. A Franc. Pith. ad Ann. 808. & Scriptor Vitæ Caroli M. pag. 271. Suurbi. ib. p. 255. sed de Pomeranis nihil scio, quod occurrat. Neque est, cur aliter existimem, de seculo, quod proximum est scil. X. nisi tamen omnis cura, qua in hoc excutiendo usus sum, me fallit, fulcitque sententiam hanc, quod Pomeraniæ insignior portio Slavania usq; ad Penem fl. dicta sit. Alb. Stad. ad An. 971. idem ad An. 984. Winulos memorat, quorum primos vocat Pomeranos suâ ætate Helmoldus lib. I. c. 11. Nec multo post Slavos subjicit Stadensis: altum verò ibi silentium est de Pomeranis.* Et postquam nonnulla de Origine nominis Polonici subjecisset, addit: *At verò non attinet hæc declarari magis, qui non dubitemus amplius, sub tempus Henrici IV. Imperatoris invaluisse hoc nomen & Sec. XXII. usu magis tritum ad posteros dimanasse.* Hæc ille. Hic primò dicimus, non satis firmiter concludi, nomen Pomeraniæ nondum Sec. IX. & X. fuisse exortum, quia à Germanicis Scriptoribus ejus nulla sit mentio. Nam ex superioribus jam constat, Pomeraniam illis Seculis tantum dictam fuisse illam Pomeraniæ hodiernæ partem, quæ est inter Viadrum & Vistulam: illos verò, qui occidentalem

 par-

partem hodiernæ Pomeraniæ incolebant, aliis fuisse insignitos nominibus. Constat etiam ex eorum temporum historia, Pomeranos in specie ita dictos non fuisse ab Impp. Romanis bello unquam petitos. *Wilzi* quidem sive *Welatabi*, sub quibus *Chizzini*, *Circipani*, *Redarii* atque *Tolenzii* comprehenduntur, à Carolo M. ut & aliis sequentibus fuisse subjugati perhibentur: Vid. Eginhardus in Vita Caroli M. cap. XII. Witechindus Monachus Corbejensis lib. I. de Reb. gest. Saxon. mult. supr. med. fol. 16. Annales Francorum Fuldenses Tom. I. apud Marqu. Freher. An. 1600. Francof. ad An. 789. Regino Prumiens. l. II Chr. ad An. 789. f. 31. Guntherus in Ligurino lib. IV. circa princ. Abbas. Stad. p. 83. Abbas Vrsperg. in Car. M. fol. 176. Et alii. Sed quod Carolus M. aut successores ejus Oderâ transmisso ad Pomeranos subigendos progessi sint, non facilè apud authores antiquos invenias. Cum itaque illis temporibus Pomerani Germanis neque beneficio neque injuriâ fuerint cogniti, facilè eos præterire po-

poterunt. Primus Imperatorum, cui aliquid negotii cum Pomeranis intercessit, videtur fuisse *Otto* III. circa fin. Sec. X. qui cum *Boleslaum* I. Chrobri Regem Polon. inviseret, Gnesnensi Archiepiscopo dicitur Reinbertum Sanctæ Cholbergensis Ecclesiæ Episcopum subjecisse. Dithmar. Mersburg. lib. IV. Chron. p. 83. Edit. Helmstad. Joach. Maderi. Sed quoniam de bellis, quæ *Boleslaus* & ipsius filius *Misico*, sive ut vulgò dicitur, *Miecislaus*, cum *Pomeranis* gesserunt, nullam facit mentionem, itidem non est mirum, quod nomen Pomeraniæ apud ipsum non occurrat. Eodem autem Sec. XI. M. Adamus Bremensis, dum de gentibus Slavicis sibi scribere proposuit, maximè Pomeranos etiam inter gentes Slavicas numerat, quem etiam, ut & in aliis, sequitur Helmoldus, ut supra vidimus. Si itaque Adamus Bremensis Sec. XI. & Helmoldus Sec. XII. Pomeranorum mentionem faciunt, cur igitur laudatæ dissertationis Auctor miratur, apud Albertum Stadensem, qui demum Sex. XIII. vixit, altum

esse de Pomeranis silentium? Quamvis neque hoc satis accuratam Viri Clarissimi curam ostendat. Nam Albertus Stadensis loco cit. nihil peculiare de his gentibus, quæ inter Oderam & Vistulam habitabant, recenset, propterea sufficiebat ipsi, hos populos omnes generali Winulorum titulo insignire. Aliàs verò, quando de harum gentium conversione agit, non dissimulat nomen Pomeranorum. Vid. ad an. 1118. p. 155. a. Ed. Reineri Reineccii Helmstad. An. 1587.

XIV. Porrò neque hoc approbari potest, quod Vir Clariss. dicit, *Pomeraniæ*, insigniorem portionem, usque ad Penem fluvium illis temporibus (Seculo videlicet post. Chr. Nat. IX. X. XI. & XII. de quibus temporibus ibi loquitur) dictam fuisse *Slavaniam*. Nam Pomerania circa illa tempora fuit à reliquis Slavanicis Provinciis, ut à *Wilzis*, aliisque, distincta: post hæc verò demum accessit Pomeraniæ. Soliciti quidem sunt hac de re Scriptores Pomeranici, ut nobis persvadeant, circa initium Sec. XII. Pomeraniæ fines fuisse usque ad *Gu-*

strowiam

strowiam urbem Mechelburgensem extensos. Sic enim Paulus Frideborn *Svantiborum* Ducem Pomeraniæ, à quo communiter stirps Ducum Pomeraniæ deducitur, à Vistula usque ad Varnam fluvium sine recognitione superioris, regnasse scribit. lib. I. Chron. Stetin. p. 8. Dan. Cramerus *Wartislaum* I. Svantibori filium Pomeraniæ usque ad urbem Mechelburgensem Gustroviam præfuisse tradit lib. I. Hist. Eccl. cap. XI. fol. 18. seq. Micrælius verò videns, nullum hæc in antiquitate habere fundamentum, disertis verbis fatetur, non posse se certum tempus determinare, quando Provinciæ Pomeranicæ coaluerint, (excepto Principatu Rugiæ & Güzkoviæ Comitatu, ubi certum tempus indicari potest, quô Pomeraniæ accesserint) existimare tamen se scribit, sub *Wartislao* I. id factum esse. lib. II. Chron. Pom. num. 65. p. 224. Nos existimamus demum *Wartislai* I. filios *Boguslaum I.* & *Casimirum I.* Wilzorum sive Lutitiorum provinciis jugum imposuisse. Nam *Henricus* Obotritarũ sive Mechlenburgensis

Princeps, qui eodem tempore cum Wartislao I. Duce Pomeranorum vixit, dicitur adhuc præfuisse ipsis Pomeranis. Sic enim eâ de re loquitur Helmoldus, qui post tempora Wartislai I. Pom. Ducis Chronicon suum scripsit, nempe An. 1140: *Servierunt*, ait ille, *Ranorum populi Henrico sub tributo, quemadmodum Wagiri, Polabi, Obotriti, Kyzini, Circipani, Luticii, Pomerani, & universæ Slavorum Nationes, quæ sunt inter Albiam & mare Balticum & longissimo tractu protenditur usque ad terram Polonorum.* lib. I. Chron. Slav. cap. XXXVI. (XXXVII) Post Helmoldi igitur tempora *Boguslaus* I. Dux Pom. cùm Mechelburgenses Principes inter se de successione decertarent, præsertim cum *Pribislao* Nicloti filio suppetias tulisset, eumque in Ducatum Mechlenburgensem restituisset, videtur sibi Wilzos subjecisse, quamvis varia & post hæc tempora ob has provincias gesta sint bella inter Principes Mechelburgenses, Rugianos & Pomeranicos, ut ex Helmoldo, & ipso Micrælio apparet. Errare autem mihi videtur Æneas Syl-

Sylvius, qui etiam *Rostochium* atque *Wismariam* Pomeraniæ accenset. In Statu Europæ sub Friderico III. Imp. cap. XXIII. fol. 68. Tom II. Script. Germ. à Marqu. Frehero editorum. cujus vestigia legit etiam Franc. Irenicus lib. XII. Germanicæ Exegeseos fol. 220. b. in Lit. P. Et hæc sufficiant de Slavis.

XV. Tandem, ut ad tertiam periodum SAXONICAM accedamus, lubet inquirere, quando metamorphosis illa contigerit, ut Pomerani, qui antea fuerunt Slavicæ sive Venedicæ gentes, Germanorum habitum, linguam, mores assumserint. Nimirum cum Sec. XII. *Boguslaus I.* & *Casimirus I.* Vartislai filii & Svantibori nepotes Duces Pomeraniæ, ex una parte ab *Henrico Leone* Duce Saxonum & Bavarorum, ex alterâ verò à Rege Daniæ *Valdemaro*, cui suppetias ferebat *Jaromarus* Princeps Rugiæ premerentur, solicitante Friderico I. Barbarossa Imperatore, facti sunt An. 1181. Duces S. R. Imperii. *Fridericus Barbarossa*, ait Saxo Grammaticus, *Boguslaum & Casimirum datis solenniter aquilis Slaviæ Duces*

ces appellat. lib. XV. Hist. Dan. fol. 371. Edit. Hafnienſ. à Stephano Stephanio procuratæ. Alb. Cranz. lib. VI. Wandal. cap. XIV. Conf. Micræl. lib. II. n. 86. Ex eo tempore tantum Duces Pomeraniæ occidentalis in Slavos conceperunt odium, ut habitu in Germanicum mutato, è Pomerania Slavos eliminare constituerint. Eapropter è *Saxonia Brunſvicenſi* Ducatu ingentem multitudinem hominum evocarunt, quibus permiſerunt, magnis immunitatibus conceſſis, agros colere, commercia tractare, novasque urbes condere. Quin etiam latâ lege Slavos ab omnibus publicis muniis & dignitatibus arcendos voluerunt. Ea occaſione Slavi verſo pedetentim ſolo, translatisque coloniis ad extimos usque Pomeranorum commigragrunt, uti refert Joan Iſacius Pontanus lib. VI. Rer. Dan. ad an. 1188. fol. 280. Addit Paulus Friedborn, quod Germani, cum partim nova Pomeraniæ & Rugiæ loca inſediſſent, partim Slavis ſe hinc inde immiſcuiſſent, Veteres colonos intra LX. vel LXX. annos planè oppreſſerint. Legis au-

autem à Ducibus latæ, de Slavis ab omnibus dignitatibus excludendis, non meminit, ſed Germanos hanc legem inter ſe conſtituiſſe docet. lib. I. Chron. Stetin. p. 6. Conf. Micræl. lib. III. Part. I. num. 6. pag. 309. Longiùs tamen uſum Slavicæ linguæ in Pomerania extendit Joan. Iſacius Pontanus, nempe usque ad Sec. XV. ad an. 1404. Dum autem hæc gererentur in Pomerania Occidentali, Pomerania interim Orientalis ſuos retinuit mores, & linguã. Imò Principes illius, averſati Principum Occidentalis Pomeraniæ facta, Poloniã reſpicere cœperunt, donec tamen ditiones illorum ſub imperium conceſſerunt Polonorum.

XVI. Hactenus *in genere* Populorum Pomeranicorum inquiſivimus Origines, jam ulterius pedem promovemus, *in ſpecie* originem *Principum*, *Nobilium*, *Urbium*, & tandem *Chriſtianiſmi* in Pomerania, inveſtigaturi. Ordiemur jam à PRINCIPIBUS Pomeraniæ. Antiquiſſimis temporibus, cum *Vandali Svevique* has obtinerent oras, utrum accolæ maris Baltici habuerint Reges, ſive Principes

cipes suos, qui jure monarchico suis præessent, dubitari potest. Nam Julius Cæsar de Germanorum populis in genere scribit: *In pace Germanis nullum communem esse magistratum, sed principes Regionum atque pagorum inter suos jus dicere controversiasque minuere.* l. VI. de Bell. Gall. ante med. Verùm Corn. Tacitus, cui res Germanicæ fuerunt penitius cognitæ, Reges Germanis tribuit: *Reges*, inquiens, *ex nobilitate: Duces ex virtute sumunt. Nec Regibus infinita aut libera potestas: & Duces exemplo potius, quam imperio, si prompti, si conspicui, si ante aciem agant, admiratione præsunt.* cap. 7. de Morib. Germ. *Svevis* datum fuisse à Druso Regem nomine Vannium, docet nos Tacitus lib. XII. Annal. cap. XXIX. quod tamen de nostris Pomeranicis Svevis intelligendum non est, cum Drusus in has oras non penetrarit. Ast lib. de morib. Germ. cap. XLIII. disertis verbis testatur Tacitus, harum regionum incolas paruisse suis Regibus. Sic enim ait: *Trans Lygios Gothones regnantur paulò jam addictius, quam cætera Germanorum nationes; nondum tamen supra libertatem. Protinus deinde ab Oceano Rugii & Lemovii, omniumque harum gentium insigne, rotunda scuta, breves gladii, & erga Reges obsequium.* De Gothis eadem scribit Jornandes lib. de Reb. Geticis cap. IV. Ex quibus firmiter concludere possumus, *Vandalicas* has gentes habuisse Reges, quorum tamen valde limitata fuit potestas. Julii Cæsaris autem verba de quibusdam tantum populis Germanicis intelligenda erunt. Et hæc de prima periodo.

XVII. In secunda Periodo quæri potest, an à primo Slavorum in has oras ingressu, Pomerani Principes sive Duces suos habuerint? Affirmant id Poloni, dum Pomeranos Regibus vel Ducibus Polonorum fuisse subjectos asserunt. Negat Joannes Micrælius, nixus testimoniis Dithmari Mersburgensis & Helmoldi. Ille enim de *Lutitiis* agens disertis verbis dicit: *Illis Dominus specialiter non præsidet ullus. Unanimi Consilio ad placitum suimet necessaria discutientes, in rebus efficiendis omnes concordant.* lib. VI. Chron.

Chron. p. 136. Hic verò, cum populos Slavorum enumerasset: *Rani*, inquit, *qui & Rugiani, gens fortissima Slavorum, qui soli habent Regem, extra quorum sententiam nihil agi de publicis rebus fas est, adeò metuuntur propter familiaritatē Deorū vel potius Dæmonū.* lib. I. Chr. Slav. c. II. Nos nostram sententiam paucis aperiemus. Cum adhuc Slavi in Sarmatia degerent, non fuerunt subjecti Regibus, sed populari imperio administrabant Respubl. suas, teste Procopio lib. III. de Bell. Goth. cap. VII. p. 542. Edit. Basil. in 8. Migraturi verò in Germanorum Provincias, verisimile est, quod singuli populi Slavici, singulos sibi elegerint migrationis Duces, ut *Poloni* Lechum, *Bohemi* Zechum, & sic forsan alii alios. Occupatis Germanorum Provinciis, cum Slavi neminem reperirent, qui ipsis resisteret, plerique ipsorum imperium populare reduxerunt, aut Optimatibus, ut Poloni, Rempubl. gubernandam commiserunt. Postea etiam simulac bellum cum aliqua gente ipsis erat exortum, creabant sibi Deces belli, quorum potestas etiam fini-

finito bello finiebatur. Ex his Ducibus deinde quidam, rebus contra hostes ex voto gestis, populari favore hæreditarios adepti sunt Principatus, ut Obotritarum Dux Bilungus aliique. Jam quod in specie ad *Pomeranos* hodiernos, quorum Origines inquirimus, attinet, inter illos *Wilzi* sive *Lutitii*, qui in Pomerania Occidentali habitabant, à primo ingressu usque ad Sec. XI. quo Chronicon suum scripsit Dithmarus, non habuerunt Principes hæreditarios, ut testem audivimus Dithmarum Mersburgensem, licet etiam suos aliquando habuerint belli Duces, ut fuit princeps ipsorum Wizan & alii. Reliqui Pomerani intra Vistulam & Viadrum habitantes, qui tum soli Pomeranorum nomine celebrabantur, à primo in has oras ingressu, itidem proprium non habuere Ducem: an verò Polonorum Ducibus tunc fuerint subjecti, incertum est, nec quenquam hoc determinare posse existimo, cum neque Polonis, neque Pomeranis ulla supersint Veterum rerum monumenta: alii etiam eorum, ut remotiorum rarò meminerint.

rint. Sub illa verò tempora, quibus Dithmarus Chronicon suum scripsit, nempe Sec. XI. jam suos habuere Duces hæreditarios, ut Micrælius vult, quamvis alii à *Svantiboro* demum, qui anno Chr. 1107. obiit, historiam Pomeranicam ordiantur. Hinc etiam patet, verba Helmoldi (qui jam Sec. XII. circa an. 1140. adeoque post tempora Svantibori Chronicon Slavicum scripsit) paulò ante citata de Rugiis vel ita possunt intelligi, quod Rugii soli inter omnes Slavicas gentes tunc hodiernam Germaniam incolentes habuerint Reges (Hos enim populos tantum Slavorum nomine solent appellare illorum temporum Scriptores): vel etiam, quod soli Rugii habuerint Regem, qui suis absolutè præerat. Quamvis fatear & hic esse, quæ Helmoldo objici possint.

XVIII. Porrò dubium est, utrum illi Pomeraniæ Duces à Svantiboro descendentes, ex Veteri *Vandalorum* & *Gothorum*: an verò ex Slavorum genere fuerint oriundi? Ab antiquis *Vandalis* vel *Gothis* eos deducit Joan. Micræl. lib. II.

Chron. Pom. num. 207. seq. hâc conjecturâ motus, quod antiqui in insignibus suis habuerint volantem draconem, ex quo Principes hi fecisse videntur volantem gryphem; magisque fulcire sententiam ipsius videtur illud, quod in insignibus Usedomensium pingatur gryps cum cauda piscis alicujus, quo gryps expressus dici posset. Et licet l. c. sententiam hanc in medio relinquere videatur, alibi tamen, nempe lib. III. Part. I. num. I. pag. 304. simpliciter asserit, eos ex antiquo Svevorum genere oriundos. Verùm, ut Micrælius ubique ferè animum à Slavis abalienatum ostendit, ita hic etiam eundem occultare non potest. Indecorum forsan tantis Principibus fore existimat, si Slavis originem suam debere deprehenderentur. Sed quænam, quæso, prærogativa hæc est, potius à barbaris Germanorum, quam à Barbaris Slavorum populis derivari. Neutra gens caret suis virtutibus, neutra suis vitiis. Et si comparatio inter has gentes esset instituenda, forsan Slavi Germani Veteribus virtute nunquam fuere se-

cundi. *Humanitatem* certè & *hospitalitatem, morumque honestatem* apud Slavos deprædicat Helmoldus lib.I.Chron. Slav. cap.II. Vitia quoque varia Germanorum aversatos fuisse quondam Slavos, testantur veterum monumenta. Saxonum avaritiam ipsis fuisse exosam, notant Adam. Bremens. lib. III. Hist. Eccl. c.XXV. pag.98. & Helmold. lib.I.Chron. Slav. c. II. Furta quoque Germanorum fuisse causam, quod non adeò facilè Christo nomen dederint Slavi, agnoscit etiam Dan. Cramerus lib. IV. Chron. Pomer. Eccl. pag. XXII. Ex quibus patet, *gloriosum* hoc *Slavorum* nomen tantis Principibus non fuisse indignum. Conjectura Beati Micrælii nihil probat, imò magis pro nobis facit. Si enim Principes illi ex Gothico sanguine essent oriundi, retinuissent etiam illud signum draconis volantis: quoniam autem hoc mutarunt, indicio nobis hoc est, nihil illos cum Veteribus Gothis Svevisque voluisse habere commune. Deinde Duces antiqui Pomeraniæ Ducatum illum non obtinuerunt, à primo Slavorum in Pome-

Pomeraniam ingressu. Micrælius enim ipse propugnat, & quidem rectè, primis illis temporibus Slavicas gentes sine Regibus & Ducibus vixisse. Non est igitur verisimile, Slavos sibi Principes fuisse sumpturos ex antiquis Germanis, cum sine dubio magna Slavonicæ gentis Nobilitas præstò esset. Pro nostra autem sententia, qui existimamus, Sereniss. illos Principes fuisse Slavicæ Originis, facit illud, quod linguâ Slavonicâ, habitu, moribusque Slavonicis fuerint usi, ut concedit Micrælius lib. II. num.57.p.208. quod etiam eò usque verum est, ut Duces Pomeraniæ Orientalis, Occidentalibus ad Germanicos mores transeuntibus, Slavicos mores & habitum pertinaciter retinuerint; illos autem ob mutationem illam maximo prosecuti sint odio, ut iterum testatur ipse Micræl. lib. III. Chron. Ex dictis itaque concludimus, Sereniss. Duces Pomeraniæ ex Slavis fuisse oriundos.

XIX Verùm hic se iterum nobis inexplicabiles offerunt difficultates, à quonam Duces illi sint constituti. An à Po-

meranis ipsis electi, an verò à Polonis gentibus his maritimis præfecti? Polonici Scriptores, quotquot typis exscripti sunt, omnes tradunt, Lescum III. Ducem Polon. Sec. XI. habuisse præter Popielum alios viginti filios illegitimos, inter quos Regnum Polonicum, Provinciæque ad illud pertinentes, in quibus & Pomerania fuit, divisa fuisse ferunt. Quamvis verò hos omnes Popielus tentaverit veneno è medio tollere, posteritatem tamen eorum in provinciis illis imperium continuasse. Vid. Vincent. Kadlubko lib. I. Chron. Polon. epist. XVI. pag 77. seq. & Commentator ejusdem. Dlugossus, Cromerus, Neugebauerus & alii. Quamvis inter hos primi sibi non semper constent. Nam Dlugossus lib. II. Annal. fol. 151. de Boleslao I. Rege Polon. loquens ait: *Principabantur tunc in illis (Pomeranis) 20. Principum à Popiel extinctorum Nepotes, quos Boleslaus Rex de sanguine Regio sciens creatos & illos sibi consobrinos esse, innatâ tractavit munificentiâ & singulis liberalitatis suæ dona tribuens, nihil sibi de illorum Principatibus & Regionibus, præter feudalem obedientiam ac subjectionem, reservavit, rem non contemnendæ honestatis ponderisque existimans, si regnum suum Poloniæ & suam integritatem, resumeret & frequentiam tot Principum haberet feudalium subjectorum.* Ast sub Miecislao II. filio Boleslai Chrobri nullâ Principum illorum mentione factâ: *Excutere* inquit, *jugum & ab obedientia Regis Miecislai & Regni Poloniæ se solvere Pomerani, aliorumque defectionem & exemplum secuti tentaverunt. Principali enim Nobilitati, & quæ apud illos opibus, Prudentia & felicitate præstabat, fasces Regiminis deferunt, eumque sibi in Principem creant & assumunt.* ad. An. 1032. lib. II. fol. 17. Sub Vladislao. Hermanno in fin. Sec. XI. Pomeranos omnes Præfectos à duce Poloniæ impositos trucidasse refert. lib. IV. ad an. 1091. fol. 288. Deinde à Boleslao Crzyvvousti referunt Scriptores Polonici, datum esse Præfectum Pomeranis ex gente *Gryphorum*, à quo dicunt ortos esse Duces Pomeraniæ, qui adhuc Gryphem in insignibus suis habent. Porrò Casimirus

rus justus Dux Polon. filius Boleslai Crzyvvousti natu minimus etiam alios Duces Pomeraniæ instituisse fertur. Sic enim de illo Vincentius Kadlubko: *Leszkoni*, ait, *Provincias paterno relictas testamento confirmat. Præsidi eorundem omnibus prædito virtutibus, Principi Sironi ejus curam committit: Ejusdem Sironis Nepoti Samborio Gedanensi Marchiâ instituto, quendam quoque, cui nomen Boguslaus sive Bedoarius maritimis Ducem constituit.* lib IV. Chron. Polon. cap. IV. pag. 458. Hunc autem Boguslaum antea jam vocaverat *generum Miecislai Senis*, qui fuit frater Casimiri lib. IV. cap II. pag. 394. Commẽtator Kadlubkonis, qui post tempora Vladislai Jagellonis vixit, ante Dlugossum tamen, pag. 460. dicit Casimirum constituisse Boguslaum Marchiæ inferioris Ducem i. e. Pomeraniæ, quam Marchiam nominant inferiorem, ut alia dicta fuit Marchia Gdanensis. Ante tempora verò Casimiri Justi Gnievvomirum quendam *Maritimæ Præsidem* à Boleslao Crivousti fuisse constitutum, refert Kadlubko lib. III. Chron. Pol. epist. V. p.

p. 261. Plures contradictiones producit ipse Martin. Cromerus lib. VI. de Ort. & Reb. gest. Polon. sub Casimiro Principe. Hæc ex Polonicis Scriptoribus. Pomerani hæc omnia negant. Micrælius Pomeranos ipsos sibi creasse Principes refert. lib. II. Chr. Pom. num. XXXI. pag. 172. Ex his, quid sit credendum, vix apparet. Dlugosso certè fides haberi non potest, qvi sibi aperta fronte contradicit. Sed quid de Kadlubkone dicam, vix reperio. Hic enim, licet multa fabuletur de Veteribus Poloniæ Ducibus, ut de Lesconis sive Lesci III. bellis cum Julio Cæsare gestis, de M. Crasso in Prussia à Parthis cæso, aliisque nugis; hic tamen ipsi fides non videtur esse deneganda, cum ea de Casimiro, & quod observatu dignum magis est, jussu hujus Casimiri, scribat, quæ ipse oculis suis vidit. Nec potuit ferè tum malâ fide agere, cum omnia hæc in recenti omnium memoria hærerent. Quicquid tamẽ ejus rei sit, relatio hæc Kadlubkonis, si simpliciter, prout verba sonant, intelligatur, nullo modo tolerari potest. Postquam

enim Pomerani ad fidem Chriſtianam fuerunt converſi, innotuerunt ſtatim exteris, apud quos etiam illorum crebra eo tempore ſit mentio. Inde etiam à Svantiboro, qui initio Sec XII. vixit, non interruptâ ſerie Duces Pomeraniæ à Scriptoribus numerantur. Hujus Svantibori filius, aut ex filio Vartislao Nepos, fuit Boguslaus ille, de quo Vincentium Kadlubkonem audivimus dicentem. Cum igitur hæc ex Helmoldo, Arnoldo Lubecenſi, aliisque, maximè ex monumentis Olivenſibus deduci poſſint, fides certè Kadlubkonis periclitatur. Martinus Cromerus inter Hiſtoriæ Polonicæ conditores facilè Princeps agnoſcit quidem perplexos hic eſſe Scriptores Polonicos; putat tamen illa conciliari poſſe eo ferè modo, ſi dicamus, Pomeraniam occidentalem jam antea ſuos habuiſſe Duces. Caſimirum verò in Ducatu Stolpenſi & diſtrictu Gedanenſi alios inſtituiſſe. Vid. Crom. lib. VI. de Ort. & Reb. geſt. Polon. fol. 507. ſeq. Forſan etiam dici poſſet, *conſtituere* apud Kadlubkonem idem eſſe, quod *confirmare*, cum notum ſit,

ſit, illos Principes Svantiborum ejusque filios, Wartislaum, Boguslaum, Ratiborum & Svantipolcum fuiſſe Polonorum Ducibus aliquo modo obnoxios, ut fatentur Cramerus & Micrælius. Sed nobis non ſumimus tantas componere lites. Dolemus potius, ſtirpem tantorum Principum An. Chr. 1637. in Boguslao XIV. extinctam. In eo tamen nobis favit fortuna, quod ex hac ſtirpe per lineam maternam oriundum, *Sereniſſimum atque Celſiſſimum Dominum, Dominum* ERNESTUM BOGUSLAUM S. R. I. *Principem Croji & Arſchotti Ducem*, &c. &c. &c. adhuc nobis liceat venerari.

XX. His ita expeditis progredimur ad NOBILITATEM Pomeranicam, de qua tamen pauca. Certum eſt, fuiſſe primis illis Vandalorum temporibus multas Nobilium familias, ex quibus Reges etiam eligi ſolebant, non tantum apud cœteros Germanos, ſed etiam apud Pomeranos. Sic enim Tacitus: *Reges ex nobilitate, Duces ex Virtute ſumunt*. lib. de M. G. cap. VII. Et cap. XI. *De minoribus*,

bus, inquit, *rebus principes consultant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium est, apud Principes pertractentur.* (melius pertractentur) Item cap. XII. *Eliguntur*, ait, *in iisdem Conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt. Centeni singulis ex plebe comites, consilium simul & auctoritas adsunt.* Si itaque Comites creabantur ex plebe principibus in jure dicendo adjungendi, utique Principes fuere nobiliori loco nati. Vid. Conring. Exercit. de Civib. Imp. num. XV. seqq. His præsuppositis quæritur, utrum adhuc hodiè ex illa Nobilitate quædam familiæ supersint? Joannes Micrælius existimat, omnes illos, qui jura Castri habent (die Schloßgesessene dicuntur) aliosque nobiles habent subinfeudatos sive subvasallos, inter quos etiam quidam officia hæreditaria gerunt, ex antiqua Nobilitate Svevica, Vandalica & Gothica esse oriundos. Ejusmodi sunt SWERINII Culinæ præfecti hæreditarii. MOLZANII Marschalli hæreditarii in Ducatu Stetinensi. FLEMMINGII

GII hæreditarii Malschalci Ducatus Pomeraniæ. BUGENHAGII Marschalli hæreditarii in Principatu Rugiæ & Barth. quorum Subvasalli sunt die Hagenowen / die Ewerde. EIKSTEDII Camerarii hæreditarii, qui habent suos Subvasallos in Marchia Brandeburgica, quæ dicitur media, etliche von den Pfülen und Köterizen. WUSSOVII Pocillatores hæreditarii. BORKII, quorum Subvasalli sunt die Usbecken / Lockstetten / Meseriche / Droßdowen / Preußen / Melline zu Reisekow / Prechel / Knuten / Zastrawē / Kettler. WEDELII, quorum Subvasalli sunt die Sager / Lenzen / Vogte. DEVITII, quorum Subfeudarii sunt die Prechel / Hanowen / Weger / Süringe uñ Klempzowen. OSTII & *Blucherii*, quorum Subvasalli die Borentine. MANTEVTELII, quorum Subvasalli sunt die Kriesen. KAMMELII Marschalli hæredit. in Episcopatu Caminensi Subvasallos habent die Flattawen. ZOEZENOVII habent die Redeln Subvasallos. RAMMINII, AUSTINII, NEUKIRCHII. SCHULENBURGII. Hos in-

inquam omnes Micrælius putat ex vetusta Nobilitate Vandalica & Gothica oriundos lib. III. Chron. Pom. num. 35. & lib. VI. num. 43. Hæc verò illa ratione nixus asserit, quod nullibi allegentur ut advenæ. Verum, nisi hæc certioribus stabiliantur fundamentis, quis nõ videt, meras has esse conjecturas? Non enim verisimile est, Venedos sive Slavos, cum has oras essent ingressi, hic reperisse tot tamque potentes familias Veterum Germanorum, cum tot bellis, totque migrationibus in Italiam, Galliam, Hispaniam, ut & in Africam institutis, dubio procul fuerint penitus exhaustæ. Et licet illas invenissent, quis crederet, tantam Slavici populi Nobilitatem, quæque tot Historicis, imò ipsi etiam Micrælio celebratur, antiquis illis Vandalorum reliquiis fuisse cessuram? Veritati itaque magis consonum est, si asseramus à Sec. VII. in Pomerania non nisi Slavonicas floruisse familias. Ex quarum una fuit ille *Gniewomirus*, qui in urbe sua Vielun se contra Boleslaum III. Ducem Poloniæ defendit, cui postea Boleslaus urbem

urbem reddidit, Præsidemque eum Pomeraniæ constituit. Vincent. Kadlubko lib. III. ep. V. p. 261. & ep. VII. pag. 269. Deinde verò, cum Boguslaus I. & Casimirus I. Duces Pomeraniæ facti essent Principes Imperii Germanici, Nobilitas Germanica ex variis Provinciis huc confluens efflorescere & Slavonica opprimi cœpit. Qui verò ex Slavonis abjuratis Slavonicis moribus se suis Principibus conformabant, eos verisimile est, licet Slavi fuerint, ad majores dignitates evectos, aut saltem pari cum cœteris Germanis dignitate fuisse habitos. Rectius itaque alii Pomeranorum Scriptores notant, circa An. Chr. 1179. demum præcipuas ex Saxonia & Brunsvicensi Ducatu huc commigrasse familias, vel ut ipse Micrælius fateri cogitur lib. VI. n. 42. Denominantur etiam quædam familiæ, quæ Sec. XII. huc commigrarunt, ut *Blankenburgii*, *Ramelii*, *Hornii*, *Plati*, *Lankii*, *Munchhusii*, *Winterfeldii*, Micræl. lib. VI. num. 42. fol. 448. Paul. Friedebornius addit plures, ut **die von der Leine/ von der Heine**. lib. I. Chron. Stetin. p. 6.

Re-

Reliquas nobilium Pomeraniæ familias aliis peritioribus enumerandas relinquo, in quod ſtudium invigilare dicitur Alb. Elzovius, cujus *Speculum Nobilitatis Pomeranæ & Principatus Rugiæ* expectamus.

XXI. Progredimur jam ad URBES Pomeranorum Veterum. Extitiſſe quasdam urbes jam Julii Cæſaris tempore probare Micrælius annititur. Præſertim verò id de JULINO, quod hodiè *Wollinum* appellatur, probat, quod Julium Cæſarem authorem ſui nominis nuncupet; non quidem eo modo, acſi Julius Cæſar hanc Urbem à ſe conditam, à ſuo quoque nomine denominaſſet; ſed forſan, quia tempore Octavii Auguſti Domitius cum aliquot navibus ad inſulam Wollinenſem appulit, ibique in honorem Julii Cæſaris columnam, ut itineris ſui terminum erexit; ad quam deinde populi confluxu facto urbs condita, *Julinum* à columna dicta eſt: aut etiam, quia Vandalici quidam Principes apud Julium Cæſarem ſtipendia merentes, poſtea domum reverſi, in honorem Julii Cæſaris urbem

urbem illam condiderunt. Aut tandem, quod Vandali Veteres cum Romanis bella gerentes, virtute Julii Cæſaris, licet ſui hoſtis, capti, in illius honorem urbem hanc exſtruxerunt. Ut ſuſpicatur Micrælius lib. I. Chron. num. 70. p. 105. ſeqq. Probabilis hæc ſententia poſſet reddi ex eo, quod Julienſes *Julium* vel *Julii haſtam* coluerunt, ut refert Auctor Anonymus Vitæ S. Ottonis. Ab eodem Julio Cæſare WOLGASTUM urbem exſtructam eſſe, ideoque apud urbaniores ſuo tempore vocatam fuiſſe *Juliam Auguſtam*, refert Helmoldus lib. I. Chr. Slav. cap. XXXVIII. (XXXIX.) SUNDAM etiam, quæ Poſtea dicta eſt *Stralesundia*, conditam fuiſſe centum annis poſt Chriſtum Nat. à *Sunnone* Francorum Rege filio Richimeri Regis, tradit Trithemius lib. de Orig. Franc. p. 7. citante Micrælio lib. I. n. 72. p. 109. Adjungi his poſſunt Fabulæ Vincentii Kadlubkonis, qui Leſconem III. Regem Polon. cum Julio Cæſare bella geſſiſſe, eundemque ſuperaſſe refert, tandem *Juliam* Julii Cæſaris ſororem in uxorem duxiſſe,

à qua *Julinum* conditum eſt. lib. I. Chr. Polon. ep. XVI. p. 78. & 80. quamvis id de *Julino* intelligat, quod poſtea *Lublinum* appellatum eſt. Lublinum autem eſt oppidum in eadem Inſula Wollinenſi, quod Joannes Nauclerus appellat *Lubin*, Micrælius verò *Lebbin*, in Tabul. Geogr. *Lublini* ejusdem fit mentio & apud Authorem Anonymum à Valerio Jaſchio editum. Porrò Micrælius etiam tempore Vandalorum fuiſſe conditas refert urbes ſequentes *Barth*, *Chollenbergam*, *Lebenburgum*, *Freyenwaldiam*, *Damgartum*, *Grypſwaldiam*, *Greyffenbergam*, *Greiffenhagam* & alias. Idque in genere probat ex eo, quia tempore Slavorum jam ubique ab Authoribus citantur: A Slavis autem conditæ eſſe non poſſunt, quia Germanicis inſignitæ ſunt nominibus. De *Anklamo* civitate idem probat, quod Veterum *Anklorum* ſive *Anglorum* nomen referat. Verum vel ex antè dictis conſtat, hæc incerta, pleraque etiam falſa eſſe. Nam primò dictum eſt Num. I. tempore Strabonis has oras Romanis planè fuiſſe incognitas,

tas, quomodo igitur à Julio Cæſare, vel Auguſto potuerunt hic urbes exſtrui? Deinde idem Strabo diſertis verbis teſtatur, nullas ſuo tempore in Germania fuiſſe urbes. Hæc enim ſunt ejus verba: *Maxima eſt Suevorum Natio: nam & à Rheno ad Albim usque pertingit & trans Albim habitant pars eorum, ut Hermunduri & Longobardi, atque nunc quidem hi fugâ factâ omninò in ulteriorem regionem ſe conjecerunt. Certè omnium eſt, qui iſtis in locis degunt, facilis & expedita ſoli mutatio ob tenuitatem victus, & quod neque colunt agros neque fructus recondunt: Sed in caſis habitant, ſtructura in unum diem conſtantibus, cibus eis à pecore plurimus, ut & Nomadibus, quorum etiam imitatione rebus ſuis in currus impoſitis facilè cum pecore ſuo abeunt, quo viſum fuerit.* lib. VII. Geogr. fol. 290. ſeq. Imò cum jam ſeptentrionalia hæc loca Romanis innotuiſſent, idem tamen de Germanis in genere refert Cornelius Tacitus: *Nullas*, ait, *Germanorum populis urbes habitari ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe junctas ſedes. Colunt diſcreti & diverſi, ut*

Xx 2 fons,

fons, ut campus, ut nemus placuit. lib. de Morib. Germ. c. XVI. Fuerunt quidem postea hinc inde pagi conditi, quos etiam urbes nominavit Ptolemæus, qui post Tacitum ſub Antonio Imp. ſuam ſcripſit Geographiam. Recenſet autem Ptolemæus in his locis, *Laciburgum, Bunitium, Viritium, Virunum, Rugium*. RVGIVM, quod fuerit in Pomerania ſitum, jam ſupra probavimus. VIRITIVM hodiernum *Piriz* eſſe quidam contendunt. LACIBVRGVM & BVNITIVM ad Ducatum Mechelburgenſem referuntur. VIRINVM ſitum fuit in Marchia Verana. Quod verò hæ non fuerint urbes muris cinctæ, ſed tantum vici, probatur non ſolùm ex illorum temporum ſimplicitate, ſed etiam ex Herodiano, qui Sec. III. vixit. Hic enim lib. VII. Hiſtoriæ, cum dixiſſet: *vicos omnes incendendos diripiendosque militibus conceſſit*, addit: *Namque oppida eorum* (τᾶς πόλεις ἀυτῶν) *atque ædificia omnia ignis depaſcitur*. Conf. Herman. Conringius in Diſp. de Vrbib. German. num. *XXI*. ſeqq. Ex eo verò, quod temporibus Slavorum dictæ urbes

urbes paſſim memorantur, non ſequitur, illas à Slavis non eſſe conditas, ſed à Vandalis. Nam à Sec. *VI*. usque ad *IX*. pauciſſima de Slavis apud Veteres Hiſtoricos leguntur, quo temporis ſpacio multa potuerunt condidiſſe caſtella, quibus ſe, ut advenæ, novique harum regionum incolæ, tutari poſſent contra finitimorum incurſiones. Neque tamen illud præfractè negaverim, fuiſſe Vandalorum temporibus quosdam vicos, qui ſucceſſu temporis à Slavis ſive Venedis in loca Vandalorum ſuccedentibus muris cincti ſunt, retentis antiquis Vandalicis nominibus. Non erunt itaque hæc abſurda, à Slavis conditas eſſe urbes, nomina tamen eſſe Germanica: quamvis de quibusdam meritò dubitari poſſit, an ſint Originis Germanicæ, ut poſtea videbimus.

XXII. A Slavis multas urbes eſſe conditas in Pomerania, non eſt, quod dubitemus. *Julinum* celeberrimum olim emporium (hodiè dicitur Wollinum) quando ſit conditum, dici non poteſt. Neque ex nomine illud colligi poteſt, utrum Germanis, an verò Slavis originem ſuam

am debeat. Prima ejus mentio fit Slavicis temporibus, idque post tempora Caroli M. Vid. Conring. in Disp. de Vrbib. Germ. num. XXIX. Hujus Julini laudes videantur apud Adamum Bremensem lib. II. cap. XII. p. 50. Chytræum in Præfat. metropoleos. Steph. Stephanium in Not. ad lib. X. Hist. Dan. Saxonis Grammatici fol. 197. seq. Dan. Cromer. lib. I. Chron. Pom. Eccl. cap. XXI. fol. 32. seqq. *Demmini* frequentissimè fit mentio jam tempore Caroli M. ut ex Adamo Bremensi & Helmoldo apparet. *Camminum* quoque tempore Ottonis Bamberg. Episcopi jam fuit sedes Principis. Quando verò, & à quibus urbes hæ conditæ sint, certum tempus vix determinari potest. *Stetinum*, quod à Slavis sit restauratum, tradit Paulus Fridborn. lib. 1. Chron. Stetin. p. 24. Vid. & Micræl. lib. VI. Chron. Pom. p. 559. seqq. Hi tamen Scriptores non probant, ante Slavos hanc urbem extitisse. Præterea Fridbornius, Micrælius & Cromerus asserunt, urbem hanc apud Helmoldum nominari Stitinum, apud quem tamen nihil tale deprehen-

hen-

hendere potui. *Belgard.* & *Stargard* à Slavis esse conditas, vel ipsa nomina testantur. *Starigrod* enim Slavis est *vetus castrum, sive vetus arx.* Alb. Cranzius interpretatur magnam, nobilem & *antiquam* civitatem lib. III. Wandal. cap. IV. *Bialygrod* verò idem est, quod *castrum album.* Vnde etiamnum Polonis dicuntur *Sady Grodzkie* i. e. *Judicia Castrensia,* Germani dicerent, die Schloß oder Burggerichte. In specie *Starigrod*, quod veterem arcem significet, cognoscimus etiam ex alia urbe Slavorum in Wagria, Holsatiæ provincia, quæ itidem Slavis Starigrod, à Germanis verò Aldenburg dicebatur antiquitus. Per *Bialygrod* (quod deinde Germani corruperunt in Belgard) Veteres Slavos intellexisse Album castrum, cognoscimus ex Vincentio Kadlubkone, qui *Belgardenses* aliquoties appellat *Albenses.* Nam de Boleslao III. Crivousto verba faciens: *Peramplissimis,* inquit, *Pomeranorum municipiis, his adactis, illis ultrò sese dedentibus, Albenses resistere contendunt, quos urbi famosissimæ, quæ est Pomeraniæ, centrum inclusos obsi-*

 dione

dione cingit, & obsessis duo scuta intentans unum album, rubrum alterum. Vtrumlibet, inquit? At illi album, quia hoc pacis in se blanditur candorem, illud terribile cruoris minatur asperginem. Civibus ille sanè. Si ergò Albam vultis esse Albam, deditione candidetur. &c. lib. III. ep. III. pr. p. 252. Conf. Cromer. lib. I. Chron. cap. XXVII. fol. 47. Hæc itaque, cum adeò clara sint, miror, Beat. Micrælium eò fuisse studio partium abductum, ut illa negaret, quod tamen eum fecisse videmus in Præfat. ad lib. II. Chron. ubi omnibus modis contendit, hæc nomina ex Germanico deducere. *Colbergam* antiquitus dictam fuisse *Colobregam* quidam volunt, inter quos etiam est Vinc. Kadlubko lib. III. ep. III. p. 254. Micrælius pro suo in Germanos affectu eam ab antiquis Germanis deducit, quod ex Germanico nomine, Berg intelligi posse contendit, probatque ex Dithmaro Mersburgensi, qui jam Sex. XI. post Chr. Nat. eam appellat *Salsam Cholbergiensem* lib. VII. p. 228. & sanctam *Cholbergiensem* Ecclesiam lib. II. p. 84. Quod in medio relinquimus. Quamvis respon-

respondere possemus, Dithmarum, ut Germanum, potuisse facilè nomen Slavonicum in Germanicum, quod illi vicinum est, detorquere. *Stolpam* quod attinet, illa antiquitus Slavonico vocabulo dicta est *Slup*, quod columnam significat. Hinc ipse B. Joan. Micrælius antiqui Privilegii An. 1252. scripti producit exemplum, ubi subscripserunt more antiquo Polonico Comes Ceslaus, Tribunus Slupensis, Comes Laurentius Subdapifer Slupensis, Comes Pomortius Subdapifer Slupensis. Micræl. lib. VI. p. 587. Ex quibus patet, Slavonicam hanc esse urbem. *Vsedomii* urbis jam Helmoldus meminit, sed sub nomine *Vznæ*, ubi dicit, institutum fuisse Episcopatum. An per errorem hæc scripserit, non liquet. lib. II. Chron. Slav. cap. IV. p. 222. Sed præter has urbes fuerunt & aliæ Slavorum tempore, quæ tamen destructæ semel non sunt iterum restauratæ. Inter quas prima *Wineta* fuit ad ostium Oderæ, quâ se exonerat in mare Balthicum. Fuisse hæc dicitur *maxima omnium, quas Europa claudit, civitatum*, ut inter alia ejus præ-

conia refert Helmoldus, qui etiam urbem hanc à quodam Danorum Rege destructam testatur lib. I. Chron. Slav. cap. II. Aquis eam obrutam & adhuc sub aquis conspici, memorat Micræl.lib. II. n. 15. p. 143. In insula Rugia *Arcona* & *Carentium* destructæ sunt à Danis circa med. Sec. XII. Vid. Cromer. lib. I. cap. XLVI. & seqq. Micræl. lib. II. n. 82. & n. 17. Perierunt & aliæ urbes Slavorum temporibus, ut *Retbre* apud Lutitios, ubi postea *Loyz* ad Panim. *Groswynum* etiam ad Panim fl. non procul ab Anclamo situm fuit. Cujus crebra fit mentio Sec. XII. *Dodona* inter Inam & Regam. *Zazina* inter Persante & Bra. *Mircbo* ad fontes Lebe fluvii. *Lepzki* ad ostia Lebe. Micræl. lib. II. num. 17. p. 146.

XXIII. Cum Principes Pomeraniæ Imperio Germanico se subjecissent, multosque ex Saxonia aliisque Regionibus Germanicis evocassent, multæ ab advenis illis conditæ sunt urbes, aliæ etiam sunt ab iis restauratæ & exornatæ. Numerantur verò inter illas Golnaw / Anklam/

klam / Ukermünde / Peukuhn / Freyenwalde/Regenwalde / Damm/Grimmen/ teste Paulo Fridbornio lib. I. Chron. Stetin. pag. 6. Addit adhuc plures Joannes Isacius Pontanus, nempe *Vrebedam*, itemque in extremis Pomeranis *Slotbovium*, *Colvizium*, *Coslinum*, aliasque lib. VI. Rer. Dan. ad an. 1188. fol. 280. Nec quievere inter hæc Rugiani Principes, sed & ipsi Saxones variis Privilegiis & immunitatibus allicere non destiterunt, qui etiam circa An. 1208. in insula Rugia urbem Bergen condiderunt. Paul. Fridborn. lib. I. Chron. Stetin. p. 6. Micræl. lib. III. Part. I. n. 7. p. 310. Sequenti anno *Stralsundia* urbs ab iisdem Saxonibus, sub auspiciis Jaromari Principis Rugiæ, exstructa est. Licet verò Micrælio Stralsundia à Sunnone filio Richimeri Regis Francorum centum annis post Chr. Nat, condita esse videatur, quod tradidit etiam Trithemius à Micrælio citatus, illud tamen nobis non fit verisimile, cum destituatur sententia hæc Veterum authoritate. Nostram autem sententiam proba-

bamus ex Alberto Cranzio, cujus verba hic adducemus: *An. post. Chr. Nat.* MCCIX. *Waldemarus Daniæ Rex ministerio Jarimari Principis Rugianorum fundavit urbem nunc præcipuam Stralesundensem: quæ nunc in cœteris urbibus Wandalicis non minima floret opibus, civibus plena, ædificiis exornata, quæ, unde nomen sortita sit, paulisper intendamus. Danicæ linguæ vocabulum Sund insinuat, ejus authorem fuisse Danum, aut Danis parentem: talis incunctanter tum fuit rerum status. Vocant autem Dani angustam maris faucem sund. Nam cum Dania sit tota insularis præter Jutiam & Scaniam, quæ sunt peninsulæ, multas esse fauces maris faciunt insulæ sibi objacentes. Inde Orsund, Gronsund, & ejus generis. Eundem in modum hæc urbs, quam scribimus, objacens Rugiæ Wandalorum insulæ Stralsund est vocitata, quod proxima insula Strela diceretur.* Hæc ille lib. *VII.* Wandaliæ cap. V. fol. 151. seq. Perfecta verò est urbis structura An. Chr. 1230. unde versus:

Annis

Annis ducentis (200) ter denis (30) mille retentis
Fit Stralsundensis urbs est cûi nomen ab undis.

Conf. & Cromer. lib. *I.* cap. *XXXVIII.* Sec. *XIII.* circa An. 1222. conditæ sunt duæ urbes in Pomerania, *Greiffenbaga & Gripswaldia. Greiffenberga* etiam circa An. 1262. à Barnimo *I.* Principe muris cincta est. Micræl. lib. *VI.* p. 567. Priores etiam illas duas urbes tantum dicto tempore restauratas esse, vult Micræl. lib. *III.* part. 1. num. 11. p. 312. quibus assensum præbere non abnuerem, si modò sententiam suam ex antiquis monumentis stabilivisset. *Stolpam* certè fateor fuisse, antequam circa An. 1310. à Waldemaro *II.* & Joanne *IV.* muniretur, ut ex Num. superiori patet. Conf. Micræl. lib. *VI.* Chron. Pom. p. 585. *Neostetinum* Anno 1309. conditum est à Wartislao, in finibus Pomeraniæ. Micræl. lib. *VI.* p. 615. Sed hæc sufficiant de Vrbibus.

XXIV. Tandem etiam originem CHRISTIANISMI apud Pomeranos

nos paucis investigabimus. Non agemus verò hic de *Hertha* (die Erde) Dea, (quam coluere septem populi maritimi, teste Tacito) aliisque Diis Vandolorum, Gothorumque, de quibus videri possunt. Phil. Cluv. lib. I. Germ. Antiq. cap. XXII. & Elias Schedius in Synt. De Diis Germanorũ. Neq; hic multis agemus de cultu, *Radegaslo* aliisq; Diis apud Slavos in his terris instituto. De quo videri potest Helmoldus lib. I. Chron. Slav. cap. LI. (LII.) & in hunc locum quæ annotavit Henricus Bangertus. Id nobis jam suffecerit, si initia religionis Christianæ apud has gentes rudi penicillo adumbraverimus. Sec. IX. licet tempore Caroli M. etiam gentes in occidentali Pomerania habitantes fuerint subactæ, non leguntur tamen omnes ad fidem Christianam fuisse conversæ. Et licet Imperator Hamburgensem Ecclesiam Slavorum metropolim constituerit, religio tamen in hoc tractu maritimo non fuit propagata, nisi apud *Wagrios* in Holsatia & *Obotritos* in Mechlenburgensi

gensi Ducatu, Vid. Eginhardus in Vita Caroli M. cap. XII. Adamus Bremensis lib. I. Hist. Eccl. cap. XII. seq. Eodem Sec. IX. sub Ludov. Pio Imp. *Rugiis* prædicarunt Evangelium *Monachi Corbejenses* à Ludovico I. fundati, teste Adamo Bremensi lib. I. Hist. Eccl. cap. XV. p. 17. Quamvis postea statim ad Paganismum defecerint, electo sibi in Deum Sventi Vito i. e. Sancto Vito, quem Patronum antè habuerant, cum essent Christiani. Quâ de re sic loquitur Helmoldus. *Tenuis fama commemorat, Ludovicum Caroli filium, olim terram Rugianorum obtulisse Sancto Vito in Corbegia, eò, quod ipse fundator extiterit Cœnobii illius. Inde egressi Prædicatores gentem Rugianorum sive Ranorum ad fidem convertisse feruntur, illicque oratorium fundasse in honorem Viti Martyris, cujus venerationi Provincia consignata est. Postmodum verò, ubi Rani, qui & Rugiani, mutatis rebus, à luce veritatis aberrarunt, factus est error pejor priore. Nam S. Vitum, quem nos servum Dei confitemur, Rani pro Deo colere*

colere cœperunt, fingentes ei simulacrum maximum, & servierunt creaturæ potius, quam creatori. Adeò autem hæc superstitio apud Ranos invaluit, ut Zvantovith Deus terræ Rugianorum inter omnia Numina Slavorum primatum obtinuerit. lib. II. Chron. Slav. cap. XII. p. 235. Conf. lib. I. cap. VI. & cap. LII. (LXX.) Posthæc Sec. X. Otto I. Magnus erexit Archiepiscopatum Magdeburgensem, cui subjecit populos Slavicos à se devictos ex parte Australi usque ad Panim fluvium. Suffraganei ejus Archiepiscopi fuerunt sequentes Episcopi : Mersburgensis & Piciensis ad Salam. Misnensis ad Albim, Brandeb. & Havelburgensis in hodierna Marchia Brandeburgica. Adam Bremens. lib. II. cap. VII. (59.) pag. 47. Conf. Helmold. lib. I. Chron. Slav. cap. IX. fin. Per eundem tamen Ottonem videntur *Chizzini* & *Circipani* ultra Panim ad Christianismum conversi, & Archiepiscopo Hamburgensi subjecti esse usque ad fluvium Panim, adeò, ut Sec. X. omnibus populis Pomeranicis à parte occidentali

dentali Oderæ fluminis, ubi tum habitabant *Wilzi* sive *Lutici*, lux Evangelii illuxerit. Permanserunt etiam hi populi in fide Christiana tempore Ottonum, ut disertis verbis testatur Adam. Bremens. lib. *II.* cap. *XXXI.* (84.) p. 63, ubi ait : *Omnes igitur Slavi, qui inter Albim & Oderam habitant per annos LXX, & amplius Christianitatem coluerunt, omni videlicet tempore Ottonum.* Hæc ille. Sed post tempora Ottonum à Christianis plus justo pressi, ab Imperio defecerunt, ducibus Mizzedrog & Mistivoi, uti cap. præcedente refert Albertus pag. 62. Post primam conversionem à Carolo M. & secundam ab Ottone *I.* factam, tertia conversio illorum Slavorum numeratur facta à Godeschalco Principe initio Sec. *XI.* inter quos Slavos ex nostris etiam *Chizzini* & *Circipani*, defecerant enim antè, conversi esse referuntur, eoque zelo id peregit Dux ille, ut *sui Ordinis oblatus frequenter in Ecclesia sermonem exhortationis ad populum fecerit, ea quæ mysticè ab Episcopis & Presbyteris di-*

cebantur Slavonicis verbis cupiens reddere planiora, ait Adamus Bremensis lib. *III.* Hist. Eccl. cap. *XXII.* pag. 96. Interea temporis etiam in Pomerania Orientali Christianam religionem, annitentibus Poloniæ Ducibus, fuisse propagatam, Ecclesiasque constitutas, docemur à Dithmaro Mersburgensi Episcopo, qui disertis verbis testatur, *Cholbergæ* fuisse Episcopum institutum, qui ut suffraganeus subjectus fuit Archiepiscopo Gnesnensi ab Ottone *III.* Imp. lib. *IV.* Chron. pag. 64. Sed neque Occidentales (qui Germanis citeriores, nobis autem sunt ulteriores) neque orientales (qui nobis sunt citeriores & Germanis ulteriores) constantes in fide perstiterunt. Fluctuavit itaque Christianæ Religionis in Pomerania status usque ad Sec. *XII.* nempe ad *Henrici V.* Imp. & *Boleslai III.* cognomento Crivousti Ducis Polon. ut & *Heinrici Leonis* Ducis Saxoniæ, *Ottonisque* Bambergensis Episcopi tempora.

XXV.

XXV. Cui ex modò memoratis Principibus secundùm Deum laus conversæ Pomeraniæ debeatur, variæ sunt Scriptorum, pro vario in suos Principes studio, sententiæ. Alii Henricum Leonem & Ottonem Episcopum hîc memorant, ut Gabriel Bucelinus Part. I. Germ. ad an. 1123. fol. 82. Conf. Paul. Friedborn. lib. I. Chron. Stetin. pag. 5. Alii autem, cum quibus & nos facimus, conversionem Pomeranorum adscribimus Boleslao III. Crivousto, Duci Pol. qui S. Ottonem ad hoc sanctum opus evocavit, utpote jam antea in Polonia educatum & linguæ Slavonicæ peritissimum, ut referunt Scriptores Pomeranici. Vid. Dan. Cromer. lib. I. Chron. Pomer. cap. III. & IV. Cum enim Boleslaus hic jam antea tentasset, Pomeranos convertere per Bernhardum Monachum, qui Pomeraniam ingressus, summi Dei ministrum sese appellavit, cumque tum Pomerani ex vili habitu divini ministri, Dei ipsius potentiam metientes, conversionem abnuerent, Boleslaus Ottonem virum ma-

gnæ existimationis & auctoritatis ad eos convertendos evocavit, ne convertentis vilitate offenderentur. Dan. Crom. lib. I. Chron. cap. XI. fol. 18. seq. Factum id est Anno à reparata Salute 1124. secundum versum:

Anno milleno centeno bis duodeno
Otto pius phanis fit Apostolus in Pomeranis.

S. Otto Pomeraniam ingressus convertisse dicitur Wartislaum Ducem Pomeraniæ. Sic enim hac de re Helmoldus: *Otto Bavebergensis*, inquit, *Episcopus, qui invitante pariter & adjuvante Boleslao Polonorum Duce, Deo placitam adiit peregrinationem ad gentem Slavorum, qui dicuntur Pomerani, & habitant inter Oderam & Poloniam. Prædicavitque Barbaris verbum Dei cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis; omnemque gentem illam cum Principe eorum Wercislao convertit ad Dominum.* Lib. I. Chr. Slav. cap. XL. Et alibi, nempe Lib. II. cap. IV. *Wenceslaum per manus S. Ottonis Bavebergensis Episcopi conversum esse*, scribit. Gemi-

Gemina habet Albertus Stadensis ad an. 1118. cujus verba sunt: *In illis diebus claruit vir insignis sanctitate Otto Episcopus, qui invitante pariter & adjuvante Bolislao Polonorum Duce adiit peregrinationem ad gentem Slavorum, qui dicuntur Pomerani, prædicavitque Barbaris verbum fidei, omnemque gentem illam cum Principe eorum Wercislao convertit ad Dominum.* pag. 155. Consentit his Alb. Cranzius lib. III. Wandal. cap. XXIIX. fol. 71. & lib. VII. Wandal. cap. XVII. fol. 157. Præsertim lib. V. Wandal. cap. XXXVI. ubi rudimenta fidei Christianæ Wertislaum accepisse ab Ottone Bambergensi refert. His tamen non obstantibus, Pomeranici Scriptores Wartislaum Principem jam ante adventum Ottonis, sacris Christianis fuisse initiatum, in Germania referunt, idque probant ex Vita Ottonis Bambergensis Anonymi cujusdam Scriptoris, cujus verba hac de re producemus. *Ipse*, ait auctor ille, *Princeps Wartislaus in pueritia sua captivus erat in Teutonicas regiones abductus,*

ductus, atque in oppido Mersburgensi Baptismi gratiam consecutus. apud Dan. Cromer. lib. I. Chron. Pom. Eccl. cap. XII. Conf. Micræl. lib. II. Chron. n. 69. pag. 230. Alius Anonymus Vitæ Ottonis Bambergensis Scriptor hæc habet verba: *Per Bohemiam* (Otto) *Deo Duce, in Poloniam pervenit: moxque, tribus Presbyteris in cooperarios assumptis, Pomeraniam adit. Ei verò Christiernus terræ illius Princeps, qui jam Christianus erat, honorificè processit obviam, &c.* apud Laurentium Surium Tom. IV. ad 2. Julii fol. 54. Conciliatio horum cum prioribus forsan elici poterit ex sequentibus verbis modò laudati Auctoris: ubi fol. 55. *Effecit*, inquit, *præterea B. Otto vir Apostolicus, ut Dux Verceslaus viginti quatuor concubinis aut pellicibus suis repudiatis solam legitimam conjugem retineret.* Vita S. Ottonis, quam contractam & puriori latinitate donatam edidit Valerius Jaschius, de adventu Ottonis sic habet: *Dux Pomeranorum cum quingentis viris obvius Episcopo factus fidem*

dem Christianam, quam hactenus clam habuerat, laudavit publicè. Postea refert, Wartislaum suasu Ottonis pluribus uxoribus repudiatis, unam tantum retinuisse. Forsan itaque Princeps hic in Germania fonte Baptismatis fuit ablutus, postea verò in Pomeraniam rediens in gentilismum relapsus est, retinuitque concubinas suas usque ad adventum S. Ottonis, à quo plenè fuit conversus.

XXVI. Vrbes, quæ in prima hac Ottonis in Pomeraniam expeditione Christo nomen dederunt, Joannes Nauclerus numerat sequentes: Piriz, Stetin, Wullin, Gamen s. Caminum, Colberg, Belgrado, Lubin, Gresch (Garditia vocatur Auctori Vitæ Ottonis Apostoli Pomeranorum à Valerio Jaschio edito) Volum. II. Generat. *XXXVIII.* circa med. fol. 745. Addit modò citatus Vitæ Ottonianæ Scriptor & Dodonam. Tunc Stetinensium Deus *Triglaw.* i. e. triceps fuit eversus, caput verò ejus monstrosum ab Ottone Romam fuit missum. Vid. Vita Ottonis à Valerio Jaschio edita. Idem di-

cendum est de Wolgastensium Diis *Heroweit* & *Baroweit*, ut & de Obotritarum Deo *Ridegast*, quem Gentiles tunc refecerant. Jam enim tempore Ottonis Magni idolum Ridegast cum urbe Rethre, quæ tunc fuit idololatriæ sedes, eversum est. Vid. Henr. Bangert. in Notis ad lib. *I.* Helmoldi cap. *LII.* (*LIII.*) pag. 127. & ex antiquis ¡Witechindus lib. *III.* de reb. gest. Sax. circa fin. fol. 46. & 49. Eodem etiam tempore Mizlaus Comes in Guzkovv baptizatus est. Cromer. lib. *I.* cap. *XXXIII.* fol. 55. Ne verò Pomerani rursus in Paganismum relaberentur, institutus est Episcopatus JULINENSIS ab Ottone Bambergensi, primusque Episcopus factus est Adalbertus Ottonis Comes & adjutor. Cromer. lib. *I.* cap. *XXXV.* Ast Helmoldus Episcopatum illum, non Julinensem, sed VZNAM sive VZNENSEM appellat. lib. *II.* Chron. Slav. cap. *IV.* pag. 222. Per Vznam autem Veteres intellexisse *Usedomium*, putat Micrælius. Unde dicendum esset, hunc Episcopatum primò institutum fuisse

Usedomii. An per errorem hæc Helmoldo exciderint, mihi non liquet. Quamvis existimem, fidem ei, ut auctori συγχρόνῳ, non prorsus esse denegandam. His ita peractis Otto Bambergam contendit, ibique triennio detentus, in Pomeraniam iterum revertitur, multasque civitates ad Christianam fidem pertrahit, ut *Usedomiam*, *Wolgastum*, *Gotzgangiam* (Valerius Jaschius hic *Guzkoviam* notari putat) alias verò jam antea conversas in fide confirmat. Vid. Auctor Vitæ Ottonis à Valerio Jaschio editus. Post hæc, cum varia bella ex Dania Pomeraniæ imminerent, transtulit Pomeranicum Episcopatum Casimirus I. Pomer. Princeps *Caminum*, ut in locum tutiorem, idque factum est An. 1176. sedente Conrado Episcopo. Cromer. lib. *I.* cap. *XXXVI.* fol. 70. Huic Episcopatui hodiè feliciter præsidet Illustriss. atque Celsissimus Princeps Dominus, Dominus ERNESTUS BOGUSLAUS, Dux Croji & Areschotti &c. &c. RUGIANI, licet post Monachos Corbejenses,

eorum conversio ab Vnnone Archiepiscopo Hamburgensi & ab Ottone Bambergensi tentata sit, serius tamen Christianismum susceperunt. Videlicet vigesimo anno post abitum Ottonis è Pomerania, orto inter Rugios & Pomeranos bello, Ratiborus tutor Casimiri *I.* & Boguslai *I.* Ducum Pomeraniæ Rugiis ademit ditiones & urbes *Barth, Grimmen & Tribsees*, induxitque in eas religionem Christianam. Factum id est An. 1148. sub Conrado *III.* Cæsare. Posthæc An. 1166. Waldemarus *I.* Rex Daniæ intulit bellum Principibus Rugiæ, conviciis lacessitus, quo bello subacta est Rugia. Occupatâ enim urbe Carenz, idoloque Rugeviti, quod septiceps erat, everso, ut & *Arconâ* ad deditionem coactâ, idoloque ejus quadricipiti confracto, Religio Christiana in insulam Rugiam introducta est per Bernonem, Svenonem & Absolonem Episcopos. Vid. Helmold. lib. *II.* Chr. Slav. cap. *XII.* p. 234. Dan. Cromer. lib. *I.* Chron. à cap. *XLVI.* usque ad finem libri. Micræl. lib. *II.* num. 82. ubi talia plu-

plurima occurrunt, quæ hic exscribere vetat institutum nostrum. Sic itaque Pomerania tota Christianam religionem recepit. His itaque peractis, restabat adhuc, ut ad amplificationem Ecclesiæ liberalium artium cura susciperetur. Quapropter Wartislaus IX. Dux Pomeran. suasu Doctoris Henrici Rubenovv, Consulis Grypsvvaldensis Academiam *Grypswaldiæ* An. 1456. instituit, & Rubenovium primum Rectorem Academiæ esse voluit. Confirmavit illam Academiam Calixtus III. Papa Rom. Vid. Dan. Crom. lib. II. Chr. XLII. fol. 107. seqq. Joan. Micræl. lib. III. Chr. n. 81. p. 228. Tandem etiam superiori Seculo *Pædagogium Stetinense* erectum est sub auspiciis Philippi & Barnimi Ducum Pomeraniæ An. 1541. qua de re vid. Dan. Cromer. lib. III. Chron. Eccl. Pomer. cap. XXXVIII.

DEO sit laus, honor & gloria.